

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis « institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, « doctrinam et principia, eaque sancte teneant ».

CODEX IURIS CANON., can. 1366, § 2.

SUMMA THEOLOGICA

AD MODUM COMMENTARII

IN AQUINATIS SUMMAM

PRAESENTIS AEVI STUDIIS APTATAM

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

O. S. B.

ABB. TIT. MONTIS BLANDINI

S. TH. D.RE HON. C. UNIVERSITATIS LOVANIENSIS

" *Nova et Vetera* ,,
MATTH., XIII, 52.

TOMUS VIII

DE HOMINIS ELEVATIONE ET LAPSU

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
MCMXIX
BEROLINI, CAROLSRUHAE, COLONIAE, MONACHII, VINDOBONAE
LONDINI, S. LUDOVICI MO.

TRACTATUS

DE HOMINE

SEU

DE HOMINIS NATURA, ELEVATIONE ET LAPSU

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

O. S. B.

ABB. TIT. MONTIS BLANDINI

S. TH. D.RE HON. C. UNIVERSITATIS LOVANIENSIS

" Nova et Vetera „

MATTH., XIII, 52

II PARS

DE HOMINIS ELEVATIONE ET LAPSU

(I — Q. XCIV-CII; I-II — Q. CLXIII-CLXV;

I-II — Q. LXXXI-LXXXIII, ETC.)

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Property of

COSA

Please return to

Graduate Theological

Union Library

FRIBURGI BRISGOVIAE

B. HERDER

TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS

MCMXIX

BEROLINI, CAROLSRUHAE, COLONIAE, MONACHII, VINDOBONAE

LONDINI, S. LUDOVICI MO.

BX
1749
T5
J2
1900
v.8

6

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi, Ord. Praed., *S. P. A. Magister.*

IMPRIMATUR:

† Iosephus Palica, Archiep. Philippen., *Vices gerens.*

Romae, Typis Vaticanis.

SS · D · N ·

BENEDICTO · PP · XV

PACIS · AMORE

NVRSINI · PARENTIS · AEMVLO

ZELO · IVSTITIAE

CATHOLICI · BELGARVM · REGNI

TVTORI · FIDISSIMO

AVCTOR

FILIALI · GRATOQVE · SENSV

HVMILLIME · DICAT

Acc: 2803

Dilecto Filio
Laurentio Janssens Abbati Benedictino

BENEDICTUS PP. XV

Dilecte Fili
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

E serie voluminum, in quibus Sancti Thomae Summam Theologicam ad studiosorum utilitatem commentaris, septimum, quod est « De hominis natura », nuper editum pieque Nobis muneri oblatum, perlibenter accepimus. In quo quidem percurrendo, quantum per nostras occupationes licuit, eadem illa inesse cognovimus quae in ceteris tuis scriptis probari scimus: id est rerum copiam, ex magna disciplinarum varietate collectam eamque dilucide explicatam, unde sincera Aquinatis doctrina ad illustranda et defendenda quae divinitus revelata sunt, quemadmodum haec tempora postulant, optime accommodetur. Quare gaudemus te in hoc genere eum evasisse quem Nos iam inde a condiscipulatu praevidebamus fore, cum apud Athenaeum Gregorianum in sacrae theologiae studiis explendesceres. Tu vero perge alacer, ut instituisti, ad ea quae restant, ut totum huius disci-

plinae corpus scribendo complectaris. Ita enim cumulum addes tuis in sacram iuventutem promeritis: cui quidem hunc tuum laborem valde fructuosum fore confidimus. Auspicem vero caelestium munerum, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peculiari cum benevolentia impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIX mensis aprilis MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS PP. XV.

PROLOGUS

ANTEQUAM de argumento huius secundae Partis nostri tractatus *De homine* verbulum praemittamus, liceat nobis humiles devotasque SS. D. N. Benedicto PP. XV rependere grates pro pulcherrimis verbis quibus modesta nostra conamina agnoscere dignatus est. Utinam volumina, Deo dante, secutura tam benigno iudicio minus imparia evadant!

Itaque illustrata in praecedenti volumine hominis *natura,* iam de hominis *elevatione* et *lapsu* superest agendum. Quae tractatio ita distribui posset, ut, quae ad elevationem spectant, secundam; quae vero ad lapsum, tertiam partem trilogiae efformarent. Magis tamen placuit utrumque argumentum in hac secunda comprehendere Parte, duplici Sectione distincta; tum ut arctissimus nexus, quo elevatio et lapsus inter se connectuntur, magis inde eluceat, iuxta verba Psalmistae: « Homo quum in honore esset, non intellexit »;[1] tum ut inter utramque nostrae tractationis Partem, speciali volumine utrique assignato, magis harmoniosa oriatur proportio.

*
* *

Totum huius voluminis argumentum sculpturali stylo contrahit Bossuet in exordio celeberrimi operis cui titulus: *Discours sur l'histoire universelle:* « Il (Moïse)

[1] Ps. XLVIII, 12.

« pose ce fondement (creationem caeli et terrae, et ho-
« minis ad imaginem Dei) tant de son histoire que de
« sa doctrine et de ses lois. [1] Après, il nous fait voir tous
« les hommes renfermés en un seul homme, et sa femme
« même tirée de lui; la concorde des mariages et la
« société du genre humain établie sur ce fondement; la
« perfection et la puissance de l'homme, tant qu'il porte
« l'image de Dieu en son entier; [2] son empire sur les
« animaux; son innocence tout ensemble et sa félicité
« dans le Paradis, dont la mémoire s'est conservée dans
« l'âge d'or des poètes; le précepte divin donné à nos
« premiers parents; la malice de l'esprit tentateur et
« son apparition sous la forme d'un serpent; la chûte
« d'Adam et d'Eve, funeste à toute leur postérité; le
« premier homme justement puni dans tous ses enfants,
« et le genre humain maudit de Dieu; la première pro-
« messe de la rédemption, et la victoire future des hom-
« mes sur le démon qui les a perdus ». [3]

Duce scriptore tam praecelsi ingenii, quae Moyses in *Geneseos* exordio de initiali conditione humani generis simplici simul ac sublimi sermone conscripsit, tamquam apprime historica tenenda censemus. Sunt enim, - ut verbis utar Pontif. Comm. de Re Biblica, - « quae christianae religionis fundamenta attingunt »; [4] quaeque proin ipsae paginae sacrae utriusque, imprimis Novi Testamenti confirmant, et Conciliorum auctoritas, Patrum et Scholarum unanimis prope consensus, Liturgiae et artis documenta uti vere historica proclamarunt,

[1] Inde in sententia praecedente Moysen vocat: « Le plus ancien des historiens, « le plus sublime des philosophes et le plus sage des législateurs ».

[2] Quam egregia sit haec locutio, magis infra apparebit.

[3] *Première Partie. - Les époques ou la suite des temps. - Première époque. - Adam ou la Création. Premier âge du monde.* Vides quam sobrio at solemni sermone haec omnia Bossuetius uti vere historica refert.

[4] Cfr. praecedens nostrum volumen, p. 669.

vindicarunt, illustrarunt. Nec iunioris scientiae, sive profanae, sive sacrae, vera progressio protulit argumenta solida, quibus prudens theologus a tam solemni traditione removeatur. Quare, quae nuper in oppositum nonnulli scriptores, ad modernistica castra propius accedentes, - e quibus non unus lamentabili naufragio temeritatem luit, - tamquam doctiora propinarunt, in se leviora et practice incauta existimamus. Quemadmodum adversariis doctrinae christianae olim Paulus frontose exclamabat: « Non erubesco Evangelium »,[1] ita et hodie catholicus theologus sive contra rationalistas, sive contra protestantes, sive contra modernistas, animose affirmet se non erubescere traditionem. Derideant novarum rerum admiratores hanc methodum ingenuam, antiquatam, « vieux jeu ». In rebus fidei et catholicae traditionis, quae in antiquitate firmius radicantur, perenni vita florent; ac iugiter, - quod et in arte classica apparet, - quum iam diu arefacta iacebunt, quae nova arriserant nimis, haec vetera renovata usque iuventute florebunt.

***

Porro in methodo a nobis hucusque servata, quae ipsam Aquinatis Summae Theologicae litteram uti fundamentum assumit, confirmamur non solum per recens responsum a S. C. Studiorum nuper emissum,[2] quo textus ipse S. Thomae in scholis adhibendus instanter commendatur; sed et per solemnem canonem novi Codicis Iuris, a venerandae memoriae Pio PP. X indicti et a SS. D. N. Benedicto PP. XV, f. r., provide promulgati, qui canon ita sonat: « Philosophiae rationalis ac « theologiae studia et alumnorum in his disciplinis in-

[1] Rom., I, 16.

[2] Responsum die 25 februarii a SS. D. N. Benedicto PP. XV approbatum, fuit sequenti die 7 martii, festo S. Thomae, promulgatum.

« stitutionem professores omnino pertractent ad Ange-
« lici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque
« sancte teneant ».[1]

Dolemus sane, ultimos S. Sedis actus doctrinam S. Thomae commendantes novis controversiis, nec blandis, ortum dedisse. Sed quum ex professo nos huiusmodi litibus extraneos servare studuerimus, de hisce recentissimis controversiis unum dumtaxat verbulum addere mens est; nec de lite, sed de re. Quidquid S. Sedes in favorem doctrinae S. Thomae declarat, animo plene docili, quin et plaudenti recipimus; eo scilicet sensu ab ipsa S. Sede intento. Quemcumque autem gressum, etsi tenuem, ulterius privata interpretatione motum, censemus nocivum magis quam utilem, utpote in detrimentum non modo legitimae libertatis, quam Summi Pontifices inculcare numquam destiterunt, sed et ipsius magisterii, quod S. Thomas ad stimulanda, non ad praefocanda ingenia tanto praestigio exercet.

[1] Can. 1366, § 2. Quantopere *Summa Theologica S. Thomae* christianae doctrinae exponendae iuvet, ostendit recens opus cl. Pègues., O. Pr., cui titulus: *La Somme Théologique de Saint Thomas d'Aquin en forme de Catéchisme pour tous les fidèles*, Toulouse, Privat, 1918.

INDEX RERUM

Epistola laudativa SS. D. N. Benedicti Pp. XV ad auctorem VII
Prologus IX
Index rerum XIII

PARS II.
DE HOMINIS ELEVATIONE ET LAPSU.

Praeambulum 1

SECTIO I.
DE HOMINIS ELEVATIONE.
(Q. XCIV - Q. CII).

Considerationes introductoriae 9
Dissertatio praevia de triplici ordine naturali, supernaturali et praeternaturali. 12
De ordine huius Sectionis 47

MEMBRUM I.
DE CONDITIONE PRIMI HOMINIS QUANTUM AD ANIMAM.

CAPUT I.
DE STATU ET CONDITIONE PRIMI HOMINIS QUANTUM AD INTELLECTUM.
QUAESTIO XCIV.

De ordine Quaestionis 48
Articulus I. — Utrum primus homo per essentiam Deum viderit 48
Corollaria 54
Articulus II. — Utrum Adam in statu innocentiae Angelos per essentiam viderit 57

Articulus III. — Utrum primus homo habuerit scientiam omnium 60
Quaestio connexa 71
Appendix. — Dissertiuncula de origine humani sermonis 73
Corollaria 81
Quaestiones connexae 82
Articulus IV. — Utrum homo in primo statu decipi potuisset 83
Corollaria 88
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 91
Appendix de mente S. Bonaventurae 92

CAPUT II.

DE STATU ET CONDITIONE PRIMI HOMINIS QUANTUM AD VOLUNTATEM.

I. - DE GRATIA ET IUSTITIA.

Quaestio XCV.

Articulus I. — Utrum primus homo fuerit in gratia creatus 96
Quaestio connexa 125
Articulus II. — Utrum in primo homine fuerint animae passiones 126
Corollaria 129
Dissertatio de originali integritate et de sensu pudoris 133
Articulus III. — Utrum Adam habuerit omnes virtutes. 174
Corollarium 177
Articulus IV. — Utrum opera primi hominis fuerint minus efficacia ad merendum quam opera nostra 177
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 183
Appendix de doctrina S. Bonaventurae 184

II. - DE USU IUSTITIAE QUANTUM AD DOMINIUM.

De dominio quod homini in statu innocentiae competebat.

Quaestio XCVI.

De nexu et ordine Quaestionis 193
Articulus I. — Utrum Adam in statu innocentiae animalibus dominaretur . 194
Corollarium 201
Articulus II. — Utrum homo habuisset dominium super omnes alias creaturas 202
Appendix de mente S. Augustini 205
Articulus III. — Utrum homines in statu innocentiae fuissent aequales . . . 207
Corollarium. 211
Articulus IV. — Utrum in statu innocentiae homo homini dominabatur . . . 211
Corollaria 214
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 219

MEMBRUM II.
DE STATU PRIMI HOMINIS SECUNDUM CORPUS.

De ordine huius Membri 219

CAPUT I.
DE STATU PRIMI HOMINIS QUOAD INDIVIDUI CONSERVATIONEM.
QUAESTIO XCVII.

De ordine Quaestionis. 220
Articulus I. — Utrum homo in statu innocentiae esset immortalis. 220
Corollarium. 233
Articulus II. — Utrum homo in statu innocentiae fuisset impassibilis. . . . 233
Corollarium. 237
Articulus III. — Utrum homo in statu innocentiae indigebat cibis 237
Corollarium. 241
Articulus IV. — Utrum homo in statu innocentiae per lignum vitae immortalitatem consecutus fuisset 242
Corollarium. 253
Appendix de mente S. Augustini, Lombardi et S. Bonaventurae 254
Scholion 261
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 262
Appendix de doctrina Ecclesiae orthodoxae circa conditionem originalem protoparentum 262

CAPUT II.
DE PERTINENTIBUS AD CONSERVATIONEM SPECIEI.

De ordine huius capitis 265

I. - DE IPSA GENERATIONE.
QUAESTIO XCVIII.

De ordine Quaestionis 266
Articulus I. — Utrum in statu innocentiae fuisset generatio 266
Articulus II. — Utrum in statu innocentiae fuisset generatio per coitum. . . 278
Corollarium. 287
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 293
Appendix de propagatione hominis quantum ad corpus (Q. XCIX) 294
Corollaria 299

II. - DE CONDITIONE PROLIS GENERANDAE,

A) De conditione prolis generandae quantum ad corpus.

QUAESTIO XCIX.

Praenotamen. 300
Articulus I. — Utrum pueri in statu innocentiae mox nati virtutem perfectam habuissent ad motum membrorum. 301
Appendix de mente S. Augustini et Hugonis Victorini 304
Articulus II. — Utrum in statu primo feminae natae fuissent 306
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 308
Appendix de mente S. Bonaventurae 308

B) De conditione prolis generandae quantum ad iustitiam.

QUAESTIO C.

De ordine Quaestionis 314
Articulus I. — Utrum homines nati fuissent cum iustitia 314
Corollaria 318
Articulus II. — Utrum pueri in statu innocentiae nati fuissent in gratia confirmati 319
Quaestiones connexae 325
Corollarium. 327
Appendix de mente Hugonis Victorini 327
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 331

C) De conditione prolis generandae quantum ad scientiam.

QUAESTIO CI.

De ordine Quaestionis 331
Articulus I. — Utrum in statu innocentiae pueri nati fuissent in scientia perfecti. 331
Articulus II. — Utrum pueri mox nati habuissent perfectum usum rationis . 333
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 335

D) De loco hominis qui est Paradisus.

QUAESTIO CII.

De ordine Quaestionis 335
Articulus I. — Utrum Paradisus sit locus corporeus 336
Dissertatiuncula de situ Paradisi terrestris. 338
Articulus II. — Utrum Paradisus fuerit locus conveniens habitationi humanae. 350
Corollarium 351
Articulus III. — Utrum homo sit positus in Paradiso ut operaretur et custodiret illum 352
Corollarium. 355

Articulus IV. — Utrum homo factus fuerit in Paradiso 356
Quaestiones connexae 359
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 362
Conclusio synthetica 362

SECTIO II.
DE HOMINIS LAPSU

Considerationes praeviae 364
De ordine Sectionis 367
Notulae historicae: 1) de Pelagianis 369
2) de Baio 376
3) de Iansenio eiusque asseclis 379

MEMBRUM I.
DE PECCATO PRIMI HOMINIS

Monitum praevium 388

CAPUT I.
DE IPSO PECCATO ACTUALI PRIMI HOMINIS.
II-II Quaestio CLXIII.

De ordine Quaestionis 393
Articulus I. — Utrum primi hominis peccatum fuerit superbia 394
Quaestiones connexae 400
Corollarium 411
Articulus II. — Utrum superbia primi hominis fuerit in hoc quod appetierit divinam similitudinem 412
Corollarium 418
Articulus III. — Utrum peccatum primorum parentum fuerit caeteris gravius. 420
Articulus IV. — Utrum peccatum Adae fuerit gravius quam peccatum Evae . 425
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 432

CAPUT II.
DE POENIS PECCATI PRIMI HOMINIS.
Quaestio CLXIV.

De Ordine Quaestionis 433
Articulus I. — Utrum mors sit poena peccati primorum parentum 433

Appendix de morte spirituali 439
Quaestio connexa 446
Corollaria 446
Quaestio connexa 453
Articulus II. — Utrum convenienter particulares poenae primorum parentum determinantur in Scripturis 454
Corollaria 465
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 469

CAPUT III.

DE TENTATIONE PRIMORUM PARENTUM.

QUAESTIO CLXV.

De ordine Quaestionis et indole historica narrationis 470
Articulus I. — Utrum fuerit conveniens, ut homo a diabolo tentaretur . . . 472
Articulus II. — Utrum fuerit conveniens modus et ordo tentationis 481
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 489

MEMBRUM II.
DE PECCATO ORIGINALI.

Praenotanda 490
De ordine huius Membri 494

CAPUT I.

DE PECCATI ORIGINALIS TRADUCTIONE.

I-II QUAESTIO LXXXI.

De ordine Quaestionis 494
Articulus I. — Utrum primum peccatum primi parentis per originem traducatur in posteros 495
Dissertatiuncula praevia 495
Quaestio connexa 539
Corollaria 541
Quaestio connexa 549
Corollarium 553
Appendix I. — Nonnullorum Patrum, imprimis S. Ioannis Chrysostomi, doctrina de peccato originali vindicatur catholica 554
Appendix II. — De concordia inter doctrinam S. Ambrosii et S. Augustini . 565
Appendix III. — De opinione apud Iudaeos tempore Christi vigenti circa peccatum originale 572
Articulus II. — Utrum etiam alia peccata primi parentis, vel proximorum parentum, traducantur in posteros 581
Corollaria 585

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Articulus III. — Utrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes homines 588
Quaestio connexa 590
Articulus IV. — Utrum si aliquis ex humana carne formaretur miraculose, contraheret originale peccatum 594
Articulus V. — Utrum si Adam non peccasset, Eva peccante, filii originale peccatum contraherent 597
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 602

CAPUT II.

DE PECCATI ORIGINALIS ESSENTIA.

Quaestio LXXXII.

Ratio et ordo Quaestionis 602
Articulus I. — Utrum originale peccatum sit habitus 603
Corollarium 610
Articulus II. — Utrum in uno homine sint multa originalia peccata 610
Articulus III. — Utrum originale peccatum sit concupiscentia 614
Dissertatiuncula de habitudine concupiscentiae ad originale peccatum . . . 614
Corollaria 642
Appendix I. — De ignorantia 645
Appendix II. — De mente Hugonis Victorini 647
Appendix III. — De sensuali mysticismo recentioris cuiusdam scholae pseudo-catholicae 649
Articulus IV. — Utrum peccatum originale sit aequaliter in omnibus 667
Corollarium. 670
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 671

CAPUT III.

DE SUBIECTU PECCATI ORIGINALIS.

Quaestio LXXXIII.

De ordine Quaestionis. 671
Articulus I. — Utrum originale peccatum sit magis in carne quam in anima. 672
Appendix de doctrina S. Anselmi et S. Bonaventurae 678
Articulus II. — Utrum peccatum originale sit per prius in essentia animae quam in potentiis 684
Appendix de mente S. Bonaventurae 686
Articulus III. — Utrum peccatum originale per prius inficiat voluntatem quam alias potentias. 689
Articulus IV. — Utrum generativa, concupiscibilis, sensus et tactus sint magis infecta quam aliae potentiae 691
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 693
Tabella synthetica praecipuarum sententiarum de peccato originali 694

CAPUT IV.

DE PECCATI ORIGINALIS POENA.

De ordine Tractationis. 697
A) **De vulneribus naturae per originale peccatum illatis** 698
De ratione Quaestionis et methodo 698

De effectibus peccati (originalis) quoad corruptionem naturae.

QUAESTIO LXXXV.

De ordine Quaestionis 698
Articulus I. — Utrum peccatum diminuat bonum naturae 698
Articulus II. — Utrum totum bonum humanae naturae possit auferri per peccatum 700
Articulus III. — Utrum convenienter ponantur vulnera naturae ex peccato consequentia: infirmitas, ignorantia, malitia et concupiscentia. 703
Articulus IV. — Utrum privatio modi, speciei et ordinis sit effectus peccati . 710
Articulus V. — Utrum mors et alii defectus corporis sint naturales homini . 714
Appendix de doctrina Ecclesiae orthodoxae circa peccatum originale 716
Brevissima totius Quaestionis Synopsis 720
Appendix de lege peccati 721
B) **De captivitate daemonis a peccato originali orta** 722
C) **De aeterna damnatione peccato originali debita** 732
1ª Propositio. — Peccato originali uti poena debetur carentia visionis beatificae. 733
2ª Propositio. — Peccato originali probabilissime non debetur poena sensus . 735
3ª Propositio. — Decedentes cum solo originali peccato afflictionem interiorem probabiliter non sentiunt 740
Corollarium 747

CAPUT V.

DE PECCATI ORIGINALIS REMISSIONE.

1ª Conclusio. — Peccatum originale nonnisi per merita Iesu Christi remittitur. 749
2ª Conclusio. — Medium quo, in remissionem originalis peccati, merita Christi applicantur, est sacramentum baptismi. 750
3ª Conclusio. — Peccati originalis culpa ex toto per baptisma tollitur. . . . 751
4ª Conclusio. — Peccati originalis poena partim post baptisma remanet, scilicet ea quae afficit naturam 752
Epilogus 754
Index alphabeticus analyticus 757

PARS II.

DE HOMINIS ELEVATIONE ET LAPSU

Praeambulum.

Quo magis, ingravescente incredulitatis procella, fundamenta totius christianae fidei impetunt quotquot veritatis iugo collum subduxere, eo magis interest ut eadem firmius stabiliantur. Sunt autem imprimis destinatio hominis in finem supernaturalem, et lapsus hominis ab originali beatitudine ac iustitia eidem fini proportionata.[1] Utrumque, adiecto miserantis et reparantis Dei gratuito consilio, sequitur oeconomia gratiae per Christum Redemptorem genti nostrae allatae, de qua in proximo tractatu fusius agemus.

Dogma proin peccati originalis iure vocari potest cardo totius fidei nostrae; ex una quippe parte suponit finem

[1] Nexum inter utrumque nostrae conditionis adspectum hisce verbis egregie illustrat Pascal: « Il semble que la source des erreurs d'Epictète et des stoïciens « d'une part, de Montaigne et des épicuriens de l'autre, est de n'avoir pas vu que « l'état de l'homme à présent diffère de celui de sa création. Les uns, remarquant « quelques traces de sa première grandeur et ignorant sa corruption, ont traité la « nature comme saine et sans besoin de réparateur; ce qui les mène au comble de « l'orgueil. Les autres, éprouvant sa misère présente et ignorant sa première di- « gnité, traitent la nature comme nécessairement infirme et irréparable; ce qui les « précipite dans le désespoir d'arriver au véritable bien, et, de là, dans une extrême « lâcheté ». *

Pluries has contradictiones, quibus homo sibi mysterium est inscrutabile, forti suo stylo, nec sine quodam excessu iansenistico, exprimit: « Quelle chimère est-ce « donc que l'homme! quelle nouveauté, quel chaos, quel sujet de contradiction! Juge « de toutes choses, imbécille ver de terre; dépositaire du vrai, amas d'incertitude; « gloire et rebut de l'univers; s'il se vante, je l'abaisse; s'il s'abaisse, je le vante, et le « contredis toujours, jusqu'à ce qu'il comprenne qu'il est un monstre incompréhen- « sible ». ** Et paulo ante: « Connaissez donc, superbe, quel paradoxe vous êtes à « vous-même. Humiliez-vous, raison impuissante; abaissez-vous, nature imbécille; « apprenez que l'homme passe infiniment l'homme, et apprenez de votre maître « votre condition véritable, que vous ignorez! ». ***

* *Pensées*, I, art. 11, n. 3.

** II p. a. 2, n. 5. Ad quae Voltaire, utpote naturalista: « Vrai discours de malade ».

*** Ibid., n. 3.

supernaturalem amissum, ex altera fuit occasio[1] Incarnationis gratiarumque e vulneribus Christi manantium. Iam vero, si audias sectas massonicas, turbas materialistarum, socialistarum, neo-paganorum cuiusvis nominis et coloris, una voce naturam cum ipsis vitiis ita extollunt, ut degenerati hominis dogma cum superba indignatione depellant. Aliunde non desunt athei, qui, opposita via, ex ipsis malis quibus mundus, imprimis ipsa hominum vita impletur, ad eiusdem bonum ac providum Auctorem negandum concludant.[2]

Maxime proin hodiedum interest, utrumque christiani dogmatis adspectum, primaevam scilicet hominis exaltationem et miserum collapsum, admoto fidei lumine, exponere et vindicare.

Et sane, uti in Epilogo praecedentis nostri voluminis iam monebamus,[3] nisi hoc fidei lumen accedat, problema hominis iacet inscrutabile. Quod Bossuetius in una e suis pulcherrimis concionibus ita illustrat. Postquam descripsit contradictorios motus sursum et deorsum, quibus homo veluti in duo scinditur,[4] solutiones affert problemati a sapientibus datas: « Les sages du monde, voyant l'homme d'un côté si « grand, de l'autre si méprisable, n'ont ni que penser ni que « dire: les uns en font un dieu, les autres en font un rien; les « uns diront que la nature le chérit comme une mère et qu'elle « en fait ses délices, les autres qu'elle l'expose comme une « marâtre et qu'elle en fait son rebut; et un troisième parti,

[1] Quomodo sit intelligendus hic nexus inter hominis lapsum et Verbi Incarnationem, in tractatu *De Deo-Homine* exposuimus (*Christologia*, p. 44, sqq.),

[2] Ad vacillantis fidei Christianos, quos praesentis stragis spectaculum conturbat, Illmus D. Nicolaus Monterisi, Episcopus Monopolitanus, eloquentem nuper epistolam direxit.*

[3] P. 822.

[4] Hanc in homine contradictionem, indeque vestigium altioris dignitatis, iam introspexerat Cicero quando scripsit: « Homo non est a matre, sed ut a noverca « natura editus in vitam, corpore nudo et fragili et infirmo; animo autem anxio ad « molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines; in quo tamen « inest tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis ».**

* *Lettera Pastorale di Mons. Nicola Monterisi, Vescovo di Monopoli, al Clero e al Popolo della sua Diocesi*, 6ª ediz., p. 10 sqq., Padova, Stab. tip. del *Messaggiero*, 1917.

** *De Republ.*, l. II.

« ne sachant plus que devenir touchant la cause de ce « mélange, répondra qu'elle s'est jouée en unissant deux « pièces qui n'ont nul rapport, et ainsi que par une espèce « de caprice elle a formé ce prodige qu'on appelle l'homme ».

Sed quum istae solutiones sint inefficaces, ad fidei lumen recurrendum esse declarat:

« Vous jugez bien, messieurs, que ni les uns ni les autres « n'ont donné au but, et qu'il n'y a plus que la foi qui puisse « expliquer un si grand énigme.

« Vous vous trompez, ô sages du siècle: l'homme n'est « pas les délices de la nature, puisqu'elle l'outrage en tant « de manières; l'homme ne peut pas être son rebut, puisqu'il « y a quelque chose en lui qui vaut mieux que la nature « elle-même, je parle de la nature sensible. Maintenant parler « de caprice dans les ouvrages de Dieu, c'est blasphémer « contre sa sagesse ».

Vera proin solutio in hoc residet, ut in homine agnoscatur simul opus mirabile a Deo extructum, sed ab ipso homine deturpatum. « Mais d'où vient donc une si étrange « disproportion? Faut-il, chrétiens, que je vous le dise? et « ces masures mal assorties, avec ces fondements si magni- « fiques, ne crient-elles pas assez haut que l'ouvrage n'est « pas en son entier? » Quam oppositionem, adducto textu Ieremiae, eloquentissime evolvit: « Contemplez ce grand édi- « fice, vous y verrez des marques d'une main divine; mais « l'inégalité de l'ouvrage vous fera bientôt remarquer ce que « le péché a mêlé du sien. O Dieu, quel est ce mélange? J'ai « peine à me reconnaître; peu s'en faut que je ne m'écrie avec « le prophète: " *Haeccine est urbs perfecti decoris, gaudium « universae terrae?*[1] Est-ce là cette Jérusalem? est-ce là cette « ville, est-ce là ce temple, l'honneur de toute la terre? „. « Et moi je dis: Est-ce là cet homme fait à l'image de Dieu, « le miracle de sa sagesse et le chef-d'œuvre de ses mains?

« C'est lui-même, n'en doutez pas. D'où vient donc cette « discordance? et pourquoi vois-je ces parties si mal rap- « portées? C'est que l'homme a voulu bâtir à sa mode sur « l'ouvrage de son Créateur, et il s'est éloigné du plan: ainsi,

[1] Thren., II, 15.

« contre la régularité du premier dessin, l'immortel et le « corruptible, le spirituel et le charnel, l'ange et la bête, en « un mot, se sont trouvés tout à coup unis. Voilà le mot de « l'énigme, voilà le dégagement de tout l'embarras: la foi nous « a rendus à nous-mêmes, et nos faiblesses honteuses ne peu- « vent plus nous cacher notre dignité naturelle ». Et claudit hunc discursum exclamando: « Mais, hélas! que nous pro- « fite cette dignité? Quoique nos ruines respirent encore « quelque air de grandeur, nous n'en sommes pas moins « accablés dessous: notre ancienne immortalité ne sert qu'à « nous rendre plus insupportable la tyrannie de la mort; et « quoique nos âmes lui échappent, si, cependant, le péché les « rend misérables, elles n'ont pas de quoi se vanter d'une « éternité si onéreuse ».[1]

Originalem dignitatem primi hominis, obiectum huius nostrae contemplationis, egregie describit Vitus Fornari: « L'uomo non è stato sempre come oggi, e a conoscerlo « bene, si dee conoscere come era in quel giorno che fu « creato, quando era innocente e felice. Quel giorno che fu « l'alba della vita nostra, ed è il perenne sospiro anche di « chi non lo crede, io vorrei poterlo sperimentare un'ora « sola per narrarlo degnamente. Sono così mutate le nostre « sorti, che il voler formarsi un tal quale concetto dello « stato primitivo, mi parrebbe, se non lo reputassi necessario « al mio intento, un'opera audace. Si tratta nientedimeno che « di rifabbricare nella mente tutto un mondo, le cui reliquie « sono sminuzzate e sfigurate e disordinate, servendosi del- « l'intelletto ch'è una di quelle reliquie ed ha sofferto la « comune rovina. Il ricomporre che si fa dagli scienziati il « regno degli animali già scomparsi dal numero dei viventi, « è un gioco in paragone di questo. Il nostro maggiore aiuto « sono le poche ma preziose notizie che si conservano nel « secondo capo del *Genesi*. E la teologia se n'è valuta al suo « scopo nettamente, sì che in quanto serve a compiere la « dottrina della credenza religiosa, sappiamo di quello stato « tanto che basta ».[2]

[1] *Carême du Louvre. Sermon sur la mort.* Edit. Lebarcq. *Œuvres orat. de Bossuet,* t. IV, p. 177 sqq.

[2] *Vita di Gesù Cristo,* libr. I, c. 2.

Adde, quam idem auctor imprimis celebrare intendit,[1] figuram Christi futuri in Adamo resplendescentem, non parum illustrare exordii generis nostri dignitatem. Tantam enim ruinam Filius Dei non instaurasset, nisi templum primitivum fuisset eximiae pulchritudinis, dignum plane quod ipse Deus imaginem suam et similitudinem salutasset. Quare si in alterutrum sensum declinandum foret, vel in minuendam dignitatem primordialem Adami, vel in eam nimis extollendam, in hunc potius excessum ultro declinarem, tantopere ista excellentia in narratione Mosaica elucet et per totam traditionem Patrum et Scholae celebratur. Nec ullum video theologiae verum inesse profectum ut istae contemplationes, ob naturalisticum conceptum plus minusve inconscie serpentem, deprimantur aut tamquam parum scientificae negligantur.[2] Absit sane ut, quae certa non sunt, veluti certa propinentur; sed absit pariter ut, quae Patres et magni Scholae magistri summa reverentia tractarunt, veluti sapientiori magisque evolutae aetati nostrae minus consona declinentur,[3] ne dicam despiciantur!

[1] Hinc vitae I. Chr. praemittit librum qui totum V. T. complectitur.

[2] Hoc periculum propius iacet in hisce regionibus in quibus theologi protestantes, fide genuina plerumque reiecta, mordaci sermone in scholasticam traditionem invehere solent, utpote antiquatam et parum scientificam. Unde non raro fit ut scriptores catholici, ne retrogradi suis appareant, nimis facile se a traditione exegetica et dogmatica antiquorum, etsi summorum, excipiant. Utinam omnibus adesset iste sensus vere catholicus, quo, inter alios, saeculo elapso apud Germanos eminebant Kleutgen et Scheeben! Qui, profundam doctrinam patristicam et scholasticam cum magna modernioris scientiae cognitione coniungentes, non solum debita reverentia, sed immenso zelo altiora problemata tractabant.

[3] In egregio opere, cui titulus *Déchéance originelle*,* cl. Laminne scribit: « A « une certaine époque où l'on croyait devoir répondre à toutes les questions, les théo- « logiens, suivant en cela la tendance commune, ont cru pouvoir, au sujet de l'état « primitif, préciser beaucoup de détails. A défaut de renseignements positifs contenus « dans la Révélation, ils se basaient sur des raisonnements plus ou moins plausi- « bles, mais qui par là même qu'ils ne sont pas péremptoires n'ont aucune valeur « en des matières essentiellement contingentes. Aujourd'hui on ne se croit plus obligé « de tout savoir. Il vaut mieux évidemment confesser son ignorance que de vouloir, « par des considérations *a priori*, résoudre des questions de fait au sujet desquelles « les renseignements font défaut » (ch. III, p. 48, sq.).

Si per haec verba doctus auctor intendit illos corripere excessus qui posteriori aetate in scholastica disciplina apparuerunt, plene assentior. Si autem respicit ipsam reverentem piamque curiositatem qua - non utique pruritu omnia sciendi, sed humili desiderio penitius altissima problemata investigandi - de istis quaestionibus scri-

* Lovanii, apud A. Uystpruyst, Dieudonné, 1914.

Primaevam hominis dignitatem et harmoniam instauravit Ille qui « ad reparandum suscepturus hominem non horruit « Virginis uterum ». Itaque, iuxta S. Leonis verba, quibus primam tractatus Partem claudabamus, « nos quotidie repa- « rat gratia Salvatoris, dum quod accidit in Adam primo, « reparatur in secundo ».[1] Unde si bene dixit Pascal: « L'in- « carnation montre à l'homme la grandeur de sa misère « par la grandeur du remède qu'il a fallu »,[2] non minus verum est, instaurationem ostendere primaevi operis prae- cellentem dignitatem. Utrumque simul complectens, optime idem scriptor ait: « La connaissance de Dieu, sans celle de « notre misère, fait l'orgueil; la connaissance de notre misère « sans celle de Jésus-Christ, fait le désespoir. Mais la con- « naissance de Jésus-Christ nous exempte et de l'orgueil et « du désespoir, parce que nous y trouvons Dieu, notre misère « et la voie unique de la réparer ».[3]

Quare totus hic tractatus redundat « in laudem gloriae « gratiae Dei »,[4] et divini amoris iustitiam et pacem mira-

pserunt S. Augustinus, S. Anselmus, S. Thomas aliique patristicae et scholasticae aetatis principes, dissentiri liceat et practice huic traditioni servare fidem; magna tamen modestia et libertate: modestia, ne unquam uti certum exhibeatur quod probabilis deductionis limites non excedit; libertate, ut, quae vera scientiae progressione demonstrantur fundamento destituta, aut saltem debilitata, ita exhibeantur ut ea agnoscerent illi ipsi summi, si redivivi inter nos apparerent.

Interim, nostra facimus verba quae idem auctor tractationi suae praemittit: « Nous nous plaçons au point de vue catholique. Nous nous proposons d'exposer la « doctrine de l'Eglise sur le péché originel et les questions connexes et d'interpréter « cette doctrine suivant la méthode et les conceptions traditionnelles. Il ne s'agit « pas, en cette matière, d'innover ». *

[1] *Serm. XII de ieiunio decimi mensis,* c. I. – *P. L.,* t. LIV, col. 168.

[2] Op. cit., p. II, a. 5, n. 8.

[3] Ibid., a. 16, § 2.

[4] EPHES, I, 6. Inde utrumque Adamum Milton** intime coniungit ab ipso exordio sui poëmatis *Paradise lost:*

Of Man's first disobedience, and the fruit
Of that forbidden tree whose mortal taste
Brought death into the World and all our woe,
With loss of Eden, till one greater Man
Restore us, and regain the blissful seat,...

* Op. cit., *Avant-Propos,* p. 2.

** Dolendum sane tantum vatem, anglicanis praeiudiciis imbutum, nobilissimum poëma platealibus invectivis in Ecclesiam catholicam deturpasse (cfr. tertium et

biliter componentis,[1] iuxta stropham hymni « Auctor beate « saeculi » :

Amor coëgit te tuus
Mortale corpus sumere,
Ut, novus Adam, redderes
Quod vetus ille abstulerat.[2]

***

Quo lucidius nostra disputatio incedat, iuvat ab exordio prae oculis habere principales errores, qui in tractationis decursu nobis occurrent. Distribui possunt vel ordine historico, tres periodos Pelagianorum, reformatorum et rationalistarum complectente;[3] vel ordine logico, aliis per defectum, aliis per excessum a veritate declinantibus.[4]

Iuxta hunc alterum ordinem, 1) *per defectum* peccant quotquot praesentem hominis conditionem uti simpliciter

ultimum librum). Nil mirum, quum in quodam epigrammate latino scribere non erubuerit :

Frenduit hoc trina monstrum Latiale corona,
Movit et horrificum cornua dena minax.
(*In proditionem bombardicam*).

Plura scripta Milton contra catholicos edidit. Imo in libello cui titulus: *Of true religion, Heresy... and what best may be used against the Growth of Papacy* (1673) ad persecutionem contra catholicos excitat. Porro tam fanaticus Ecclesiae catholicae hostis non potuit theologiam scholasticam non abhorrescere utpote « e cavernis monasticis ortam ».

Quare, etsi multis ei meritis apparet aequalis, Milton vero christiano sensu cedit longe neerlandico poëtae Joost van den Vondel, cuius tragoediam *Adam in Ballingschap* (Adamus in exilio), calvinistico odio olim a theatro exclusam, - Vondel enim Romanae Ecclesiae fidem erat amplexus, * - pluries nuper protestantes et catholici communi plausu salutarunt.

In altera tragoedia, etiam insigni, titulo *Lucifer*, Vondel prius cecinerat casum Angelorum; quam tragoediam plerique censent Miltonem non solum cognovisse, sed ab ea nonnihil esse mutuatum. Tragoedia *Adam in Ballingschap*, anno 1664 absoluta, auctore annum 77 agente, est vix anterior poëmate anglico *Paradise lost*.

[1] Ps. LXXXIV, 11.

[2] Ad Vesp. SS. Cordis Iesu.

[3] Cf. Perrone, *Tract. de Deo Creat.*, pars. III, c. 2, n. 295; Caes. Manzoni, *Compend. Theol. dogm.*, vol. II, tract. VII, c. 3, p. 369 sqq.

[4] Cf. Card. Katschthaler, *Theol. dogm. cath. spec.*, lib. I, P. II, Sect. II, n. 260, t. I, p. 488.

* Peculiari devotione flagrabat erga SSmam Eucharistiam. Poëmata huic augusto mysterio dicata *Altaargeheimnissen* inter pulcherrima christiana carmina cuiusvis aetatis et idiomatis iure numerantur, auctorique titulum Dantis septentrionalis valuere.

naturalem praedicant, non ab altiori conditione delapsam. Sunt *a*) imprimis asseclae Pelagii, subtilissimi illius monachi anglici, quem moderni liberalismi parentem non immerito vocaveris.[1] Sunt *b*) hodierni rationalistae eorumque antesignani Sociniani et Ariminiani, qui, ordinem supernaturalem radicitus impugnantes, denegant quidquid in universo, imprimis in homine, sive originem, sive destinationem supra nudam quam intuentur naturam praedicat. Quibus *c*) accedunt Guntheriani, Hermesiani,[2] plerique theologi Russi, modernistae, qui ad rationalismum sese aliqualiter habent sicuti olim Semipelagiani ad Pelagianos.

2) *Per excessum* e contra peccant quotquot ita urgent dona superiora primis hominibus collata, ut sine eisdem homo veluti naturalibus spoliatus dici debeat. Sunt *a*) Protestantes passim, imprimis Lutherus, qui hominem fingebat per originale peccatum tam intrinsece corruptum, ut neque per gratiam Christi intrinsece bonus efficiatur.[3] Accedunt *b*) Baius, Iansenius, Quesnellus, Pistorienses aliique id genus, qui protestantismi influxum plus minusve subierunt.

Porro animadverte quantopere haec duo castra sibi oppo-

[1] Cf. de Pelagio in initio II Membri Sectionis II.

[2] Doctrinam Hermesii ad haec puncta nitide contrahit Hurter: «*a*) Sanctitatem « christianam contineri moralitate naturali; quare *b*) ex eo quod protoparentes « fuerint conditi in sanctitate et iustitia, non sequi eos *supernaturali* quodam dono « fuisse ornatos; sequi tantum *c*) facultates morales ordinatas fuisse in bonum hone- « stum, atque concupiscentiam rationi subiectam. Propter quam *d*) bonam hominis « dispositionem Deum sibi in homine complacuisse, atque in hac complacentia con- « sistere *gratiam habitualem*; *e*) ratione cuius complacentiae exstitisse Deum inter « et hominem habitum amicitiae filiationisque adoptivae, qui, licet debitus, *super-* « *naturalis* sit dicendus ». * Ex quo patet, vitium radicale systematis Hermesii, Pelagianismo valde propinquum, fuisse naturalismum, cum adiecto quodam ordine nonnisi figurative supernaturali.

[3] Cf. HUNTER, *Theol. comp.*, vol. II, *De Homine*. Quantopere hodierni protestantes in hac quaestione ab illa doctrina recedant, superfluum est monere. Plerique enim ad rationalistarum castra declinant. Sicut concupiscentia, quum conceperit, parit peccatum; ita rebellio, quum se a veritatis unitate detraxerit, provocat dissolutionem. Nihil amplius passim a Lutheri mente servant quam pruritum protestandi. Quod lepide olim Pius IX insinuavit viro, qui, monens utique se ad protestantium castra pertinere, Pontificem tamen videre cupierat. Cui Pius IX, acute at benevole subridens: « Vous êtes protestant, mon cher fils? – Oui, très Saint-Père. – Et contre « qui protestez-vous, Monsieur? ». Non nisi silentio et rubore ille respondit.

* *Medulla theologiae dogmaticae*, tract VI, *De Deo creante*, c. III, art. 1, n. 600. Edit. alter., Oeniponte, 1885.

nantur. Si excedentes audias, tantopere elevatio originalis erat veluti necessaria, ut natura pura sit dicenda impossibilis; si vero deficientibus credas, tantopere natura pura sibi sufficit, ut elevationis non solum sit recusandum factum, sed et ipsa deneganda possibilitas.

De quibus omnibus fuse nobis erit agendum in tractatu *De gratia*. Interim eos breviter indicare sufficiat.

Inter hos defectus et excessus uti media stat catholica fides, ex una parte contra deficientes affirmans, protoparentes fuisse divinitus super naturam donis gratiae ornatos et praeter naturam dotibus integritatis dotatos; ex altera vero contra excedentes proclamans: « haec omnia praeclara decora atque « charismata ex sola Dei liberalitate in primos homines ema- « nasse..., nec ullo modo naturae debita fuisse ». [1]

SECTIO I.

DE HOMINIS ELEVATIONE

(Q. XCIV - Q. CII)

Considerationes introductoriae.

Argumentum in hac Sectione evolvendum egregie continetur in capite tertio schematum Constitutionum dogmaticarum Concilii Vaticani: « Itaque (Deus) praeter dona, « quibus in propria natura (primus homo) perficeretur, Spiri- « tum Sanctum ei infudit, ut, natura quidem servus, sancti- « tatis autem gratia filius, iam non solius naturae vigore, « sed charitate desuper infusa, divina mandata et virtutis « opera exequendo, aeternam beatitudinem promereretur. Ad « haec carnem spiritui gratia sua plene subiectam fecit, et « mortis ipsius timorem a mortali removit. Mortalis quippe « erat homo conditione corporis animalis, immortalis autem

[1] PERRONE, op. cit., n. 296.

« beneficio Conditoris. [1] ..... Haec illa est hominis elevatio « quam, SS. Patrum vestigiis insistentes, Doctores catholici « recte supernaturalem vocaverunt, ut quae naturae creatae « tum vires tum exigentiam transcendebat, ideoque nec « meritis, nec naturali conditioni hominis debita, sed gra- « tuitum sit divinae largitatis beneficium ». [2]

Licet S. Thomas de hac originali hominis elevatione nullum ex professo scripserit tractatum, non inde desunt elementa ad eum ex Angelici operibus conficiendum.

Imprimis *statum primi hominis* in Q. XCIV et sequentibus lucide exponit, discernens in eo quid sit naturae simplicis, quid naturae dotibus ornatae ipsam in se perficientibus, quid gratiae naturam supra se elevantis. Insuper quaerens *de visione essentiae Dei,* Q. XII, supernaturalem eius indolem statuit. [3] Nec deest respectus ille supernaturalis in Q. XCIII *de fine productionis hominis;* et in I-II, Qq. I-V, *de fine hominis seu beatitudine.* Omitto locos ubi, de gratia agens, S. Doctor elevationem hominis uti fundamentum supponit; necnon omnia quae, in mysteriis originalis culpae et Incarnationis, de eadem elevatione amissa et reparata tractant. Alia insuper ex variis scriptis S. Thomae deprompta loco suo assignabimus.

Quae quum ita sint, haerebimus magis Quaestionibus de statu primi hominis, ordinem Angelici in istis sequendo, hac ratione, ut mentem principalius figamus in ea quae argumentum nostrum magis expresse tangunt, dataque opportunitate, sive in praenotaminibus, sive in adiunctis corollariis, quaesitis connexis et appendicibus, aut imo dissertationibus, integram inde doctrinam conflemus.

Porro inter auctores qui de ordine *naturali* et *supernaturali* scripserunt, praeter libros Augustini contra Pelagianos, aliaque hic illic in Patribus collecta, habemus ex tempore florentiore Scholae, Rupertum (*In Genesim*), Hugonem Victorinum (*de Sacramentis*), Magistrum (II, Dist. XXVI sqq., cum eius commentatoribus ibidem, imprimis ipsum S. Tho-

[1] Cf. S. Aug., *Enchiridion,* c. 25. - *P. L.,* t. XL, col. 244, sq. – *De Civitate Dei,* l. XII, c. 21. – *P. L.,* t. XLI, col. 372, etc.

[2] D. Conr. Martin, *Omnium Conc. Vatic. docum. collectiv.,* p. 23. – Cfr. can. 1 et 3.

[3] Cfr. tractatum nostrum *De Deo Uno,* t. I, p. 421 sqq.

mam, S. Bonaventuram, necnon Estium et Billuart. Insuper Alex. Halensem, (II, 2, Q. XCI et 3, p. q. 62). Posteriori aetate Suarezium (*De opere sex dierum et Proleg. in Tract. de gratia*); Card. Bellarminum (*De gratia primi hominis*); Petavium (*De opif. sex dierum*, l. II); Ripalda (*De Ente supernat.*); Dominicum Soto (*De natura et gratia*); Card. d'Aguirre, O. S. B. (*S. Thomae Theologia de natura hominis pura et lapsa ctr. Iansenium*, t. III; - *Theol. S. Anselmi*, tract. V); Kilber (*De ente supernaturali*); Montagne (*Tractatum de gratia*); Bijonium (*De auxil. gratiae*); Merlin (*La véritable clef di St Augustin*); Schrader (*De triplici ordine naturali, praeternaturali et supernaturali*); Schäzler (*Natur und Gnade*); Scheeben (*Handbuch der Kath. Dogm.*, l. III, c. 3; - *Die Mysterien. des Christenthums;* - *Natur und Gnade;* - *Die Herrlichk. der göttl. Gnade*); Cros (*Etude sur l'ordre naturel et l'ordre surnaturel*); - Kleutgen (*Theol. der Vorzeit*, tr. VI, c. 1); Faure (*Exchirid. S. Augustini*); Casinium (*Quid est homo?*); Glossner (*Lehre des H. Thomas von der Gnade*); Matignon (*La question du surnaturel*); Terrien (*La grâce et la gloire*); Goudin (*De gratia*); Plessis d'Argentin (*De gratia primi hominis et Angelorum*); Borgianelli (*Il soprannaturale*); Card. Zigliara (*Propaedeut. ad Sacr. Theol.*, l. I); Weiss (*Apol. Christ.*, t. V; - *Natur und Übernatur*); Hettinger (*Lehrbuch der fundam. Theol. oder Apologetik*, I B.); Illm̃um Ullathorne (*The Endowments of man*); Garrigou-Lagrange (*De revelat. per Eccl. cath. proposita*); - adde theologos quos in praeambulo praecedentis voluminis laudavimus, quibus adde Jungmann et Wilhelm Scamel (*Manuel of Cath. theology*, § 136); Rich. Tabarelli (*De gratia Christi Prolegom.*); - ex operibus exegeticis et biblicis, praeter Patres, in aetate posteriori, Cornelium a Lapide, Maldonatum, Calmetum, Pereirium; e nostra, Vigouroux, Murillo, Hoberg, aliosque in tractationis decursu adducendos.

His praemissis, iam ad exponendam doctrinam de statu primi hominis accedamus, duce S. Thoma, cuius Q. XCIV ad Q. CII - adiuncta Q. CXIX - ex ordine sequemur.

Dissertatio praevia de triplici ordine naturali, supernaturali et praeternaturali.

Antequam ad Aquinatis textum accedamus, oportet quasdam praemittere notiones de conceptu ordinis naturalis, supernaturalis et praeternaturalis, brevemque praemittere synthesim donorum quae constituebant primaevam protoparentum integritatem.

I. Quum elevatio hominis ad statum supernaturalem imprimis sit *factum historicum* documentis divinae auctoritatis nobis constans, inspecto statu seu conditione primi hominis qualis a Scripturis exhibetur, mens ad notitiam huius elevationis absque labore pervenire potest, modo adaequatam apprehensionem habeat tum eorum quae a natura humana exiguntur uti sibi debita, tum eorum quae illam exigentiam superant. Defectus enim huius apprehensionis ad falsum iudicium conducere natus est, quatenus quae debitum sive ex toto, sive ex parte excedunt, tamquam debita mens apprehendit. Quanta praeiudicia, quam subtiles errores ex hac falsa ordinum delimitatione consequantur, et per se patet, et ex ipsa dogmatum historia, heu nimis, illustratur. Quare, ut confusioni ab initio praecludatur via, quid τοῦ *naturalis*, quid τοῦ *supernaturalis*, quid demum τοῦ *praeternaturalis* nomine intelligendum sit, praemittendum videtur.

Ipsam autem *possibilitatem* elevationis hominum ad statum supernaturalem hic potius supponimus,[1] quum de illa iam alibi in expositione Quaestionis I nonnihil dixerimus.[2]

[1] De vi demonstrationis positivae et a priori possibilitatis huius elevationis non concordant theologi. Chr. Pesch, arguens partim contra Ripalda,* partim contra Palmieri,** eam potius censet inefficacem.***

[2] Tract. *De Deo uno*, t. I. Cf. RIPALDA, qui fusius de hoc argumento tractat (*De ente supern.*, disp. 25), necnon MATIGNON (*La question du surnaturel*). S. Thomas hanc quaestionem agitat tractans de visione Dei (I, Q. XII, a. 1. – *Summ. ctr. Gentiles*, l. III, c. 50-57); ubi consule egregium commentarium Ferrariensis.

* *De ente supernat.*

** *De Deo creante et elevante – De praeternaturalibus*, p. 308.

*** *De Deo creante et elevante. – De ordine naturali et supernatur.*

Impraesentiarum monere sufficiat, non solum factum huius elevationis per ipsam revelationem constare, et ab esse ad posse valere illationem; sed et prostare factum notionis apud homines sparsae de reali existentia ordinis supernaturalis,[1] cuius facti non solum est inquirenda causa, sed et causa facto proportionata; quae causa nulla alia inveniri potest quam ipsa historica huius ordinis supernaturalis institutio. Quod enim Tullius ait de veritatibus fundamentalibus: « Opi-« nionum commenta delet dies, naturae iudicia conformat »,[2] valet quoque de facto tam late agnito, et nobiliori hominum adspirationi tam perfecte consono.[3]

Nec iterandae sunt hic pugnae cum illis qui, ducti principiis aliunde petitis atque falsis, hunc ordinem supernaturalem a priori impugnant: sensistae scilicet et materialistae, subiectivistae, transcendentalistae, praeter levissimos cuiusvis conceptus religiosi derisores.[4] De quibus omnibus valent illa Christi verba: « O stulti et tardi corde ad credendum! ».[5]

Caeterum, uti iam alibi monebamus, revelatio nos ponit in possesso; unde contra eam impugnantes non oportet ut directe fidei dogmatum possibilitatem ostendamus; sufficit ut indirecte monstremus, ea non esse impossibilia, ostendendo inefficaciam argumentorum quae contra eadem dogmata ab adversariis afferuntur.

Huc faciunt pulcherrima S. Augustini verba: « Dicet ali-« quis: Quid tu tanta tritura dissertationis huius, quid gra-« norum exuisti, quid eventilasti? Cur propemodum in quae-« stionibus adhuc latent omnia?[6] Affirma aliquid eorum, « quae multa posse intelligi disputasti. - Cui respondeo: ad

[1] Cf. HAVET, *Le Christianisme et ses origines*, Paris, 1873, tom. I, num. 1, c. 2, p. 50.

[2] *De Nat. deor.*, l. II, c. 2.

[3] Ipse Bayle affirmare non timuit: « Ratio manifestat homini suas tenebras, « suam impotentiam et revelationis necessitatem ». *

[4] Hos omnes docte confutat Card. Zigliara in laudato opere *Propaedeutica ad Sacram Theologiam*, l. I, c. 3 sqq.

[5] LUC., XXIV, 25.

[6] Hoc Augustini dictum modo speciali valet de variis adspectibus conditionis originalis in hac Sectione perscrutandis. Sed in quaestiones ex indole sua tam obsconsas, aliquid introspexisse, iam est ardui conaminis digna merces.

* Apud S. Alphonsum (*Riflessioni sulla verità della rivelazione*, c. 1. *La divina rivelazione è necessaria e non è contraria alla ragione*).

« eum ipsum me cibum suaviter pervenisse, quo didici non « haerere homini in respondendo secundum fidem, quod « respondendum est hominibus qui calumniari libris nostrae « salutis affectant, ut quidquid ipsi de natura rerum veraci- « bus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris « libris non esse contrarium; quidquid autem de quibuslibet « suis voluminibus his nostris litteris, id est catholicae fidei « contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate osten- « damus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum; « atque ita teneamus Mediatorem nostrum, in quo sunt « omnes thesauri sapientiae atque scientiae absconditi,[1] ut « neque falsae philosophiae loquacitate seducamur, neque « falsae religionis superstitione terreamur ».[2]

Imo cum omni mansuetudine pietatis ad huiusmodi quaestiones esse accedendum, monent haec alia eiusdem Doctoris verba: « Opus est ut, pietate mansuetus et mitis, etiam quae « nondum intelligis, et quae imperitis videntur absurda sibi- « que contraria, non oblucteris animosa contentione; nec « superimponas sensum tuum sensibus divinorum librorum; « sed cedas potius, atque intellectum mitis differas, quam « secretum immitis accuses ».[3]

1) Itaque *naturale* dicitur quod est a natura, quod convenit naturae. Inquirendum est proin in ipsam *naturam*, ut τὸ *naturale* definiri possit.[4]

Iam vero *natura* (φύσις) dicitur multipliciter: *a*) a *nativitate*, ipsa generatio, active sumpta; - *b*) ipsum *principium generationis*, sive formale, sive materiale; - *c*) *terminus generationis*, passive sumptus. Hoc ultimo sensu *natura* est *quod quid est;* complectitur proin ea omnia et sola quae requiruntur ut aliquid sit hoc quod dicitur. Natura, v. gr.,

[1] Col., II, 3.

[2] *De Gen. ad Litt.*, l. I, c. 21, n. 41. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 262.

[3] *Epist. 271 fragm. ad Maced.*

[4] Optime monet Hettinger* terminologiam « physicam », « physice » indicare realitatem, quin adiungat significationem naturae in stricto sensu sumptae. « Physice » itaque opponitur tum contra « logice », tum contra « moraliter », et quasi idem sonat ac « realiter ». Quare quando sermo est, v. gr., de physica praemotione, haec potest intendi in ordine gratiae, sicuti et naturae.

* Op. cit., p. 100 sq.

hominis complectitur ea omnia sine quibus homo non esset homo.

Optime S. Augustinus: « Nam et ipsa natura nihil est « aliud quam id quod intelligitur in suo genere aliquid « esse; itaque, ut nos iam novo nomine ab eo quod est esse, « vocamus essentiam, quam plerumque etiam substantiam « nominamus; ita veteres,[1] qui haec nomina non habebant, « pro essentia et substantia naturam vocabant ».[2]

Ratione nativitatis, a qua vox naturae deducitur, speciali sensu *natura* vocatur complexus omnium rerum quae generatione producuntur, sive rerum corporearum, una cum legibus intrinsecis easdem gubernantibus.

Applicando has *naturae* significationes, τὸ *naturale* est illud omne quod convenit rei ex hoc ipso quod est illud quod est: qualitates, proprietates, facultates, quae sunt rei constitutivae, earumque per vires proprias evolutio. Insuper *naturale* est illud omne quod sequitur ex legibus quae creaturas corporeas in sua universalitate sumptas regunt.

Verbo, naturale alicui rei est, quidquid ad eam pertinet, ut verbis utar laudati Hurter,[3] vel constitutive, vel consecutive, vel dynamice, vel exegitive, vel finaliter.

Bene τὸ naturale describit Illmus Waffelaert, Episc. Brugiensis: « Par *naturel* (de nasci, *naître*) nous entendons ce « qui est propre à une créature quelconque de par son ori- « gine, ce qui lui appartient de droit par là-même qu'elle « sort des mains de son Créateur, ainsi tout ce qui appar- « tient à son être essentiel, à sa nature, comme ses facul- « tés, ses forces, comme aussi son activité, les perfections « propres à son être et celles que cette créature a pu requé- « rir par ses propres efforts et son travail ».[4]

Porro praeter sensus *a*, *b*, *c* superius allatos, datur et alius non praetereundus, propter modum quo Patres eum

[1] Erronee legitur apud Hettinger (op. cit., p. 100): « ita *ut* veteres », - quae non potest esse nisi lectio corrupta ab hac: « ita et veteres ».

[2] *De mor. Manich.*, l. II, c. 2. – *P. L.*, LXXXII, col. 1346.

[3] *Medulla*, loc. cit., art. 2, n. 603.

[4] *Méditations théologiques*, t. I, pars I, chap. I, scol. 2, art. 1, p. 61. Bruges, Charles Beyaert, 1910. – Lege hunc integrum articulum, cui titulus: *De la différence entre l'état d'intégrité et l'état de déchéance. Description sommaire de ce dernier état.*

adhibent et propter confusiones ad quas, incaute usurpatus, conducere potest. Audiatur ipse S. Thomas.[1]

« Natura uno modo dicitur ipsa nativitas, alio modo « essentia rei, unde naturale potest aliquid dici dupliciter: « uno modo, quod *est tantum ex principiis essentialibus rei*, « sicut igni naturale est sursum ferri; alio modo dicitur « esse homini naturale quod *ab ipsa nativitate* habet, secun- « dum illud: " Eramus *natura* filii irae „ „ [2] et: " Nequam est « natio eorum, et *naturalis* malitia ipsorum „ ».[3] Hunc alterum sensum mere historicum et extrinsecum esse satis apparet; dum prior est intrinsecus, considerans non solum factum, sed et ius. Hoc priori sensu intelligimus naturam et naturale. Altero sensu Augustinus, contra Pelagianos disputans, naturale aliquando vocat illud quod homini originaliter erat insitum, atque ex intentione divina ipsi debebatur.

Exemplo sint verba sequentia: « Ipsam naturam aliter « dicimus, cum proprie loquimur, naturam hominis in qua « primum in suo genere inculpabilis factus est; aliter istam « in quo ... nascimur ».[4] Qua sententia abutebantur Baius[5] et Quesnellus,[6] ut gratiam stricte dictam in primo statu hominis nondum adfuisse, contenderent.

Quousque istud debitum, non quidem a parte habentis, sed a parte dona conferentis, eaque in homine exigentis, conducat ad ipsam naturalem perfectionem, si adsint, ad eius autem degradationem, si desint, melius apparebit in secunda Sectione huius tractatus, in qua de lapsu hominis disputabimus.

Adverte autem, uti optime monet S. Thomas, dupliciter intelligi posse debitum: « Unum quidem ex merito prove- « niens, quod refertur ad personam, cuius est agere meri- « toria opera, secundum illud ad Romanos, IV, 4: " Ei qui

[1] III, Q. II, 12, in C.

[2] EPHES., II, 3.

[3] SAP., XII, 10.

[4] *De lib. arbitrio*, l. III, c. 19, n. 54. - *P. L.*, t. XXXII, col. 1297.

[5] Cf. Prop. 1: « Nec angeli nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia » (Ibid., n. 881).

[6] Cf. Constit. *Unigenitus*, Prop. 34: « Gratia Adami non producebat nisi merita humana » (DENZIGER, *Enchir.*, n. 1249).

« operatur, merces imputatur secundum meritum, non secun-
« dum gratiam „. Aliud est debitum secundum conditionem
« naturae, puta si dicamus debitum esse huic homini, quod
« habeat rationem et alia, quae ad humanam pertinent natu-
« ram ... Dona naturalia carent primo debito, non autem
« carent secundo;[1] sed dona supernaturalia utroque debito
« carent, et ideo specialius sibi nomen gratiae vindicant ».[2]

Reducto igitur τῷ *naturali* ad illud « quod est in prin-
« cipiis rei », manifestum est illud respicere tum genus, tum
speciem, imo et accidentia sine quibus individuum in specie
esse nequit.

***

II. Iam vero τῷ naturali opponitur contradictorie τὸ *non naturale;* et contrarie, ex una parte τὸ *anti-naturale*, quod deturpat naturam, et ex altera τὸ *supernaturale,* quod eamdem supra vires suas extollit.[3]

Quum autem natura triplici veluti gradu concipi possit: *a*) haec singularis, *b*) universa natura existens, *c*) universa non solum existens, sed etiam possibilis: supernaturale simpliciter seu absolutum intelligitur relate ad naturam in hoc tertio sensu sumptam, quod scilicet ideo superexcedit vires et

[1] Nisi radicaliter, quatenus ipsa natura nulli fuit enti debita. Unde illud Apostoli: « Quid habes quod non accepisti? » (I Cor., IV, 7).

[2] I–II, Q. CXI, a. 1, ad 2.

[3] Hinc definitiones τοῦ naturalis et τοῦ supernaturalis sibi invicem per oppositionem respondent. Iure proin cl. Palmieri ita thesim formulat: « Seposita significa-
« tione vocis *naturale* prout significat sive id quod originem aut nativitatem comi-
« tatur, sive id quod naturae conveniens est, *naturale* sensu presso dici solet tum
« id quod essentiam rei constituit, tum magis proprie id quod ad essentiam sive
« naturam rei necessario consequitur, atque id quod a natura exigitur ne ipsa eiusque
« vires frustra sint: quodque continetur ordine earum rerum quae a natura, ne fru-
« stra sit, exiguntur, atque id proinde ad quod est potestas activa in natura, et
« quod idcirco aliqua natura ab alia pati potest. Quapropter supernaturale proprie
« dictum illud est, quod perfectius quidem est, attamen nec essentiam aut naturam
« rei, cui inest, constituit, neque ex essentia aut natura eiusdem necessario conse-
« quitur, neque ab ea exigitur ne ipsa eiusque vires frustra sint, neque ordine earum
« rerum continetur, quae a natura, ne frustra sit, exiguntur: neque proinde est in
« potentia activa naturae, neque in passiva alicuius naturae comparata cum aliis
« viribus creatis ». *

Bene pariter Rich. Tabarelli: « Essentialiter, seu *constitutive* naturales sunt
« homini anima rationalis et corpus, *consequenter* naturales sunt facultates et ope-

* *De Deo creante et elevante,* th. XXXI.

exigentias cuiusvis naturae non solum existentis, sed et possibilis, quia in speciali participatione boni ipsius divini consistit, sive, uti efficacissime loquitur S. Petrus, in consortio divinae naturae.[1] Quae autem non dicuntur nisi ad naturam in primo aut imo in altero sensu intellectam, non sunt supernaturale nisi secundum quid, quatenus vel altior datur, vel saltem possit dari natura, cui sit naturale.

En quomodo hanc distinctionem exponit Card. Zigliara: « Supernaturale est quid relativum, quatenus nempe dicitur « relative ad naturae vires, supra quas constituitur. Sed « natura, prouti nunc accipitur a nobis, duo distincta significare potest: scilicet, vel naturam aliquam determinatam « (puta lapidis, hominis, angeli), vel naturam universam, « nempe complexum seu collectionem et ordinem omnium « rerum, tum creatarum tum caelestium. Ergo supernaturale dicitur vel quia est supra vires alicuius determinatae « naturae, vel quia supra vires totius naturae. Primum vocamus supernaturale relativum seu subiectivum;[2] alterum « appellamus supernaturale absolutum seu ontologicum. De « primo intelligitur quando dicitur quod e. g. vita respectu « lapidis, vel intelligentia respectu brutorum animalium sit

« rationes vitae spiritualis et sensitivae; *exigitive* naturalia dicenda sunt omnia, « quae sunt media ad huius duplicis vitae conservationem, vel ad eius perfectionem « necessaria, licet extrinseca sint, ut alimenta, etc. Hinc supernaturale est omne « ens, quod non pertinet ad naturam creatam, neque constitutive, neque dynamice seu « virtualiter, neque exigitive, sed est naturae superadditum et omnino indebitum ». *

Card. Mazzella propositionem ita statuit:

« Veri doni supernaturalis conceptus, si ad Ecclesiae mentem exigatur, in eo « est, ut sit donum: – 1) per se indebitum, – 2) excludens nempe non modo morale « debitum operum, sed etiam physicum naturae, – 3) atque id quidem, quia nec natura constituit, nec ab ea tamquam ab intrinseco principio profluit, nec demum ab « illa exigitur ». **

[1] II Petr., I, 4.

[2] Noli hanc alteram huius distinctionis appellationem ita intelligere ac si supernaturale relativum non esset nisi aliquid subiectivi, sine realitate obiectiva. – Porro cavendum sedulo ne vis huius appellationis « supernaturalis relativi » nimis debilitetur, dicendo: hoc supernaturale esse naturale quoad substantiam, et tantum supernaturale « possessive », quatenus natura non habet per se vim id producendi nec ius ad id acquirendum. Quae loquendi ratio est deficiens, uti optime monet Scheeben,*** et nimis identificat praeternaturale cum supernaturali quoad modum.

* *De gratia Christi. Prolegomena,* Romae, Bretschneider, 1908, p. 3.

** *De Deo creante.* Prop. XXIII.

*** Loc. cit., n. 604.

« aliquid supernaturale;[1] sed ressuscitatio e. g. mortuorum, « certa et infallibilis futurorum liberorum scientia inter super- « naturalia absoluta iure merito computantur ».[2] Supernaturale relativum theologi maluerunt appellare *praeternaturale.*

Penitius iam rem intuenti apparet, in supernaturali, sive absoluto sive relativo, duplicem dari respectum, negativum alterum, alterum positivum. Respectus negativus est defectus exigentiae vel capacitatis ut natura, de qua supernaturale praedicatur, id sibi acquirat; cum hoc utique discrimine, quod absolutum illam negat pro quavis creatura, relativum autem eam concedit pro creatura seu natura altioris gradus, sive de facto existente, sive possibili.

Respectus autem positivus est assimilatio, per elevationem supra se, cum natura a qua vel cum qua participat supernaturale. Quae natura, ubi agitur de supernaturali absoluto, *nequit esse nisi Deus.* Inde Patres ea dona vocant supernaturalia *secundum deificationem,* κατὰ θέωσιν. Nec mirum, quum ipsa Scriptura tam altis eloquiis haec charismata exprimere non vereatur: « Ego dixi *dii estis,* et *filii Excelsi* « omnes »;[3] « Dedit eis potestatem *filios Dei* fieri ».[4] Quibus locis non solum illustratur conceptus τοῦ supernaturalis, sed et factum elevationis creaturae humanae ad dignitatem et finem absolute supernaturalia efficacissime demonstratur.

Quare iure optimo S. Bonaventura ex Scripturae locis quibus creatura exhibetur exaltata ad dignitatem templi Dei, filiationis adoptivae et sponsalis coniugii, demonstrat, ad tam excelsam sublimationem requiri non tantum in homine, sed in creatura omni, dona gratiae undequaque supernaturalis.[5]

Ex tanti doni excellentia sequitur, hoc supernaturale a theologis efficaciter vocari quoad essentiam, vel substantiam, ad illud distinguendum a supernaturali inferioris rationis,

[1] Hoc sensu adhibetur ab Emo Card. Gasquet in laudato libro *Religio religiosi,* ch. V, *The Supernatural.*

[2] *Propaedeutica ad Sacram Theologiam,* l. I, c. 1, § 1, n. IV.

[3] Ps. LXXXI, 6.

[4] IOANN. I, 12. Plures Scripturae textus excellentiam huius elevantis gratiae exprimentes vide sedulo collectos et optime explicatos apud Scheeben (op. cit., n. 658 sqq.); qui et in alio opere, cui titulus: *Die Herrlichkeiten der göttl. Gnade,* de gratiae huius excellentia pulcherrime disserit (c. 1).

[5] Cf. Appendicem de mente S. Bonaventurae ad Q. XCV.

quod quoad *modum,* vel *accidens* supernaturale appellant, quia, licet in re sit aliquid naturale, uti visus, auditus, supernaturali tamen Dei operatione eo carenti confertur.

Hanc essentialem, substantialem elevationem in *unione hypostatica* culmen suum attigisse, agentes de hoc mysterio conati sumus illustrare. Ad imaginem veri Filii Dei naturalis, et in unione cum Ipso, nostra quoque elevatio est comparticipatio divinae naturae. In qua elevatione considerare possumus principium, viam, terminum.[1]

Principium est gratia sanctificans, via sunt omnia a Deo dona in finem ordinata, terminus est visio beatifica. Unde hoc tertium vocatur supernaturale *beatificans* vel *glorificans,*[2] primum, supernaturale *sanctificans,*[3] secundum, supernaturale *secundum vim sanctificatricem.*[4]

Unde S. Ioannes hos varios adspectus simul comprehendit his pulcherrimis verbis: « Videte qualem charitatem « dedit nobis Pater, ut filii eius nominemur et simus. Caris« simi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid eri« mus.... Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, « quoniam videbimus eum sicuti est ».[5]

Quod totum continetur in primis verbis orationis Dominicae, *Pater noster, qui es in caelis.*[6] Eloquenter valde id evol-

[1] Sub alio respectu potest considerari terminus a quo, via et terminus ad quem. Qui autem a termino a quo nos ducit ad terminum ad quem est ipse Mediator Homo-Deus. Pulcherrime id exprimit S. Augustinus: « Erigat te Christus per id quod « homo est, ducat te per id quo Deus-homo est, perducat te ad id quod Deus est ». *In Ioann.* tract. XXIII, n. 6. *P. L.,* t. XXXV, col. 1585.

[2] Εὐδαιμονικὸν vel δοξαστικόν.

[3] Καθ' ἁγιασμόν.

[4] Καθ' ἁγιαστικὴν δύναμιν (Cf. SCHEEBEN, *Kath. Theol.,* VI, p. 240 sqq.).

[5] 1 IOANN. III, 1, 2.

[6] Christianam originem et sublimem excellentiam Orationis Dominicae docte nuper a rationalistarum, imprimis Harnack, impugnationibus vindicavit cl. J. B. FREY in opella cui titulus: *Le Pater est-il juif ou chrétien?* Cuius en ultima verba: « Toutes « les tentatives par lèsquelles on s'efforce de dépouiller le *Pater* du cachet divin que « Jésus-Christ lui a imprimé et de le rabaisser au niveau d'un décalque sans valeur, « sont inefficaces et n'aboutissent qu'à mettre davantage en lumière sa beauté tran« scendante. Par sa simplicité, sa concision, la succession harmonieuse et coordonnée « de ses demandes, sa correspondance parfaite à tous les besoins de l'âme, la sublimité de ses enseignements, l'Oraison dominicale est unique dans son genre: elle « est vraiment la prière de l'humanité ».*

* Extrait de la *Revue Biblique* (Juillet 1915).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

vit S. Petrus Chrysologus. « *Pater noster, qui es in caelis.* « Hoc est quod pavebam dicere; hoc est quod trepidabam « proferre; hoc est quod neque caelestium, neque terrestrium « quemquam sinebat servitutis propriae conditio suspicari: « caeli et terrae, carnis et Dei tantum repente posse prove- « nire commercium, ut Deus in hominem,[1] homo in Deum, « Deus in servum, servus verteretur in filium, fieretque divi- « nitatis et humanitatis ineffabili modo una et sempiterna « cognatio. Et quidem Deitatis erga nos dignatio tanta est, « ut scire nequeat quid potissimum mirari debeat creatura: « utrum quod se Deus ad nostram disposuit servitutem, an « quod nos ad divinitatis suae rapuit dignitatem. *Pater noster,* « *qui es in caelis.* Stupor insurgit; Christus de Dei Patris « pectore matrem vocat et fatetur in terra; et homo de ma- « tris[2] utero patrem vocat et confitetur in caelis. *Pater noster,* « *qui es in caelis.* Quo te homo repente provexit gratia? quo « te rapuit caelestis natura? ut in carne et in terra positus « adhuc, et carnem et terram nescias, dicendo: *Pater noster,* « *qui es in caelis.* Qui ergo se tanti Patris filium credit et « confitetur, respondeat vita generi, moribus Patri, et mente « atque actu asserat quod caelestem consecutus est natu- « ram ».[3]

Sed haec ipsa invocatio quam nos docuit Christus, aliam excellentiam in se continet, iuxta pulchre dictum Augustini: « Qui Patri Christi dicit, *Pater noster,* quid dicit Christo, « nisi, *Frater noster?* ».[4] Unde S. Doctor, paucis interiectis addit: « Ergo gratulemur et agamus gratias, non solum nos « Christianos factos esse, sed Christum. Intelligitis, fratres, « gratiam Dei super nos capitis? Admiramini, gaudete; Chri- « stus facti sumus. Si enim caput ille, nos membra; totus « homo, ille et nos ».[5]

Hanc sublimem contemplans dignationem Dei, recens pius auctor exclamat: « Bonté sans limites, vous voulez répandre

[1] Scilicet per Incarnationem, iuxta pulchram sententiam Augustini: « Factus « est Deus homo, ut homo fieret Deus » (*Serm. XIII de Temp.*).

[2] Inde et Ecclesia dulci matris nomine solet appellari.

[3] *Orat. 68.*

[4] *In Ioann.*, tr. XXI, n. 8. – *P. L.*, t. XXXV, col. 1565.

[5] Ibid., n. 8, col. 1568.

« au dehors votre vie interne. Vous dites: et vos œuvres « s'élancent du néant pour manifester vos perfections et « chanter votre gloire.

« Un abîme existe entre vous et la poussière animée par « votre souffle, votre Esprit d'amour veut le combler; il aura « ainsi le moyen de satisfaire son immense besoin d'aimer « et de se donner.

« Il provoque donc en votre sein le décret de *notre divini-* « *sation*. Cette boue [1] façonnée par vos mains pourra, ô pro- « dige, être déifiée et avoir part à votre bonheur éternel ».[2]

Porro, quemadmodum unio hypostatica supponebat in humana natura dignitatem rationalem, ita quoque haec sublimatio naturae ad filiationem divinam non potest concipi nisi in creatura, quae per dignitatem intellectualem iam in se fert Dei imaginem, in qua sit veluti fundamentum, cui gratiae aedificium superstruatur. Et sane nonnisi creatura libera potest vere vocari Dei ancilla. Quare huiusmodi dumtaxat creatura potest elevari in filiam.

Haec radicalis capacitas a theologis vocari solet potentia *obedientialis*.[3] Quae tamen, rite intellecta, nihil minuit de gratiae dignitate absolute supernaturali quoad substantiam.[4]

Hanc potentiam optime ita describit S. Augustinus. « Posse « habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturae est

[1] Intellige lutum rationali animatum spiritu, sine quo deesset in luto ista capacitas radicalis ad participationem supernaturalem vitae divinae per intellectum et amorem. Imo ipsam hypostaticam unionem carnis ad Verbum in Christo mediante anima esse factam, in tractatu *De Deo-Homine* vidimus.

[2] Dom. J. B. CHAUTARD, Abbé de N.-D. de Sept-Fons, *L'âme de tout Apostolat*, 4e édit., p. 1 sq.

[3] De hac potentia obedientiali fuse tractat, utique iuxta sententiam suam superius relatam de possibilitate creationis naturae supernaturalis, RIPALDA (op. cit., l. II, Disp. XXV-XXVIII).

Bene cl. Palmieri de hac potentia thesim ita formulat: « Non est in natura nisi « potentia obedientialis ad visionem Dei caeteraque dona supernaturalia: quae po- « tentia obedientialis per se ipsam passiva, communis est facultati naturali tum « passivae, tum activae, quoque a potentia naturali proprie distinguenda est; quam- « vis certa quadam ratione non immerito a quibusdam vocata sit potentia natu- « ralis ». *

[4] Contra hanc legem radicalis proportionis peccabat Lockius, quando ad omnipotentiam Dei provocabat ut materia fieret cogitandi capax. Quod ob intrinsecam et

* Op. cit., Thes. XLI.

« hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere « charitatem, gratiae est fidelium ».[1] Cuius potentiae obedientialis fundamentum est dignitas rationalis, qua homo est imago Dei. « Bonam dicis " hominum naturam, quae talis « gratiae opitulationem meretur „. Quod gratanter audirem, « si hoc propterea quia rationalis natura est, diceres: neque « enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum « lapidibus, aut lignis pecoribusve praestatur, sed quia imago « Dei est, meretur hanc gratiam ».[2]

Eamdem potentiam bene illustrat S. Thomas: « In natura « humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex « potentia passiva: una quidem per comparationem ad agens « naturale; alia vero per comparationem ad agens primum, « quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem « altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale, et « haec consuevit vocari potentia obedientiae in creatura ».[3] Quo textu aliqui abutuntur, quasi S. Doctor in omni creatura admisisset potentiam obedientialem ad omnem actum; quod in hoc textu nullo modo continetur. Sed principium fundamentale ponit de potentia passiva obedientiali cuiusvis creaturae relate ad rationem primi agentis. De hac potentia obedientiali, utrum necne supponat intermediam qualitatem, quae supernaturalia coniungat naturae elevatae;[4] et praesertim de potentia obedientiali activa relate ad opera supernaturalia vitalia, alibi plura dicemus.

absolutam disproportionem tantopere repugnat, ut hanc nec Dei omnipotentia supplere possit. Quod bene S. Alphonsus, arguens contra Lockium et Voltaire, * ita illustrat: « Dio può tutto, ma non può fare ciò che ripugna; come ripugna che la natura « d'una cosa sia natura di un'altra cosa diversa; onde, siccome Dio non può fare « che la natura del circolo sia la stessa del triangolo, o che la natura dell'acqua sia « la stessa di quella del fuoco: così parimenti non può fare che la materia abbia la « natura dello spirito ». **

[1] *De praed. SS.*, c. 5, n. 10. – *P. L.* XLIV, col. 968.

[2] *Ctr. Jul.*, l. IV, c. 3, n. 15. Ibid. col. 744. Cf. *De Gen. ad litt.* l., IX, c. 17, n. 31, 32. Qui locus summi momenti est. – *P. L.*, XXXIV, col. 406.

[3] III, Q. XI, a. 1. – Cf. A. GARRIGOU-LAGRANGE, t. I, p. 376.

[4] Cf. RIPALDA, op. cit., Disp. XXIX, sqq.

* Ex una parte Voltaire concedebat repugnare ut materia sit cogitans; ex altera tamen parte impium aiebat asserere, Dei omnipotentiam non posse creare materiam cogitantem.

** *Verità della Fede*, parte I, c. 6, n. 35.

Interim placet afferre haec verba cl. Palmieri: « Itaque « ita est in facultate potentia obedientialis ad actus super- « naturales, ut posito auxilio Dei ipsae sint quae sub Deo « movente totum eliciunt actum supernaturalem: ideoque « ad hoc iam est in ipsis facultatibus potentia obedien- « tialis ». [1]

Celeberrima est inter theologos disputatio utrum absolute repugnet creatio *substantiae supernaturalis*, quippe talis cui naturalia sint celsissima ordinis supernaturalis dona. Communis sententia hanc possibilitatem negat. Adsunt tamen aliqui theologi, qui in affirmativam sententiam propendunt. Inter quos eminet Ripalda, [2] qui pro sua sententia explicite adducit Molinam, Valentiam, Becanum et Aegidium Coninck; implicite autem non solum quotquot cum Durando censent « possibilem esse substantiam intellectualem, cui est conna- « turalis visio intuitiva Deitatis », quum nullum donum hac visione celsius fingi possit; sed etiam eos qui, cum Ochamo, Gabriele et Baconio « volunt, non repugnare substantiam « rationalem, et liberam suapte natura impeccabilem ». [3]

Agnoscit Ripalda suam sententiam habere contra se argumentum auctoritatis, quo se ductum quoque fatetur Scotus;

[1] Op. cit., th. XLI, p. 343. – Ex hac potentia obedientiali fluit illa radicalis harmonia quae inter naturam existit et gratiam, licet ordinis sint distincti. Bene id exprimit Iosephus Herby in prologo libri cui titulus: *Christus:* « De nos jours les adver- « saires de notre foi abusent étrangement des comparaisons entre le christianisme « et les autres religions. Par ignorance ou par mauvaise foi, on tait les différences « et l'on exagère les analogies avec le dessein secret ou avoué d'arracher à la reli- « gion chrétienne son auréole divine. C'est là méthode erronée et sophistique. L'er- « reur porte sur la conception même du surnaturel... C'est ignorer que dans la doc- « trine catholique l'ordre surnaturel et l'ordre naturel ne sont ni disparates ni « contraires, mais que l'un dépasse l'autre en le dilatant et en l'approfondissant, que « le surnaturel suppose en nous des capacités radicales et des virtualités foncières « qu'il met en acte et perfectionne. Quoi d'étonnant que l'on puisse noter entre ces « deux ordres des analogies et des contacts? ».*

[2] *De ente supernaturali*, l. I, Disp. XXIII.

[3] Ibid. lect. 1. Haec tamen consequentia est minus urgens; nam, uti ipse Ripalda fatetur, « quippe mea opinione potest esse substantia supernaturalis, quae non sit « suapte natura impeccabilis; et nominalium aestimatione potest esse suapte natura « impeccabilis, quae non sit supernaturalis, sed naturalis ».

* *Christus. Manuel d'histoire des religions.* Gabr. Beauchesne, Paris, 1913. – Adde, mythos aliarum religionum in his quae ad revelationem plus minusve appropinquant, vestigia esse revelationis primitivae.

sed nihilominus censet, eam posse efficaciter ex ratione suaderi: « Duabus propositionibus, ait, rem decerno. Prima est: « stando auctoritati, absolute est tuenda sententia quae negat « possibilem substantiam supernaturalem, ac proinde affirmat « supernaturalia esse super omnem substantiam creabilem. « Secunda: auctoritas talis sententiae negantis tanta non [1] « est, ut absque nota temeritatis non possit defendi libere « affirmans ».

Censemus, in hac quaestione ab auctoritate et traditione non esse recedendum. Caeterum plura de hoc argumento dicemus in ipso tractatu *De gratia*. Quare supernaturale absolute quoad substantiam tenemus esse, quod excedit non solum naturam omnis naturae creatae, sed et creabilis.

Hinc supernaturale absolutum subdividi solet in supernaturale per essentiam et per participationem: per essentiam est ipse Deus, per participationem est communicata creaturae participatio naturae divinae.

Ex hac notione τοῦ supernaturalis quoad substantiam - utique participative - sive absolute, sequitur gratiam Dei fuisse in statu innocentiae necessariam eodem titulo fundamentali quo nunc. « Natura humana, ait Augustinus, etiamsi in illa « integritate in qua condita est permaneret, nullo modo « seipsam Creatore suo non adiuvante servaret. Quum igitur « sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit; « quomodo sine Dei gratia potest reparare quam perdidit? ». [2] Unicum discrimen est in maiori iuvamine naturae lapsae necessario, - praeter initialem gratiam reparationis, - ob maiorem debilitatem liberi arbitrii. De quo discrimine fuse erit agendum in ipso tractatu *De gratia*.

Porro adverte, finem absolute supernaturalem exigere revelationem qua homo ad eam destinatur. Quod bene exprimit schema Concilio Vaticano preparatum: « Revelatio abso- « lute necessaria dicenda est quia Deus infinita bonitate sua « ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad partici-

[1] Ibid, sect. 2, n. 3.

[2] *Epist. ad Paulinum*, 186, c. 11, n. 37. - *P. L.*, t. XXXIII, col. 830.

« panda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelli-
« gentiam superant ». Quibus verbis consonat canon: « Si quis
« dixerit hominem ad cognitionem et perfectionem, quae
« naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso
« ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profecto
« pertingere posse, anathema sit ».[1]

Insuper liquet, complexum facultatum supernaturalium, utpote naturam elevantium et complentium, habere triplicem respectum ordinis, status et vitae, haud secus ac ipsam naturam. Quod eleganter cl. Jouin ita illustrat: « Le surnaturel
« est un ordre, un état, une vie. Comme ordre, il nous élève
« par la grâce dans une sphère supérieure aux forces et à
« l'essence même de notre nature humaine. Comme état, il
« est, d'après la doctrine du Chef des Apôtres, une partici-
« pation réelle à la nature divine, *consortes divinae naturae.*[2]
« Comme vie, il se manifeste dans un apostolat d'exemple
« et de charité. La grâce lui donne naissance, Dieu son
« développement, les âmes son action ».[3]

Collige ex dictis, nonnisi abusive supernaturale vocari spiritum in oppositione ad materiam; aut, cum Kuhn, in spiritu libertatem moralem, aut impulsum mentis in Deum; aut, cum Drey, aliquid quod originem habet a Deo, quasi tota creatura omnis non esset ab ipso; aut saltem proprietates naturae uti essentiae superadditas. Quo sensu, ad summum perveniret ad supernaturale quoad modum.

Naturalisticus conceptus praevaluit apud plures theologos elapsi saeculi penes Germanos, uti Stattler, Hermes, Günther, Hirscher, ipsumque Kuhn, qui, saltem initio, et in Baium sat proclivem se ostendit. Meritum non leve fuit doctissimi Kleutgen S. I., necnon Scheeben,[4] genuinam doctrinam de ordine supernaturali ad tramitem traditionis catholicae et scholasticae apud suos revocasse.

[1] Cap. 2, c. 3. Apud SCHEEBEN, op. cit., n. 653.

[2] II, PETR., I, 4.

[3] E. JOUIN, *La vénérable Bernadette. – Introduction. Lourdes, la guerre et Bernadette.* – IX, L. Croix, Nevers, 1917.

[4] Eruditione patristica et scholastica, feracitate ingenii, sensu vere catholico, quin et sapore mystico, Scheeben tantopere eminet, ut, nisi vernaculo scripsisset idiomate, plerosque coaevos sacrae disciplinae fama superaret.

***

III. Ex hucusque dictis iam patet, quomodo praeternaturale a supernaturali differat. Hic magis inquirendum est in ipsum *praeternaturale* in se consideratum.

Quod antequam praestemus, sedulo monendum ducimus, non eodem prorsus modo τὸ praeternaturale interdum intelligi a philosophis et a theologis. Sunt philosophi, qui τὸ supernaturale et τὸ praeternaturale sibi veluti duo genera opponant, et in ipso praeternaturali veluti duas species considerent id quod est *praeter* naturam, quin sit *contra* eam, et id quod est *contra* eam. Ita Cardinalis Zigliara, postquam τὸ supernaturale definivit « id quod supra naturam positum « est », pergit: « Iuxta hanc communem significationem « *supernaturale* distinguitur a *praeternaturali.* Primum « enim ideo supra naturam dicitur, quia supra naturae « vires intelligitur constitutum; sed praeternaturale, ut « vocabulum indicat, est illud quod accidit vel fit a viri- « bus naturae, sed praeter vel contra naturae perfectio- « nem. Hinc dicimus non supra, sed praeter et contra natu- « ram esse quod monstrum nascatur; dicimus enim quod « anima humana a corpore separata sit in statu non super- « naturali, nec violento seu contranaturali, sed praeternatu- « rali ».[1]

Unde et corollarium immediate deducit: « Ergo supernatu- « turale significat aliquid, quod per se loquendo est perfe- « ctius eo quod est ordinis naturalis; praeternaturale autem « potest esse imperfectius ». Quare quod nos vocamus praeternaturale, auctor vocat supernaturale relativum, addens: « de praeternaturali nobis non est sermo ».

Iam vero cum plerisque theologis sumimus praeternaturale in sensu magis vicino ad supernaturale relativum, ita ut semper involvat perfectionem, et vires superet naturae cui inesse praedicatur. Si autem pressius cum natura confertur, duo in se involvit: *a*) id, de quo praedicatur, non simpliciter consequi ex natura rei cui inest, *b*) ita

[1] Op. cit., l. I, c. 1, § 1, n. II et III. Cf. GARRIGOU-LAGRANGE (op. cit. t. I, p. 207).

tamen ut non undequaque, intrinsece, eiusdem naturam exsuperet.

Applicando hoc dotibus humanae naturae, de quibus unice praedicatur, habemus, praeternaturalia esse ea omnia quae naturae superiori, angelicae scilicet, simpliciter naturalia sunt (partim quidem, ut ex enumeratione mox constabit), at nihilominus iam in appetentia humanae naturae continentur, ut harmonia perfecta inter utramque, rationalem et animalem, partem qua constituitur homo, sine ulla pacis turbatione existere valeat. Proin dona praeternaturalia comprehendunt ea omnia quae ex una parte perficiunt dominium spiritus in corpus, ex alia parte corpori dotes aliquo modo spirituales conferunt. Unde vocantur a Patribus ἀφθαρσία, *incorruptio,* immunitas a corruptione et perturbatione, a Scholasticis *integritas,* vigor, vivacitas naturae. Et quatenus respiciunt vel animam vel corpus, vocantur haec dona *libertas a peccato,* vel *libertas a miseria.* Proin status hisce dotibus cumulatus *innocentiae* et *beatitudinis* iure merito nomen obtinuit.

Ex supra expositis iam sequitur, in praeternaturalibus dotibus reperiri gradus, quorum infimus naturalibus dotibus valde approximat, supremus minus a supernaturalibus distat. Quod tantopere verum est, ut subtiles inde quaestiones oriantur, subtilesque errores, de quibus mox fusius erit disputandum. Quare non abs re scholastici theologi has omnes dotes vocant *bonum naturale,* quum *perficiant ipsam naturam in se;* non autem, quemadmodum dona supernaturalia, eam *elevant absolute supra se.* Unde Caietanus illa definit: *statum naturae rationali perfecte consonum.* Quae definitio, modo rite intelligatur, non solum continet verum, sed et rationem suadet propter quam Deus in hoc statu hominem condere voluerit, uti ex sequentibus melius apparebit. Inde quidam theologi optimi nominis censent quod, in hypothesi status naturae purae, hae dotes praeternaturales, quae excedunt quidem exigentiam status viae, fuissent tamen in statu termini destinatae hominibus, qui bene vivendo felicitatem aeternam sibi meruissent. Audiatur laudatus Waffelaert: « Il « y a une telle convenance entre la nature humaine et les « dons préternaturels, qu'il semble que Dieu n'aurait pu re-

« fuser ces derniers à titre de récompense finale à l'homme, « même s'il l'avait laissé dans l'état de pure nature. En effet, « le bonheur relatif auquel l'homme aurait été destiné dans « l'état de nature ne se conçoit pas comme pouvant exister « sans l'union indissoluble de l'âme avec le corps, sans l'état « d'intégrité, ni sans l'exemption de la maladie et de la dou- « leur ». [1]

Quod si iam quaeris, utrum praeternaturalia identificentur cum supernaturali *quoad modum,* seu *per accidens,* dicendum est, praeternaturale esse veluti medium quid inter supernaturale quoad essentiam, et supernaturale quoad modum. Ex una enim parte, quemadmodum supra dictum est, praeternaturale non elevat naturam supra seipsam absolute; ex altera vero, non solum eius impotentiae succurrit iuvando, sed illam tollit perficiendo.

Quaeres forte insuper, an et quo sensu dici possit, dotes praeternaturales esse *contra naturam:* ita enim τὸ praeter naturam, παρὰ φύσιν (in oppositione ad κατὰ φύσιν) nonnumquam a Patribus usurpatur. Respondetur, notionem *contra naturam* involvere duo: 1) ut impediantur, ne se explicent, naturae proprietates; 2) ut laedantur ipsius naturae bona. Hoc alterum, in casu, per id ipsum excluditur, quod quaestio movetur de dotibus *perficientibus,* ac proin *de bono.* Igitur quaestio reducitur ad prius. Porro si considerantur in humana natura adspirationes et proprietates partis rationalis, evidens est, praeternaturalia dona nullo modo ipsis obesse, imo potius ipsas ad suam plenam evolutionem adducere. Si autem considerantur proprietates partis inferioris, subtilior evadit quaestio. Fatendum est, praeternaturalia suspendere quoad partem consequentia unionem animae cum corpore, si corpus consideretur per se, independenter ab hac unione. Si autem corpus consideretur ut unioni cum anima destinatum, illud quod ipsum consequitur per se, videtur iam aliqualiter suspensum, non quatenus sine dotibus praeternaturalibus non amplius se evolvit, sed quatenus, ut ita dicam, non amplius evolvi postulat. De quo fusius postea, praecipue ubi de erroribus Baii.

[1] Ibid., p. 66

Ex hucusque expositis collige doctrinam maximi momenti de multiplici hominis statu.[1]

a) Si consideras hominem in puris naturalibus constitutum, habes statum *naturae purae*. *b*) Si consideras hominem insuper ornatum dotibus praeternaturalibus, habes statum *naturae integrae*. *c*) Si consideras ulterius hominem ad finem supernaturalem per supernaturalia dona destinatum, habes statum *naturae elevatae*.[2] *d*) Si consideras hominem ab hac utraque elevatione degenerem, habes statum *naturae lapsae*.[3] *e*) Si consideras hominem redintegratum per opus Christi salvificum, habes statum *naturae reparatae*. *f*) Demum si consideras statum hominis uti in termino supernaturali positi, habes statum *naturae glorificatae*.

Quibus variis statibus alios respondere religionis adspectus, manifestum est. In statu naturae purae non fuisset nisi religio naturalis; quae in statu naturae integrae fuisset altior, quin tamen ascendisset ad religionem stricte supernaturalem; potuisset tamen aliqualiter vocari supernaturalis, quia Deus potuisset in hoc statu mentem humanam speciali collustrare lumine, utique praeternaturali. Utrique statui respondisset religio termini, nam anima humana est essen-

[1] De his variis statibus, inter alios, egregie scripserunt Card. De Aguirre, *S. Anselmi theologia commentariis vindicata*, t. III, Disp. XV, sect. 1; Suarez, *De gratia prolegom.* et *De statibus nat. hum.* – Cf. A. Goudin, *De gratia Dei*, q. 11.

[2] Parumper aliter incedit Card. Caietanus, quem sequitur Paquet, * distinguens inter statum naturae integrae et statum naturae elevatae, statum iustitiae originalis. Sed tunc sumitur utraque expressio in sensu pressiori: natura integra, ita ut significet dumtaxat carentiam fomitis et rebellionis carnis adversus spiritum; iustitia originalis, ut non dicat nisi ordinationem rectam hominis in Deum, quin involvat restitutionem supernaturalem, quae per dona gratiae obtinetur. Hic gradus addit naturae integrae quidquid sensus plenior integritatis addit sensui strictiori. Noster modus incedendi magis arridet, quia nitidius varios ordines distinguit.

[3] Si quaeras, quid intersit inter naturam lapsam et naturam puram, satis sit hic respondere, id interesse quod inter naturam nudam et spoliatam; quatenus dona quae non erant a Deo intenta, si desint, non deturpant; si autem intenta, et eatenus debita, eorum carentia deformat. Audiatur card. Bellarminus: « Non magis differt « status hominis post lapsum Adae a statu eiusdem in puris naturalibus quam differt « spoliatus a nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, « neque magis ignorantia et infirmitate laborat, quam esset et laboraret in puris « naturalibus condita » (*De peccat. prim. hom.*, c. 5). Sed de hac subtili quaestione inferius sermo recurret, ubi de peccati originalis essentia et effectibus erit disputandum.

* Op. cit., p. 363 sqq.

tialiter immortalis, et finem habet felicem aut infelicem absque fine, iuxta merita in praesenti via acquisita. Felicitas autem haec fuisset sine visione divinae essentiae.

Statui autem naturae elevatae respondet religio stricte supernaturalis per charitatem vivificata, cuius terminus beatus est claritas visionis divinae.

In statu lapso religio est quidem et ipsa degener, non ita tamen ut simpliciter naturalis vocari possit, quae, historice, absolute loquendo, nunquam adfuit. [1]

Religio status naturae reparatae est essentialiter religio Christiana, ad quam religio Hebraeorum figurative ordinabatur, quum non detur nisi unus Mediator seu Reparator; cuius religionis plenam formam tenet Ecclesia Catholica. Hoc tantopere verum est, ut vox « Catholica » [2] in primis saeculis soleret adhiberi substantive, utpote idem sonans ac Ecclesia Catholica. Hinc amorem in Ecclesiam Catholicam tam instanter Patres fidelibus inculcant. « Ama Ecclesiam « Catholicam, ama Ecclesiam Christi: accipis Spiritum San- « ctum, si caritate compaginaris, si catholico nomine et fide « gaudes ». Ita magnus ille Ecclesiae amator et defensor

[1] Hoc sensu intelligenda est distinctio religionum iuxta *Naturvölker* (populos naturalem vitam degentes), et *Kulturvölker* (populos cultum altiorem iam adeptos). Bene Hettinger: « Wir unterscheiden die Religionen der *Naturvölker*. « von jenen der *Kulturvölker* nicht in dem Sinne, als ob jene das Leben der « reine Natur darstellten, vielmehr findet sich dort vielfach eine Verkehrung « und Verzerrung zur Unnatur, sondern insofern bei ihnen die Entwicklung und « Ausbildung der menschlichen Anlagen und die Erkenntniss und Beherrschung « der Naturkräfte unverhältismässig von jener der Kulturvölker zurücksteht. « Die wilden Völker sind nicht das Urvolk, und das Urvolk war nicht wild; « in ihnen ist der lebensvolle Keim der Geistesentwicklung verkümmert ». * Quare dantur quidem populi, qui, uti Mexicani ac Peruviani, medium locum tenere videntur inter *Naturvölker* et *Kulturvölker*; sed non ita quasi terminus a quo religionis omnium populorum sit ille status populorum cultu carentium, a quo paulatim omnes ad superiorem religionem ascenderint; ** sed potius quia alii aliis profundius delapsi sunt, et a gradu in quo delecti iacebant, non nisi paulatim ascensum instaurare valuerunt.

[2] De usu vocis « Catholicae » apud S. Augustinum eruditissime scripsit D. Odilo Rottmanner O. S. B. (*Catholica, Revue Bénédictine*, t. XVII, 1900, 1-9; 315).

* Op. cit., Pars I, l. III, p. 367.

** Non desunt tamen moderni scriptores a christiana veritate aberrantes, qui hoc censeant (cf. J. Lubbock, *The origin of civilisation and the primitive condition of man*). Imo quotquot evolutionismum atheum ad hominem usque extendunt, hanc sententiam amplectantur oportet (cf. Kolb, *Culturgeschichte der Menschheit*, Leipzig, 1885, t. I, p. 7 sq.).

Augustinus.[1] Quae religio, sicuti plene servat depositum veritatum et mediorum salutis, ita quoque sapientissime homines in omnibus vitae officiis regit, ac proin non minus rei publicae quam singulis individuis provida magistra existit et mater.[2] Pulcherrime hanc synthesim harmoniae socialis, quae in civitatibus christiane ordinatis regnaret, S. Petrus describit. Praemissa personali lege mortificationis desideriorum carnis, « quae militant adversus animam », ita pergit: « Conversationem vestram inter gentes habentes bonam: « ut in eo quod detrectant de vobis tamquam de malfacto- « ribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum « in die visitationis. Subiecti igitur estote omni humanae « creaturae propter Deum: sive regi quasi praecellenti; sive « ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, « laudem vero bonorum.... Omnes honorate: fraternitatem « diligite: Regem honorificate. Servi, subditi estote in omni « timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam « dyscolis.... In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus « pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vesti- « gia eius ».[3]

Et ita veluti absolvitur circulus: lucta contra veterem hominem et concupiscentias eius ducit ad virtutem perfectam, cuius novus homo caelestis exstat exemplar et dux. Unde eloquenter exclamat Augustinus: « Qui doctrinam « Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum « talem qualis doctrina Christi esse milites iussit; dent tales « provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, « tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales « iudices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et « exactores, quales esse praecepit doctrina Christi, et audeant « dicere eam adversam esse reipublicae; imo vero non dubi- « tent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse « reipublicae ».[4]

[1] Cf. Ant. Tonna-Barthet, O. E. S. A., *De Vita christiana*, l. vii, l. ii, c. 2, p. 99.

[2] Cf. opellam S. Alphonsi cui titulus: *La fedeltà di vassalli verso Dio li rende anche fedeli al loro principe*.

[3] 1 Petr. ii, 12-14; 17, 18, 21.

[4] Epist. 138, c. 2 n. – *P. L.*, t. xxxiii, col. 531 sq. – Cf. *De mor. Eccl. cath.*, c. 30. Optime id exprimit Illmus de Gibergues, episcopus Valentinensis: « Comment être « catholiques, comment avoir la conviction intime et profonde que notre sainte

Quare ex ipsis beneficiis quae religio catholica confert tum singulis hominibus tum hominum civitatibus,[1] validum argumentum deducitur ad corroborandam eiusdem religionis veritatem, necnon unitatem divini consilii humanum genus ab initio ad alteriorem nuda natura conditionem elevantis.

Sex quippe illi status superius descripti non omnes pertinent ad ordinem historicum. Etenim, quemadmodum mox iuxta Scripturas et constantem Ecclesiae traditionem data opera illustrabimus, protoparentes nostri ab initio fuerunt ad statum supernaturalem elevati. Unde tres dumtaxat status dicendi sunt historici: 1°) status naturae elevatae, continens insuper dotes naturae integrae; 2°) status

« religion nous a été révélée par Dieu, et qu'elle est la seule où Dieu soit pleine-« ment aimé et servi comme Il le désire, la seule qui renferme tout ce qui est néces-« saire à notre salut; comment avoir au cœur une pareille conviction, sans vouloir « la faire partager par tout le monde, sans être persuadé, comme l'affirmait Léon XIII, « que le catholicisme n'a pas seulement pour but le salut individuel, mais encore le « salut social, et que s'il avait été établi uniquement pour le bien temporel de la « Patrie, il ne lui apporterait pas de plus grands avantages? ». *

[1] Hanc educativam virtutem Ecclesia provide explicuit quando, destructo Romano imperio, Europam barbarorum incursionibus undique invasam in novum imperium Christi transformavit. Ad quod ei princeps instrumentum fuit monachismus. Optime Illmus Ramirus Marcone Abbas Montis Virginis: « Barbari educati, col-« tivati studî gravissimi, conservati codici vetusti, lande e boscaglie dissodate, aperte « vie di comunicazione, arginati torrenti ido.miti, edificate città e castella. Ecco i beni « terreni che apportarono ai popoli d'Europa i figli di S. Benedetto ». ** Nec mirum. Vera enim manet in aeternum Christi sententia: « Quaerite primum regnum Dei et « iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis. » *** Unde nuper scriptor non catholicus, sed devotus epochae christianae, quam vocat: *The great thousand years,* Ralph Adams Cram, fatebatur novam instaurationem humanae rei publicae imprimis expectandam esse ab ordinibus religiosis, antiquis et recentioribus, qui in Ecclesia catholica florent. Ipsis enim incumbit praecellens opus: « That must be done and can be « done only after this fashion. For the vast majority of men and women life " in the « world „ is the life to which they are called. For them the system of monasticism « becomes an example, and it is this very quality of communal life conceived in « human scale, which is most susceptible of extension from the cloister out into « the mainfold fields of secular activity. It is to the monasteries, Benedictine, Cluniac, « Cistercian, that we owe the fine organisation of society during the Middle Ages, « and it is to these Orders, together with the others that have come into being « during the last five hundred years, that we shall turn again to find how once more « we can build up a life that shall be human and not Imperial ». ****

* Cf. *L'Idéal sous les armes*, 25 avril 1918, p. 174.

** *Lettera pastorale al clero ed al popolo,* p. 6.

*** MATTH., VI, 33.

**** *The great thousand years. Ten years after,* p. 65, sq.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

naturae lapsae, sed reparatae; 3°) status naturae glorificatae. [1]

Hos tres status ita describit Hugo Victorinus: « Primus « status hominis fuit ante peccatum, in eo in quo fuit con- « ditus. Secundus status est post peccatum (si tamen status « dicendus est, et non potius ruina), in quem per peccatum « et poenam peccati post peccatum sequentem, est lapsus. « Tertius status erit hominis post resurrectionem e mortuis, « quando plene et perfecte tam a peccato quam a poena « peccati liberabitur; et non solum in id in quo fuit conditus, « sed supra id etiam usque ad illud in quod conditus fuit, « restituetur. In primo statu divisit Deus et homo; in secundo « statu divisit diabolus et homo; in tertio statu Deus totum « accipit. In primo statu laus Dei erat, et aliquid praeter « laudem, nihil tamen contra laudem Dei; in secundo statu « nihil ad laudem, sed totum contra laudem Dei; in tertio « statu totum ad laudem: nihil praeter laudem, nihil contra « laudem Dei. Ad laudem Dei charitas, praeter laudem Dei « necessitas, contra laudem Dei iniquitas. In primo statu « charitas et necessitas; in secundo statu necessitas et ini- « quitas; in tertio sola charitas ». [2] Haec sane profunde et pulchre dicta sunt. Potuisset tamen auctor in secundo statu maiorem partem tribuere gratiae Christi, per cuius efficaciam, ab ipso lapsus tempore praedestinatam, status naturae lapsae nunquam exstitit in spoliata nuditate suae ruinae, sed cum medicamine reparationis; quemadmodum ipsa natura nunquam exstitit in simplici sua nuditate, sed dotibus praeternaturalibus et supernaturalibus adornata.

Sed praeter factum possibilitatem perpendere iuvat, quo clarior variorum ordinum nexus appareat. Inde tam celebris evasit quaestio de possibilitate naturae purae (*a*). Pariter

[1] Extra oeconomiam generalem huius triplicis status, praeter Christum, viatorem simul et comprehensorem, exstitit Beata Redemptoris Mater. De qua Suarez bene scribit: « Beatissima Virgo Maria habuit quemdam peculiarem statum naturae « lapsae coniunctum cum statu gratiae et innocentiae personalis, et cum carentia « fomitis, quae ad naturae integritatem pertinet, et nihilominus statum iustitiae ori- « ginalis non habuit ». *

[2] *De Sacram.*, l. I p. 6, c. 11. – *P. L.*, t. CLXXVI, col. 269 sq.

* *De opif. sex dier.*, l. III, n. 47.

iuvat considerare possibilitatem elevationis ad statum gratiae (*c*) sine dotibus naturae integrae (*b*). Imo possibilitas naturae glorificatae (*f*), sine praeparatione proportionata per elevationem (*e*) et naturae reparationem.

Ulterius in statu *naturae lapsae* videndum est utrum solum amissa sint bona supernaturalia, an etiam praeternaturalia; imo utrum ipsa natura pura nullum naufragium passa sit.

Demum in statu *naturae reparatae* quaerendum est quid fuerit reparatum, quid in ruina relictum, sed adiutorio munitum, quid demum simpliciter non restitutum.

De quibus omnibus et singulis argumenti adspectibus decursu tractationis agetur.[1]

Interim monuisse lectorem sufficiat, nos in hac parte relationis potius considerare τὸ naturale, τὸ supernaturale et τὸ praeternaturale relate ad seipsa, ad invicem, quam ad Deum; aliis verbis, in τῷ supernaturali nos magis intueri respectum negativum quam positivum, quippe de quo potius agetur in tractationibus de gratia, de virtutibus theologicis et de inhabitatione S. Spiritus in anima iustificata.

Et haec pauca ad statum quaestionis circumscribendum satis sint. Reassumentur enim fusius tractanda ubi de gratia ex professo agemus.

Denique iuvat animadvertere quantopere doctrina τοῦ supernaturalis et τοῦ praeternaturalis sit odiosa illis qui non solum nihil praeter naturam agnoscunt, sed quidquid eam elevat, tamquam naturae iniuriosum depellunt. Audiatur modernae impietatis coryphaeus Strauss: « Nonnisi unum

[1] In conferendis inter se erroribus qui opposita via unum aliumve respectum catholicae veritatis impugnant, recurret spectaculum quod iam non semel sese nobis obtulit, maxime quoad mysterium SS. Trinitatis in tritheistis seu subordinationistis et monarchianis seu Sabellianis; quoad mysterium vero Incarnationis in Nestorianis et Eutychianis. Rationem huius phaenomeni subtiliter reddit Pascal: « Il y en a « qui errent d'autant plus dangereusement qu'ils prennent une vérité pour le prin- « cipe de leur erreur. La faute n'est pas de suivre une fausseté, mais de suivre une « vérité à l'exclusion d'une autre. - Il y a un grand nombre de vérités, et de foi et « de morale, qui semblent répugnantes et contraires, et qui subsistent toutes dans « un ordre admirable. - La source de toutes les hérésies, est l'exclusion de quelques- « unes de ces vérités, et la source de toutes les objections que nous font les hérétiques, « est l'ignorance de quelques-unes de ces vérités » (*Pensées*, II, art. 17, n. 13).

« prosequimur odio; nonnisi unum impugnamus, cui mor-« tale indicimus bellum: unum vocamus mundi hostem: τὸ « supernaturale, τὸ ultramundanum ».[1] Et Ernestus Renan, gallicus Strauss, simpliciter proclamat: « Il n'y a pas de « surnaturel ».

Imo fatali consequentia ipse Deus, tamquam summa τοῦ ultramundani expressio, ab istis miseris impetitur: « Oui, « exclamabat nuper orator massonicus,[2] nous devons écra-« ser l'infâme » – uti Voltaire blasphemare solebat; – « mais « l'infâme, ce n'est pas le cléricalisme, c'est Dieu ».

E contra nihil magis consonum divinae potentiae ac bonitati quam ut Deus, qui ex gratuito « amore intellectus » naturam condidit; eamdem tam sublimibus ditet bonis, quae iam conditae naturae exigentiam et imo activam capacitatem superent.

Porro heic notatu dignissimum est, protestanticos scriptores paulatim, fatali depressione doctrinali, ad naturalismi impietates declinare.[3] Nec mirum. Rebellione ortus, protestantismus, sicuti massonismus,[4] non valet nisi ad destructionem. « Si la franc-maçonnerie est de première force pour tout

[1] *Die christliche Glaubenslehre,* II, 739.

[2] Fr. Lanessan, in concione habita in conventu massonico, *La clémente amitié,* anno 1880 (*Le monde maçonnique,* avr. 1880, p. 502).

[3] Placet afferre verba quibus S. Alphonsus hanc veritatem illustrat: « Gian « Leonardo Froereisen in una orazione detta e stampata in Argentina nell'anno 1743, « essendo rettore di quella Università, piange lo stato di molte chiese della comu-« nione augustana e dice: " La nostra comunione pare un'armata, ove ciascuno vuole « fare da capo; ella è un serpe tagliato in più parti, le quali vivono, ma presto « perderanno la vita ,,. Ecco la bella tranquillità che nasce dalla tolleranza che i « riformati si son posti a predicare nei loro libri: che ne è avvenuto? che si è posto « in dimenticanza il domma, e così poi si è introdotto il deismo e l'ateismo, poichè « è facilissimo il passare dal deismo all'ateismo, contro cui hanno poi cercato di « scrivere con molto calore essi riformati; ma debbono confessare che a tale preci-« pizio essi hanno dato la spinta, con promuovere la libertà di pensare in materia « di religione, in modo che ora, per quanto si affaticano, non possono più rime-« diarvi ». *

[4] Nexum inter protestantismum et massonismum bene germanicus scriptor nuper agnovit: « Il n'y aurait point eu de véritable Franc-Maçonnerie, s'il n'y avait eu ni « Luther, ni la Réforme. La Franc-Maçonnerie ne pouvait croître que sur le sol du « Libre Protestantisme. C'est que l'un des deux repose sur l'autre comme sur sa « base, et que la seconde n'est pas concevable sans le premier ». **

* *Riflessioni sulla verità della divina rivelazione,* c. 3, n. 57.

** *Hamburger Fremdenblatt,* 13 juin 1917. *Pour le 2e centenaire de la Fr.-Maç.* Iuxta traductionem Jouin.

« démolir, elle est incapable de rien édifier de durable ». Ita Flourens.[1] Destructivum hunc effectum protestantismi, quem ipse Augustus Comte signavit,[2] facta in dies magis magisque comprobant, idque non minus in Anglia quam in Germania.[3]

At si protestantismus et massonismus non valent nisi ad destructionem, christiana religio valet ad superaedificandum super ipsam naturam. Utique, sapientis instar medici, resecanda amputat, ut sauciata instauret. Utrumque continetur hisce verbis, quibus Deus olim Ieremiam prophetam sacravit: « Constituo te hôdie super gentes et super regna, ut evellas

[1] *Articles sur les conférences de La Haye* (*Revue internat. des soc. secrètes*, 15 mai 1912, p. 300. – Cfr. Jouin, op. cit., p. 21).

[2] *Cours de philos. positive*, p. 464, sq.

[3] Recens argumentum huius affirmationis est scandalosa electio in episcopum Herefordensem Doctoris Hensley Henson, viri vix christiani, quippe qui in scriptis suis aperte negat Incarnationem secundae personae SS. Trinitatis, virginalem maternitatem Mariae, miracula, resurrectionem ex mortuis et ascensionem Christi, perpetuam Mariae virginitatem: verbo omnia praecipua dogmata nostrae sanctae fidei, utpote « poëtica, non scientifica ». - Quam vulgari stylo hi tales tractent venerandam historiam Iesu, ostendit sequens descriptio quam de vita Christi in Nazareth nuper fecit baptista minister Glover, in libro *The Jesus of History*, impietate pleno, et nihilominus ab Angliae Primate Cantuariensi lectoribus commendato: « We have « then a household – a widow with five sons, and at least two, or very likely more « daughters. Jesus is admittedly her eldest son, and is bred up to be a carpenter. ... « How came he to wait till he was at least about thirty years old before he began « to teach in public ? ... The claims of a widowed mother with six or seven younger « children, a poor woman with a carpenter's little brood to bring up, may have « something to do with his delay. In any case the parables give us pictures of « the indeniable activities of the household ». Et talia, centies iam docte confutata, uti scientifica venditantur! Hic morbus e Germania Angliam invasit. « The « Reformers, following their example, sought to improve upon the one Faith of our « Fathers ! ». Ita recte monet Arnaldus Mathew.

Exemplum levitatis vere ignobilis qua Germani exegetae rationalistae ipsam augustissimam Iesu personam tractare non verentur, sit haec blasphema parodia Lipsii: « Que nous reste-t-il du Jésus de l'histoire? Tout d'abord le fait qu'un juif « pieux du nom de Jésus a réellement existé, fait que la science ne saurait infirmer; « puis quelques propos, fables et anecdotes, qu'on ne peut dérober à ce Monsieur; enfin « l'épisode scientifiquement établi, que cet homme a été exécuté, enseveli et que son « corps repose encore dans sa tombe. Il y a aussi quelque chose à ajouter sur les « causes de sa mort, par dessus tout qu'il n'en a pas été lui-même innocent. Une « erreur enthousiaste l'a fait chuter; ç'a été une part de cette illusion, qui renferme « l'idée du Messie et qui s'est étendue à lui. Par là, malgré la piété de sa vie, Jésus « a été la victime du conflit entre le contenu et la forme de sa conscience. Paix à « ses cendres ! » (*Christliche Welt*, 1905, p. 638. Iuxta versionem Cl. Can. Jouin).

Nec se melius habet res in aliis regionibus protestanticis. Batavi theologi calviniani rationalismo a nullis superantur. Norvegianus ludimagister Fjaere haec

« et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plan-« tes ».[1] Unde sacramentum Baptismatis, quo membra inse-runtur Capiti, per immersionem significat elementum destruc-tionis, quo homo moritur peccato, per emersionem significat resurrectionem ad novam vitam. Christus enim ipse se testa-tur venisse ut quotquot fide ei adhaerent, « vitam habeant « et abundantius habeant ».[2] Quae abundantior vita ipsum humani generis exordium signavit. Nedum igitur τὸ super-naturale sit naturae infensum, est eiusdem benefica instau-ratio et exaltatio sublimis.

Caeterum, velit nolit, homo ipsis suis vulneribus atque miseriis, insito veluti instinctu, quem collapsus non potuit ex toto destruere, Auctorem suum et plorans invocat, iuxta pulcherrimum carmen a recenti poëta eructatum:

Et c'est encor, Seigneur, le meilleur témoignage
Que nous puissions donner de notre dignité
Que cet ardent sanglot qui roule d'âge en âge
Et vient mourir au bord de votre éternité.[3]

Memor aliqualiter, etiamsi reluctans, lapsa natura, inge-miscit,[4] desiderio capta illius integritatis a qua decidit.

nuper gemens fatebatur: « Nostrarum ecclesiarum sacerdotes deliberate negant veri-« tates maxime essentiales; v. gr. negant Iesum Christum esse Filium Dei, de Spi-« ritu Sancto esse conceptum, e mortuis resurrexisse » (Cfr. *Les nouvelles reli-« gieuses. - La situation religieuse en Norvège*, 1 févr. 1918, p. 88).

Electionem novi episcopi Herefordensis, a primo ministro regni, viro ad presby-teriana castra pertinente sancitam, scriptor ephemeridum *Times* excusavit dicendo, talem candidatum christianismum repraesentasse « in terms acceptable to the « modern mind ». Ad quae optime reponit *The Tablet:* « Did it never occur to the « writer that the Founder of Christianity showed small solicitude about making « His terms so acceptable; that on the contrary His teaching was in perpetual con-« flict with the Jewish mind of His day; in fact He was crucified for preaching a « gospel unacceptable to His contemporaries »? * Unde immutabilitatem fidei catho-licae in Christum verum Filium Dei, quam infallibilis Petri cathedra illibata servavit servabitque, illustrat solemnis sententia Pauli: « Iesus Christus heri, et hodie, ipse et in saecula ». **

[1] Ierem., i, 10.

[2] Ioann., x, 10.

[3] Baudelaire. – Pari impulsu ad Christi Matrem Ecclesia nos confugere docet: « Ad te clamamus, exsules filii Evae; ad te suspiramus, gementes et flentes in hac « lacrymarum valle! ».

[4] S. Paulus hunc gemitum ad universam naturam extendit (Rom., viii, 22).

* *Acceptable to the Modern Mind*, febr. 23, 1918, p. 237.

** Hebr., xiii, 8.

Felicem statum primi hominis in originali integritate constituti ita descripsit S. Gregorius Nyssenus: « Huius « boni, quod superat omnem vim comprehendendi, nos homi- « nes olim participes eramus; ac tantum erat in natura « nostra bonum illud, quod superat omnem cogitationem et « intellectum, ut alterum illud humanum bonum esse vide- « retur, exquisitissima plenissimaque assimilatione atque « imitatione ad imaginem primarii et originalis exemplaris « formatum. Nam quae nunc de illo per coniecturas specu- « lamur et imaginamur, haec omnia circa hominem quoque « erant, incorruptibilitas simul et beatitudo, propria et a nul- « lius alterius arbitrio dominiove potestas, vita nullis nego- « tiis implicata, nullis molestiis, nulli aegritudini obnoxia, « statioque augustior, atque in locis divinis vitae traductio, « facultas item aperta simul ac pura mente, omni velamine « detracto, bonum contuendi. Haec omnia nobis liber de crea- « tione mundi per aenigmata paucaque verba tecta atque « involuta significat, dum ait hominem ad imaginem Dei « effectum et formatum esse, et in paradiso vixisse, ibique « satis et enatis in deliciis esse usum ».[1]

Pulcherrime e Patribus latinis complexum donorum quibus haec originalis integritas constituitur, S. Augustinus ita depinxit: « Vivebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quam- « diu hoc volebat quod Deus iusserat: vivebat fruens Deo, « ex quo bono erat bonus: vivebat sine ulla egestate, ita « semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esu- « riret; potus, ne sitiret; lignum vitae, ne illum senecta dis- « solveret; nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullae « molestiae ullis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus « morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in « carne sanitas, in anima tota tranquillitas. ... Nihil omnino « triste, nihil erat inaniter laetum: gaudium vero perpetue- « batur ex Deo, in quem flagrabat " caritas de corde puro, « et conscientia bona et fide non ficta „ , [2] et inter se coniu- « gum fida ex honesto amore societas, concors mentis cor- « porisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non las-

[1] *De beatitud.*, or. 3. – *P. G.*, t. XLIV, 1226, sq.
[2] 1 *Tim.*, 1, 5.

« situdo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum ».[1] Nec minus pulchre quoque S. Gregorius Magnus hunc aureum statum describit: « Felices antiqui dies, nihil tene-« brarum, nihil caliginis praeferentes, quos divinitatis lustra-« bat praesentia, securitatis purgabat serenitas, laetitiae « immensitas decorabat: dies gaudiorum et luminis, dies « virtutum et pacis, dies deliciarum et suavitatis; quos non « perturbabat moeror, non infestabat angustia, non obum-« brabat infirmitas. Hos dies in paradiso habuit omnia, ante-« quam a status rectitudinis per culpam caderet praevarica-« tionis; sed eosdem tunc infeliciter perdidit, cum praecepta « Conditoris servare contempsit ».[2]

E recentioribus theologis en quomodo integritatis statum exponit Illmus Waffelaert: « L'état d'origine dans lequel « furent créés nos premiers parents renfermait d'abord ce « qui leur appartenait en propre, comme tels et personnel-« lement, c'est-à-dire dès le début le développement com-« plet du corps, le don de la parole et la science infuse de « tout ce qu'il importait au premier homme de savoir. L'état « d'intégrité comprenait en outre la santé parfaite et invio-« lable de l'âme et du corps, des sens vigoureux et affinés, « des facultés intellectuelles puissantes et lumineuses. Et « tous ces dons étaient acquis à l'homme d'une manière ina-« liénable tant qu'il demeurerait fidèle à son Créateur. En « effet l'homme étant immortel jouissait de l'immunité à « l'égard de toute cause morbide intense; il dominait en « quelque sorte la nature animale et matérielle; tout dans la « création était à son service, et devait lui apporter avec « abondance et sans labeur tout ce qui pouvait lui être utile « et agréable.

« La conséquence de cet état d'immortalité de l'homme « était l'empire de la raison sur les passions ou, en d'autres « termes, la soumission des facultés inférieures de l'homme « à ses facultés supérieures. Cet empire de la raison s'ap-

[1] *De Civit. Dei*, l. XIV, c. 26. - *P. L.*, t. XLI, col. 434. – Cfr. plura Patrum huiusmodi testimonia apud KLEE (*Dogmengeschichte*, t. I, p. 294, sqq.).

[2] *In Ps. poenit.*, 7, v. 5, *P. L.*, t. LXXIX, col. 646. – Cf. de hoc statu Ant. Massoulié O. Pr. in exordio diss. IV, *de Gratia Adami* (*S. Thomas sui Interpres*).

« pelle aussi le don d'integrité dans un sens plus res-« treint ». [1]

Si iam quaeris de numero dotum praeternaturalium, non eodem modo solent respondere theologi; nec mirum, quum hae dotes se teneant ad modum unius syntheseos, cuius partes aliter possunt et aliter considerari.

Alii tres dotes enumerant: integritatem, immortalitatem et scientiam. Ita, v. gr., Caesar Manzoni. [2] Alii quatuor dotes distinguunt; non tamen eodem prorsus modo. Sunt qui enumerant integritatem sive immunitatem a concupiscentia, immortalitatem, scientiam et externam quamdam felicitatem. Ita, v. gr., Card. Katschthaler. [3] Sunt qui parumper aliter enumerationem instituunt. Ita E. Palis, descriptis donis praeternaturalibus, addit: « On en compte communément qua-« tre: l'intégrité ou absence de la concupiscence, une science « éminente, qui n'était le fruit ni de l'étude ni de l'expérience, « l'immortalité du corps et l'exemption de la douleur ». [4]

Iustitia autem *originalis,* iuxta longe meliorem sententiam, praeter has quatuor dotes complectebatur insuper gratiam sanctificantem, cum ornatu virtutum supernaturalium. Imo praeternaturalia dona erant, uti decursu tractationis apparebit, condecens naturae complementum, ut esset, in quantum fieri potest, condecens supernaturalium donorum habitaculum.

Porro ex his quatuor dotibus praeternaturalibus, dos scientiae directe respicit animam, non exclusa utique felicissima corporis praedispositione; dos immortalitatis, quam consequitur dos immunitatis a dolore, respicit magis corpus, supposita utique animae immortalitate, maiorique in corpus dominio; demum dos immunitatis a concupiscentia respicit simul animam et corpus, [5] harmoniose inter se coniuncta.

Integritas autem, uti in praemissis enumerationibus patet, non uno sensu accipitur. Lato sensu complectitur omnes

[1] Op. cit., n. 6.
[2] Op. cit., loc. cit., art. 2, 3, 4 a n. 550 ad 564.
[3] Op. cit. a n. 207 ad n. 287.
[4] Art. *Adam.* - Cf. Vigouroux, *Dictionn. de la Bible,* t. I.
[5] Cf. S. Augustinum (*De Gen. ad litt.*, l. x, c. 12. - *P. L.*, t. xxxiv, col. 416, sq.).

simul dotes quibus constituitur perfectio originalis; minus largo sensu comprehendit totum rationis dominium in passiones.[1] Stricto sensu, maxime apud moderniores, stat pro immunitate a concupiscentia. Si integritas intelligitur sensu lato, excellentia primaevae conditionis duplici donorum genere constituitur: iustitia, scilicet, et integritate; utrumque autem comprehendit originalis *rectitudo* in Scripturis celebrata.

Quare, quin nimis attendamus dotum praeternaturalium enumerationibus, quales apud moderniores passim inveniuntur, de singulis adspectibus primaevae integritatis lato sensu intellectae sermonem habebimus iuxta ipsum ordinem quo S. Thomas de eisdem tractat.

Ante omnia autem prae oculis tenebimus narrationem Mosaicam, cuius indoles historica, in prima iam parte huius tractatus expresse affirmata, hic rursus alte proclamanda est, quippe cui capitalia dogmata fidei nostrae superstruuntur.

Liceat proin iterum lectoris oculis apponere responsum tertium a Pontificia Commissione Biblica de praesenti argumento die 30 iunii anni 1909 latum: « Utrum speciatim « sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi « agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae chri- « stianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter « caetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio « temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primae « mulieris ex primo homine; generis humani unitas; origi- « nalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis « et immortalitatis;[2] praeceptum a Deo homini datum ad « eius obedientiam probandam; divini praecepti, diabolo « sub serpentis specie suasore, transgressio; protoparentum

[1] Utroque sensu vidimus integritatem usurpari ab Illmo Waffelaert in textibus modo allatis. - Sensus latus integritatis intelligendus est quando Scriptura describit originalem hominis rectitudinem, quae omnes praeternaturales dotes comprehendebat Eccl., VII, 30).

[2] Vides heic omnes dotes supernaturales et praeternaturales ad quamdam trilogiam reduci. Quare patet, integritatem sumi in sensu latiori.

« deiectio ab illo primaevo innocentiae statu; necnon Repa-
« ratoris futuri promissio. - Resp. *Negative* ».[1]

Quod responsum est omnino consonum traditioni. Fortiter S. Hieronymus: « Credit quispiam in Deum? Non potest « credere nisi prius crediderit, de sanctis eius vera esse quae « scripta sunt: Adam a Deo plasmatum, Evam e costa illius « et latere formatam », etc..[2] Et Augustinus expressius: « Narratio in his libris non genere locutionis figuratarum « rerum est, sicut in Cantico Canticorum, sed omnino gesta- « rum, sicut in Regnorum libris et huiusmodi caeteris ».[3] Non ideo tamen ex hac narratione excluditur symbolismus, sed historicae veritati superstruitur.[4] Nam idem Augustinus praemissa de paradiso triplici sententia generali: « Una eorum « qui tantummodo corporaliter paradisum intelligi volunt; « alia eorum qui spiritualiter tantum;[5] tertia eorum qui utro-

[1] Ex attenta consideratione huius responsi et aliorum ad idem argumentum pertinentium * apparet quantopere a norma in hisce responsis intenta deficiat P. Gulielmus Schmidt, quando scribit: ** « Die katholischen Exegeten sind im allgemeinen « nicht geneigt, einen ausschliesslich symbolischen Charakter dieses Vorganges « zuzugeben in dem Sinne, dass der Vorgang kein wirklicher gewesen, sondern nur « erdichtet worden sei, um eine Wahrheit, nämlich die Gleichheit beider Gesch- « lechter, symbolisch zum Ausdruck zu bringen. Eine Mittelstellung nehmen aber « solche Exegeten ein, welche den ganzen Vorgang betrachten "als visionärer Akt « symbolischer Art, der den Zweck hat, den Schlusspunkt in der Belehrung des « ersten Menschen zu bilden „ ».***

[2] *Comment. in epist. ad Philem. lib.* - *P. L.*, t. XXVI, col. 609.

[3] *De Gen. ad litt.*, l. VIII, c. 1, n. 2. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 372.

[4] Insigne huius duplicis sensus exemplum habes in facto a Marco narrato, de ficu a Christo arefacta, quia, etsi foliis glorians, fructum tamen nullum ferebat, quales etiam extra ficorum tempus, hic illic supererant.**** Cuius facti, ab incredulis in vituperium Christi sanctitatis obiici soliti, quasi iniusto impatientiae motui cessisset, symbolicum sensum venerabilis Beda optime reddit.*****

[5] His verbis Augustinus corripit excessum scholae allegoristicae, cui post Iudaeos Aristobulum et Philonem, adhaerebat schola Alexandrina, ducibus Clemente et Origene, ut ita facilius contra Celsum, Porphyrium et Iulianum « rabidos adversus Christum canes », ut eos vocat Hieronymus (*De viris illustribus*, Prolog.), fidem

* Cf. vol. praec., p. 668, sqq.

** *Die Uroffenbarung als Anfang der Offenbarungen Gottes.* - In primo volumine collectionis cui titulus: *Religion-Christentum-Kirche. Gebh. Esser und Jos. Mausbach.* 1911. - Auctor, - qui mos apud catholicos scriptores in Germania sat invaluit, - nec ad Pont. Comm. de Re Biblica decisiones alludit.

*** G. Hoberg, *Die Genesis*, p. 36.

**** Cf. pulcherrimam opellam eruditi P. Ioannis Genocchi M. S. C. (*La Palestina nella Geografia e nella Storia*).

***** In hunc locum.

« que modo paradisum accipiunt: alias corporaliter, alias « autem spiritualiter »; addit: « Breviter ergo ut dicam, ter- « tiam mihi fateor placere sententiam ».[1] Quam et nos in decursu huius tractationis passim sequemur.

Traditionalem esse prorsus apud Patres interpretationem historicam primorum capitum *Geneseos,* nuper docte illustravit Cl. Méchineau, S. J., cuius conclusio ita sonat: « Il faut « renoncer définitivement à ranger les Pères parmi les adver- « saires de l'historicité de la *Genèse.* Jamais ils ne nous « disent: " Ces récits de la *Genèse* ne sont pas historiques; ce « sont des mythes, ce sont des paraboles, ce sont des allégo- « ries, ce sont des légendes,,. A l'unanimité, disons morale à « cause de Clément d'Alexandrie et d'Origène, puis de quel- « ques autres sur la question des jours,[2] ils croient et ils « confessent que les chapitres II ou III de la *Genèse* nous « racontent des faits arrivés, tout ce qu'il a y de plus « arrivé ».[3]

Nil mirum proin, horum factorum apud plerosque populos recordationem permansisse, quemadmodum tractationis decursu pluries videbimus.[4] Quare nedum cum schola antiqua, contra quam pugnavit Origenes, et a qua nonnulli moderniores non sat recedunt, ab ethnicis mythicis ad mythicam indolem narrationis Mosaicae concludere li-

christianam defenderent. Modernis rationalistis vituperia illorum instaurantibus, non desunt exegetae qui et allegoristicae scholae methodum contra eos instaurandam censeant. – Cf. inter alios auctores qui de hoc argumento scripserunt: P. I. Brucker, *L'Eglise et la critique biblique.* Chap. IX: *La vérité des récits de la Gènese et la critique.* – Vigouroux, *Mélanges bibliques.*

[1] Optime Cl. Vosté O. Pr., in praefatione ad eruditum suum commentarium in Epistolas ad Thessalonicenses scribit: « Qui philologice tantum explicat textum « sacrum – ut plerique moderni – corticem quidem Verbi Dei attingit, medullam vero « seu doctrinam vivificam haud sapit. Similis est viro incredulo, qui coram ciborio « consacrato positus, miraretur lapides pretiosos opusque artificiatum argenti vel « auri, Christum vero, panem vitae, non agnosceret neque adoraret ». *

[2] Hisce responsis Pont. Comm. Bibl. in praecedenti nostro volumine allatis resp. VIII libertatem maiorem quoad horum dierum significationem concedit.

[3] *L'historicité des trois premiers chapitres de la Genèse,* p. 136. – Hanc historicitatem bene vindicat Cl. Murillo (*El Génesis, La historia paradisiaca y el rationalismo,* p. 313, sqq.

[4] Cf. de his traditionibus J. Lenormant, *Origines de l'histoire,* c. 2; Lücken, *Traditions de l'humanité,* t. I, p. 94-111; Geikie, *Hours with the Bible,* c. 8.

* P. VI. Ferrari-Gabalda, 1917.

ceat,[1] ethnici e contra mythi tamquam verorum factorum in *Genesi* narratorum vestigia sunt habenda. Talis imprimis est aurea illa aetas, a vatibus antiquis saepius decantata, quam Ovidius tam pulchre hisce versibus expressit:

Aurea prima aetas est, quae vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem actumque colebat.
Poena metusque aberant. ...
Ver erat aeternum; placidique tepentibus auris
Mulcebant zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat;
Nec renovatus ager gravidis carebat aristis.
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant;
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.[2]

Claudimus hanc praeviam dissertatiunculam verbis pulcherrimis libri Ecclesiastici, quae sunt veluti argumenti in sequentibus Quaestionibus evolvendi veluti splendidum compendium divina auctoritate expressum.

[1] *Metam.*, l. I. « Quis heic non cogitet terram Hebraeis promissam, fluentem lac et mel? Miram hanc promissae terrae ubertatem, hodie sane vix apparentem, egregie vindicat Cl. Genocchi (op. cit.). – Cf. et descriptionem Vergilii (*Georg.*, l. I).

[2] Quaestio recentius mota est, an et quousque in Scripturis mythi admitti possint. * Ipse Cl. Lagrange, O. Pr., ** qui primo quaestionem liberiori modo solverat, postea sapientius scripsit: « Je pense, pour ma part, qu'il vaut mieux écarter définitivement le mot, parce que l'usage attache au mot *mythe* l'idée d'une religion fausse « et même puérile ». *** Non ideo tamen, quae mythica esse recusat, uti stricte historica habet, nam: « Entre le mythe, qui est l'histoire des choses considérées comme « des personnes et ensuite comme des dieux, il y a l'histoire primitive légendaire ». Quare « du mythe à l'histoire proprement dite il y a loin ». **** Quod in se veris-

* Mythos paganos nonnumquam artem sacram inspirasse, est manifestum. Cf. H. Leclercq, O. S. B., art. *Ame*, n. XIV, *Diction. d'Archéologie chrétienne et de liturgie publié par* D. Fern. Cabrol, *Abbé de St-Michel de Farnborough*, t. I, p. 1, col. 1543, sqq.

** Huic scholae adscribendi sunt, vario utique gradu, inter alios P. Hummelauer, Zanecchia, Zapletal, Minocchi, Bonaccorsi, Buonaiuti, etc. Nec satis alii ab ea hic illic recedunt, uti Hoberg (op. cit.).

*** *La méthode historique*, p. 200.

**** Ibid., p. 208, 185. Cavendum sane ne confundantur legendae cum mythis. Posset recusari mythus et teneri legenda. In casu autem nec mythi nec legendae possunt admitti. Etenim resp. secundum Commissionis Biblicae de historicitate trium primorum capitulorum *Geneseos*, sedulo distinguit « fabulosa ex veterum populorum « mythologiis et cosmogoniis deprompta, allegorias et symbola, fundamenta objectivae realitatis destituta », et « legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ». Sed, haud secus ac mythi, legendae excluduntur. Quare vix est cur tantopere in Chr. Pesch incandescat Minocchi (*La Genesi*, 2, XVII), eo quod legendas a mythis non satis distinxerit.

« Deus creavit de terra hominem et secundum imaginem « suam fecit illum. Et iterum convertit illum in ipsam. Et « secundum se vestivit illum virtute. Numerum dierum et « tempus dedit illi, et dedit illi potestatem eorum quae sunt « super terram. Posuit timorem illius super omnem carnem « et dominatus est bestiarum et volatilium. Creavit ex ipso « simile sibi: consilium et linguam, et oculos et aures, et « cor dedit illi excogitandi et disciplina et intellectus reple- « vit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit « cor illorum, et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum « suum super corda illorum ostendere illis magnalia operum « suorum. Addidit illis disciplinam, et legem vitae haeredi- « tavit illos. Testamentum aeternum constituit cum illis, et « iudicium et iustitiam suam ostendit illis. Et magnalia « honoris eius vidit oculus illorum, et honorem vocis audie- « runt aures illorum, et dixit illis: "Attendite ab omni ini- « quo „ ».[1] Quibus verbis, etsi naturalia dona plura enume-rantur et imo alluditur ad culpam, depingitur tamen beata originalis conditio, naturae debita ex divina largitate longe exsuperans.

Ad quam conditionem penitius investigandam, Aquinate duce, iam accedimus.

simum est, at Scripturis applicatum, ac si non contineret nisi « l'histoire primitive « légendaire », esset demonstrandum. Optime scribit de hoc argumento Lepin: « La « plupart des savants catholiques, non seulement repoussent le nom de mythes appli- « qué au premiers récits de la *Genèse,* mais encore reconnaissent à l'ensemble de « ces récits un caractère proprement historique, se contentant d'admettre une part « d'idéalisme dans la description de la création du monde et de discuter le caractère « métaphorique de tel ou tel trait des autres récits. - A leur sens, la cosmogonie « mosaïque correspond d'une manière étonnante, dans ses grandes lignes, à ce qu'ont « révélé les sciences naturelles. ... De même la science anthropologique la plus sûre « requiert une intervention spéciale de Dieu pour la formation de l'homme et celle « de la femme; la théologie, et on pourrait presque dire la philosophie nous ensei- « gnent le dogme de la déchéance originelle, ... il faut donc admettre les faits relatés « aux premiers chapitres de la *Genèse,* au moins dans leur substance. - Dans ces « conditions ne vaut-il pas mieux les prendre tels qu'ils nous sont présentés en ces « pages si pénétrées de sens moral et religieux, sauf à y faire la part habituelle, « de l'image et de la métaphore? ». *

* *Sens mythique. Dictionnaire de la Bible,* F. Vigouroux, t. IV, col. 1ª part., col. 1405, sq.

[1] Eccli, XVIII, 1-10.

De Ordine huius Sectionis.

Integrum ordinem in hac Sectione servandum hoc schema exprimit.

S. Thomas considerat conditionem seu statum primi hominis.

- I) quantum ad *animam* (Membrum I):
  - *A*) quantum ad *intellectum* (Q. XCIV) (Caput I);
  - *B*) quantum ad *voluntatem* (Caput II):
    1) quoad *gratiam* seu iustitiam (Q. XCV);
    2) quoad usum iustitiae per *dominium* (Q. XCVI).

- II) quantum ad *corpus* (Membrum II):
  - *A*) quantum ad conservationem *individui* (Q. XCVII) (Caput I);
  - *B*) quantum ad conservationem *speciei* (Caput II):
    1) de ipsa *generatione* (Q. XCVIII);[1]
    2) de conditione *prolis* generatae:
       - *a*) quantum ad *corpus* (Q. XCIX):
       - *b*) quantum ad *iustitiam* (Q. C);
       - *c*) quantum ad *scientiam* (Q. CI).

Huic expositioni addemus appendicem *de loco* in quo primi parentes conditi sunt (Q. CII).

[1] Quaestioni XCVIII, appendicis instar, adnectemus brevem expositionem Q. CXIX.

MEMBRUM I.

DE CONDITIONE PRIMI HOMINIS QUANTUM AD ANIMAM

CAPUT I.

DE STATU ET CONDITIONE PRIMI HOMINIS QUANTUM AD INTELLECTUM.

(Quaestio XCIV).

De Ordine Quaestionis. – S. Thomas procedendo a maiori perfectione ad minorem, descendit scalam cognitionis, quae tres praecipue gradus habet: 1) cognitionem seu visionem essentiae Dei; 2) cognitionem seu visionem essentiae Angelorum; 3) cognitionem omnium aliarum rerum.

Primam considerat in articulo primo, eamque negat; secundam in articulo secundo, eamque pariter negat; tertiam in articulo tertio, eamque in genere concedit.

Huic articulo tertio se adiungit articulus quartus, ad modum obiectionis, hoc pacto: si Adam omnia scivit, quomodo decipi potuit? Atqui deceptus est. Cuius obiectionis solutio in neganda minore quaeretur.

Iam ad singulos articulos.

ARTICULUS I.

UTRUM PRIMUS HOMO PER ESSENTIAM DEUM VIDERIT.

De ipsa Quaestione. – 1) Tantopere hic primus articulus, etsi quaesitum negative solvit, elevationem primi hominis supponit, ut exinde validum argumentum deducatur ad eamdem elevationem ex mente Aquinatis probandam. Etenim quum superius, in Q. XII, S. Thomas demonstraverit, visionem essentiae Dei superare vires cuiusvis entis creati, et

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nonnisi per donum supernaturale conferri posse;[1] nisi Adam fuisset in statu supernaturali conditus, quaesitum fuisset simpliciter ex hoc ipso negandum, quod visio beatifica exsuperet vires naturae.

Iam vero non ita S. Thomas. Supponens elevationem, distinguit inter destinationem ad visionem et eiusdem visionis adeptionem. Tantopere autem haec visio est terminus, ut viam per exercitium liberi arbitrii ad peccatum determinabilis impediat.

Aliis verbis: Adam conditus est in statu naturae elevatae, sed nondum consummatae. Quum autem via debeat esse in eodem ordine ac terminus, secus deesset proportio; et quum terminus sit absolute supernaturalis; necesse est ut Adam conditus fuerit in statu absolute supernaturali.

Si ergo in Scripturis constet visionem essentiae Dei esse hominis finem, pariterc onstat Adamum fuisse in statu naturae elevatae conditum: nam nullibi legitur hanc elevationem factam esse postquam iam conditus erat; imo validissimum argumentum potest in oppositum afferri.[2]

2) Ad probandam veritatem visionis beatificae tamquam hominis finem, sufficiat principaliores textus ex Scripturis producere.

Sanctus Paulus gloriam patriae describit verbis tam excellentibus, ut nequeant aliter quam de hac visione intelligi: « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis « ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum ».[3] Promittit Iesus Apostolis eos ibi esse futuros quo ipse vaderet:[4] « Ubi sum ego, illic et minister meus erit »; unde ad Patrem iturus dicit eis: « Vado vobis parare locum. Et si « abiero et paravero vobis locum, iterum venio, et accipiam

[1] Accipe verba quibus Angelicus concludit argumentationem art. 4[m] « Utrum « aliquis intellectus creatus per sua naturalia divinam essentiam videre possit »: « Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intel- « lectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cuiusvis intellectus creati, « quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum. Non igitur potest « intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam « gratiam se intellectui creato coniungit, ut intelligibile ab ipso ». – Cf. expositionem huius Quaestionis in nostro tractatu *De Deo Uno*, t. I, p. 421 sqq.

[2] Cf. art. I, Quaest. seq.

[3] I Cor., II, 9; cf. Isai., LXIV, 4.

[4] Ioann., XII, 26; ibid., XIV, 2, 3.

« vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis ».[1] Quod certe verum non esset, si Christus Deum videret, non autem Apostoli. Neque Apostolis tantum haec promittitur merces ; quin et omnes mundi corde « Deum videbunt ».[2]

Ioannes quippe expresse affirmat: « Scimus quoniam cum « apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti « est ».[3] Qui locus eo magis facit ad rem, quod Evangelista in praecedenti versu affirmaverat filiationem divinam iam in terris, tamquam praeparationem visionis, per charitatem dari. Unde concludit, hanc visionis spem in hac vita sanctificare, et iam Deo aliquo modo assimilare.

Pariter S. Paulus visionem patriae declarat, ubi ait: « Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc facie ad « faciem ». Ne autem ullum dubium de plenitudine huius visionis supersit, adiungit: « Nunc cognosco ex parte; tunc « autem cognoscam *sicut et cognitus sum* ».[4]

In hanc beatam visionem sese iam extendebant pia suspiria Sanctorum Veteris Legis, uti probatur ex his duobus Psalmorum locis. « Ego autem in iustitia apparebo conspe- « ctui tuo: *satiabor cum apparuerit gloria tua* ».[5] « Quoniam « apud te est fons vitae, et *in lumine tuo videbimus lumen* ».[6]

Quum autem totus ordo reparationis, – in spe apud Antiquae Legis fideles, in facto per Christum et in Nova Lege, – in hoc tendat ut reparet quod erat a protoparente amissum, sequitur, et ipsi visionem beatificam fuisse destinatam, eumque proin ad statum supernaturalem fuisse elevatum.

Argumentum hoc complebitur per ea quae in Quaestione sequente dicentur.

3) Notetur quoque in praesenti articulo, licet negetur quaesitum, talem inter Adam et nos comparationem institui

[1] Ioann., xii, 26; ibid., xiv, 2, 3.

[2] Matth., v, 8.

[3] 1 Ioan., iii, 2: ὅτι ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστιν.

[4] 1 Cor., xiii, 12: τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην.

[5] Ps. xvi, 15. De vi huius argumenti lege Patrizi in praeclaro opere *Cento salmi tradotti letteralmente e commentati*, hoc loco (Ed. polygl. S. C. de Prop. Fide, 1875, p. 84). Et David Kimchi, praeclarus hebraeus commentator, de beatifica visione haec verba esse intelligenda proclamat.

[6] Ps. xxxv, 10. Hic textus non est per se tam efficax, quia non eamdem continet oppositionem inter vitam praesentem et vitam futuram. Priori autem textui adiunctus, ab eo veluti collustratur.

quoad cognitionem Dei, ut inde sequatur elevatio Adae ad excellentiorem prae viribus naturae statum.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Gratuito supponit, hominem in praesenti vita non posse iure vocari beatum, quin Deum videat. Eo vel magis quod beatitudo hominis integri relative ad nostram miseriam praedicatur. Confundit scilicet obiectio beatitudinem omnino perfectam, quae in Dei visione consistit, cum vera beatitudine viae, quae in integritate naturae residet, maxime si sit in via ad finem supernaturalem.

2ª Obi. Abstrahit in bona voluntate a recta conformatione erga ordinem a Deo stabilitum. Unde in Adamo appetivisse visionem in praesenti vita, fuisset vel ignorantia, vel ingratitudo, vel elatio.

3ª Obi. Confundit in *medio* et in *aenigmate* sensum admittendum et sensum reiiciendum. Medium aliud *in quo,* aliud *per quod;* prius conceditur, alterum negatur. Aenigma autem aliud refertur ad visionem, aliud est consequens peccati. Pariter prius conceditur, alterum negatur.

Sed contra est. Quaeri potest de vi apodictica loci heic a S. Thoma ad probandum intentum allati. S. Paulus in capite XV epist. I ad Corinthios, illustrans doctrinam resurrectionis corporum iuxta varietatem meritorum, opponit inter se modum quo nunc corpus seminatur, - assumpto exemplo ex semine, quod aliter mittitur in terram et aliter exsurgit in fructus, - et quo postea exsurget. Istum duplicem corporum statum vocat alterum animalem, alterum spiritalem, utriusque illius status symbolum afferens Adamum primum et novissimum, id est Christum.

Hoc posito, ita arguimus. Vel *a*) Adam sumitur hic in oppositione ad Christum, in plena significatione contrastus, quemadmodum v. 49: « Sicut portavimus imaginem terreni, « portemus et imaginem caelestis »,[1] indicare videtur; et tunc argumentum non est ad rem, quia agit de Adamo capite generis humani lapsi.

Et sane ab hoc versu S. Paulus transit ab ipsa resurrectione ad resurrectionis conditionem, scilicet ad vitam spi-

[1] Cf. resp. ad ob. 1, art. 1, Quaest. sequentis.

ritualem, quae est inchoatio illius vitae quam cum Adamo caelesti per resurrectionem glorificati acquirunt iusti. Unde addit: « Hoc autem dico, fratres: quia caro et sanguis regnum « Dei possidere non possunt: neque corruptio incorrupte- « lam possidebit » (v. 50). Quare v. 49 iam inchoat comparationem cum Adamo qualis fuit post lapsum.

Vel *b*) Adam hic sumitur in oppositione ad Christum, uti homo in stadio mortali conditus [1] ad hominem in plenitudine gloriae collocatum, a quo est omnis communicatio gloriae, quemadmodum a primo est omnis communicatio vitae carnalis; et tunc agitur de Adamo ante peccatum, et argumentum est ad rem. Etenim proprium est visioni beatificae habitualiter acceptae, ut ipsum corpus reddat gloriosum et spiritale. Si ergo Adam ita visionem habuisset in initio, nihil ei defuisset quominus spiritalis homo fuisset appellatus. Hunc alterum sensum suadet ipse textus: « *Factus est* primus homo ter- « renus, in animam viventem », quae citatio *Geneseos* est de homine uti e manibus Conditoris exivit.

Vel *c*) in ipso Adamo ante lapsum distinguitur duplex stadium, – sive successione mere logica, sive etiam temporali, parum refert: prius, quo in natura a Conditore factus est de terra terrenus; alterum, quo insuper superioribus dotibus est illustratus et, factus spiritalis, collocatus est in paradisum, caelestis patriae figurativum. Qui homo spiritualis erat utique figura Christi. Hoc sensu scribebat Augustinus: « Non- « dum spiritualem hominem debemus intelligere, qui factus « est in animam viventem, sed adhuc animalem. Tunc enim « spiritualis effectus est, cum in paradiso, hoc est in beata « vita constitutus, praeceptum etiam perfectionis accepit ut « Verbo Dei consummaretur ». Unde pergit: « Itaque post- « quam peccavit, recedens a praecepto Dei, in hoc remansit « ut animalis esset. Et ideo animalem hominem prius agimus « nos, qui de illo post peccatum nati sumus, donec assequa- « remur spiritalem Adam, [2] id est Dominum nostrum Iesum

[1] Cf. resp. ad ob. 1, art. 1, Quaest. sequentis.

[2] De relatione similitudinis et oppositionis quae existit inter primum et secundum Adamum consideratos tum in seipsis, tum in sua habitudine ad genus humanum, pulcherrime scribit Zschokke, *Kirchenlex. Hergenr.-Kaulen.* Art. *Adam.* Herder, 1882, t. I, col. 210.

« Christum, qui peccatum non fecit, [1] et ab illo recreati et « vivificati, restituamur in paradisum, ubi latro cum ipso eo « die meruit esse, [2] qui vitam istam finivit ». [3]

Quae sane applicatio undequaque egregia est, et menti Pauli prorsus consona. Iam vero, iuxta hanc interpretationem, quum homo terrenus sit quidem Adamus, maxime post amissa dona spiritus per peccatum, est tamen quoque spiritualis Adamus, maxime autem Christus per Adamum figuratus. Unde iuxta hanc interpretationem hic locus S. Pauli non habet vim stringentem, nisi indirecte, quatenus, si spiritualis Adam Dei visionem habuisset, a iustitia deflectere non amplius potuisset, ut de spirituali fieret terrenus.

Conclusio itaque nostra sit, ex hoc Pauli textu per se sumpto vix posse deduci argumentum prorsus apodicticum.

Factum autem, scilicet Adamum per essentiam non vidisse Deum, diserte affirmat Ioannes: « Deum nemo vidit « unquam ». [4] - Et Paulus de Deo dicit quod « habitat lucem « inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre « potest »; [5] - iuxta illud quod de seipso Deus affirmavit ad Moysen dicens: « Non poteris videre faciem meam: non « enim videbit me homo, et vivet ». [6]

In Corpore. - Doctrina huius *Corporis* duplici parte constat. In priore S. Thomas solvit quaesitum negando. In altera responsum temperat, ostendens cur et quomodo Adam, licet Deum non videns, perfectiorem tamen de illo cognitionem habuerit ac nos habemus. De utraque parte quaedam sint.

Circa *priorem partem.* Simile argumentum alibi affert S. Doctor quaerens: « Utrum Angelus aut homo in prima « sui conditione habuerit fidem ». [7] Sed modo procedit inverso. Ibi, ex hoc quod Angelus et homo non habuerint visionem ab initio, ostendit quomodo ipsis remanserit locus fidei. Hic autem, ex hoc quod primi nostri parentes peccare potuerint,

[1] I Petr., II, 22.
[2] Luc., XXIII, 45.
[3] *De Gen. ctr. Manich.*, l. II, c. 8, n. 10. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 201.
[4] I Ioann., 18.
[5] I Tim., VI, 16.
[6] Exod., XXXIII, 20.
[7] II - II Q. V, a. 1.

concludit ipsos non habuisse visionem beatificam. - Porro hoc argumentum non nisi de visione habituali valere, satis apparet. Impeccabilem quippe reddit visio dum habetur; non autem servat postquam iam evanuit; si tamen semel habita, unquam amittatur.

2) Circa *alteram partem.* Posito principio quod cognitio obiecti in speculo pendeat a limpiditate speculi, - addi posset: vel a limpiditate oculi obiectum in speculo intuentis, - S. Thomas explicat cur et quomodo Adam perfectius Deum in creaturis cognoverit. Porro duplicem huius rei exhibet rationem: scilicet primo perfectam in seipso ordinationem, qua fiebat ut ab inferioribus sui partibus homo a contemplatione superiorum, scilicet spiritualium, non distraheretur; alteram, adiutorium scientiae modo gratuito divinitus concessae. Prior ratio facit cognitionem perfectiorem uti humanam; altera appropinquat ad cognitionem angelicam. Cognitionem autem supernaturalem stricte dictam S. Thomas non expresse describit. Contineri tamen videtur in hac altera cognitione gratuita. De utraque ulterius sermo recurret.

S. Bonaventura utitur eadem speculi comparatione ut conditionem praesentis vitae relate ad Deum cognoscendum illustret: « In patria sine medio videbitur Deus cum visus « noster in praesenti non possit propter debilitatem in excel- « lentem lucem figi, necesse est habere medium, scilicet crea- « turarum speculum ».[1] Et S. Basilius Magnus, loquens utique de cognitione hominis carnalis, ait eum non posse intueri spirituale lumen veritatis, nisi indirecte per eius reflexionem in aquis.[2]

Discrimen autem inter Dei visionem et cognitionem qualis in vita et Sanctis conceditur, ipse Deus per haec verba ad Moysen expressit: « Videbis posteriora mea, faciem autem « meam videre non poteris ».[3]

Corollarium I. - Ex dictis in hoc articulo collige, singulare fuisse privilegium Christi, quod, uti homo, ab initio essen-

[1] *Compend. theol. verit. de natura Dei*, I, 10.
[2] *De Spir. Sancto*, XIV, 33; XXII, 53.
[3] EXOD., XXXIII, 23.

tiam Dei viderit.[1] Angeli conditi sunt in gratia, saltem iuxta communem sententiam; at visio beatifica fuit ipsis merces liberae conversionis in Deum.[2]

Corollarium II. – Ex responso ad 3^um^ apparet, triplicis veluti gradus haberi cognitionem Dei: 1) directam per visionem; 2) indirectam per creationem uti medium *in quo;* 3) indirectam per creationem uti medium *per quod.* Cognitio autem per revelationem seu fidem est alterius ordinis, utpote per medium auctoritatis ipsius Dei revelantis.

Porro observa, cognitionem Dei per creata, uti per medium *in quo,* non excludere apprehensionem eiusdem cognitionis ope medii *per quod;* sicut Angeli, licet non intelligant per discursum, intelligunt tamen discursum.[3]

Quantopere autem haec cognitio Dei per creata uti *per quod* differat a Dei cognitione ab ontologistis inducta, liquet. Haec enim, nisi involvat visionem, est veluti media inter eamdem et cognitionem indirectam; seu media inter primum et secundum e tribus gradibus cognitionis superius distinctis.

Corollarium III. – Quum Adamus ex una parte visionem Dei non habuerit, ex altera vero gratuita illustratione a Deo sit ditatus; quumque, uti mox videbimus, haec illustratio

[1] Cf. quae de hoc argumento disputavimus in nostro tractatu *De Deo Homine, Christologia,* n. 402, sqq. Haec iam erant typis expressa, quando non sine magna laetitia accepimus decretum a S. C. S. O. die 4 iunii 1918 editum, quod ex integro transcribimus: « Proposito a S. C. de Sem. et Stud. Univ. dubio: « Utrum tuto « doceri possint sequentes propositiones:

« I. Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam, quam « habent beati seu comprehensores.

« II. Nec *certa* dici potest sententia, quae statuit animam Christi nihil ignora- « visse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, praeterita, praesentia et futura, « seu omnia quae Deus scit scientia visionis.

« III. Placitum quorumdam recentiorum de scientia animae Christi limitata, non « est minus recipiendum in scholis catholicis, quam veterum sententia de scientia « universali ». Et responsum sonat: *Negative.*

Utinam hoc decretum finem imponat audaciae modernistarum hac in re, necnon aliorum theologorum catholicorum liberalismo protestantico, praesertim apud Germanos, plus minusve infectorum!

[2] Cf. quae de hoc argumento diximus in tractatu nostro *De Angelis,* Q. LXII.

[3] Imo hoc et de Deo valet. Cfr. nostram praecedentem tractationem *De natura hominis,* p. 497, sqq.

fuerit ordinis supernaturalis, utpote inclusa in gratia Dei, consequens est, Adamum habuisse Dei necnon mysteriorum quae ad Deum, Angelos, hominesque spectant, cognitionem illam quae parit fidem, fidem supponit et cum fide servatur. Unde si Christus fidem habere non potuit, utpote comprehensor simul et viator,[1] Adamus e contra fidem habere potuit eo perfectiorem, quo a perfectiori Dei illustratione scaturiebat et ad perfectiorem spem et charitatem ordinabatur. Nam huic fidei adiuncta erat spes. Quomodo enim sublimis sortis quam fide introspiciebat, non habuisset illud desiderium divino oraculo divinaque fidelitate firmatum, in quo consistit spes, quae ducit ad charitatem? Unde Abrahamo melius Adam meretur appellari « pater fidei nostrae ».

Ad supernaturalia Dei cum protoparentibus colloquia alludere videntur verba *Geneseos:* « Cum audissent vocem « Domini Dei deambulantis in paradiso, ad auram post meri- « diem ».[2] Unde haec aura quae innocentes implebat spirituali gaudio, iam a iustitia delapsos moesto implet timore. Bene Antonius Martini: « Egli è molto credibile che fino a « tanto che durò lo stato d'innocenza, Dio si facesse vedere « a' nostri progenitori sotto una figura adattata alla loro « capacità, e che il tempo di tali visite fosse quello che qui « si descrive; vale a dire quando declinava il sole dal mez- « zodì, l'aura dolce e leggera che si levava, invitava a godere « con piacere maggiore lo spettacolo della natura ».[3]

ARTICULUS II.

UTRUM ADAM IN STATU INNOCENTIAE ANGELOS PER ESSENTIAM VIDERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Quo melius doctrina huius articuli intelligatur, recolenda quaedam sunt de modo quo anima unita corpori cognoscit, necnon de modo quo cognoscunt Angeli, et anima in statu separationis a corpore.

Anima humana, quum infimum gradum teneat in ordine creaturarum rationalium, ita habet facultatem intellectivam

[1] Cf. in eodem nostro tractatu p. 345 sqq.

[2] Gen., III, 8.

[3] In hunc locum.

sibi commensuratam, ut non nisi plurium ope specierum distincte cognoscere valeat. Quare in bonum ipsius unitur corpori, quippe quod ipsi suppeditat singulorum phantasmata, quorum ope cognoscat. Per haec a singularibus, materialibus, extra se anima exsurgit ad cognoscendum ipsius cognitionis actum et per hunc potentiam a qua est, ac ita seipsam. A cognitione autem sui ipsius mox ad cognitionem aliarum animarum sese extendit. Inde per modum analogiae assurgit ad cognitionem aliarum substantiarum separatarum, semperque ascendendo, ad aliqualem potest ipsius Dei notitiam pervenire.

Porro ita naturale est animae cognoscere per phantasmata, ut hic cognitionis modus, nedum imperfectio, potius perfectio ipsi sit, quia vitali seu animali nexu corpori coniungitur, et haec cognitio mensurae intellectualitatis ipsi propriae maxime respondet. Quum iam status innocentiae in quo Adamus conditus fuit non sit elevatio supra naturam humanam (de praeternaturalibus enim dotibus hic loquimur), nullo modo ex hac integritatis plenitudine sequitur, Adamum debuisse Angelorum essentiam videre.

2) Neque instantia recte movetur ex hoc quod animae separatae cognoscant substantias separatas. Etenim *a*) praedicta praecludunt instantiae viam per hoc quod animae cognitio maxime naturalis, ac proin in hoc ordine maxime perfecta, sit cognitio ope corporis phantasmata ministrantis. Sed neque *b*) concedenda est simpliciter affirmatio instantiae. Utique anima separata sine phantasmatum auxilio intelligendo cognoscit intelligibilia secundum se, et seipsam per seipsam. Sed et in hoc statu servanda est proportio inter cognoscentem et cognita. Quare anima separata cognoscit quidem perfecte seipsam et ea quae sunt eiusdem gradus et infra; non autem perfecte cognoscit ea quae sunt supra se. Proin animae separatae cognoscunt se perfecte ad invicem, non autem cognoscunt nisi imperfecte substantias angelicas, quum nec ipsi Angeli inferiores perfecte superiores cognoscant. [1]

[1] Cfr. quae alibi diximus agentes de cognitione animae separatae (Q. LXXXIX, cum praecedentibus): nec non de cognitione Angelorum (Q. LIV, sqq.).

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Confundit cognitionem per manifestationem qualemcumque, et cognitionem per visionem ipsius essentiae, vi perfectionis intellectionis ex innocentiae statu resultantis. – Vide quam intimo nexu haec prima obiectio cum responsione ad ultimam obiectionem praecedentis articuli connectatur.

2ª Obi. Falso supponit, gravedinem unicum esse corporis impedimentum quominus homo Angelorum essentiam videre possit. Cfr. dicta n. 1.

3ª Obi. Illegitime concludit a cognita una substantia separata ad cognitionem substantiae superioris ordinis. Cfr. dicta n. 2.

Sed contra est. Ex iam expositis patet vis argumenti. Continetur autem in his verbis *Geneseos:* « Formavit igitur « Dominus Deus hominem de limo terrae (en corpus), et « inspiravit in faciem eius spiraculum vitae (en animam), et « factus est homo (en compositum) *in animam viventem* ». Atqui animae viventi haec vita animae ad corpus unitae perfectio est. Ergo ipsa perfectio status in quo Adam conditus est non exigebat exemptionem ab hoc vivendi modo. Atqui, uti superius illustravimus, proprium est huiusmodi vitae ut homo cognoscat per conversionem ad phantasmata. Ergo.

In Corpore. Processus corporis constat quinque partibus.

1) In prima parte S. Thomas praemittit duplicem modum distinguendi statum animae: alium secundum *diversum modum* τοῦ naturalis esse; alium secundum diversam perfectionem *in eodem modo* τοῦ naturalis esse. Scopus huius distinctionis in sequentibus apparebit. Confusio enim in quaesito oritur praecise ex hoc quod proprium unius distinctionis applicatur ad alterum, quasi anima in statu innocentiae se haberet ad animam in statu lapso, quemadmodum anima separata ad animam corpori unitam.

2) In secunda parte S. Thomas demonstrat, discrimen inter statum innocentiae et statum praesentem non esse diversi modi essendi naturalis, sicuti sunt status coniunctus et status separatus; sed secundum eumdem modum essendi naturalem, scilicet in statu coniuncto. Huc facit et discrimen supra

expositum inter dona praeternaturalia et supernaturalia. Dotes de quibus hic agitur non ad haec, sed ad illa referenda sunt. Quas dotes S. Thomas considerat uti perfectionem naturae ipsius, potius quam uti communicationem qualitatum naturae superioris. Iste modus rem considerandi, debita sane mensura, erat magis familiaris veteribus, eumque iudicamus simpliciorem simul et profundiorem. Distinguebant enim inter *debita* naturae et *perficientia* naturam. Illa erant simpliciter naturalia; haec potius supernaturalia, utpote supra exigentiam naturae et collata ex gratia; aliquatenus tamen naturalia, tamquam perficientia ipsam naturam et dignitati partis superioris eiusdem naturae summe consona.

3) In tertia parte S. Thomas concludit, cognitionem substantiarum separatarum non adnumerandam esse hisce dotibus Adae collatis, quum non pertineat ad perfectionem hominis considerati in natura sua animae viventis, id est vita animali corpori coniunctae.

4) In quarta parte S. Thomas transit ad ostendendum per quasnam ascensiones mens humana, licet a phantasmatibus dependens, tum Angelorum, tum ipsius Dei cognitiones acquirere possit. Exposita autem celebri gradatione dicta Dionysiana, manifestat discrimen ingens quod interest inter primum et alios duos gradus: primus terminatur in cognitionem perfectam; alteri duo solummodo in imperfectam.

5) In quinta demum parte S. Doctor rationem exponit propter quam primus homo, licet incapax cognoscendi Angelos per visionem eorum essentiae, nihilominus nostram de illis cognitionem superabat. Quemadmodum enim ob maiorem luciditatem et libertatem mentis Adam per creata melius ad Deum ascendebat, ita quoque cognita propria anima ad Angelorum cognitionem velocius et clarius assurgebat.

De hoc ultimo rursus valet illud quod S. Doctor in *Corpore* art. praec. dixit: « Sive naturali cognitione, sive gra- « tuita ». Quae poterat communicari vel immediate ab ipso Deo, vel, licet alio modo longe inferiori, ab ipsis Angelis Adamo apparentibus atque cum ipso colloquentibus.

Ex dictis apparet, hunc articulum complere praecedentem, quia fusius explicat modum quo primus homo per usum

suae rationis cognitiones acquirere potuit, praetermissa supernaturali illustratione. Insuper in hoc articulo habes lucidissime contracta quae in praecedenti volumine de via cognitionis humanae contemplati sumus.

Resp. ad 3m. Huc facit illud S. Thomae superius explicatum: « Est commune omni substantiae separatae, quod « intelligat id, quod est supra se, et id quod est infra se, « *per modum suae substantiae* ».[1]

ARTICULUS III.

UTRUM PRIMUS HOMO HABUERIT SCIENTIAM OMNIUM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Nexus inter hunc articulum et praecedentem est duplex. *a*) Ex una parte complet scalam Dionysianam ordine inverso dispositam. *b*) Ex altera parte obiectioni latenti respondet hoc pacto. Si homo in statu etiam innocentiae fuit quoad cognitionem phantasmatibus alligatus, debuit esse in initio sine ulla scientia, nec potuit nisi per temporis spatium illam sibi acquirere. Hoc autem fuisset dignitati et muneri primi hominis maxime repugnans. Ergo.

2) Solutio erit in conciliando utrumque: tum munus primi hominis, tum modum humanum quo facultatibus utebatur. Quo pacto? Insistendo magis in dotes praeternaturales et in illustrationes supernaturales, quibus intellectus primi hominis fuit ab initio instructus.

3) Si autem, – praetermissa illustratione circa obiecta fidei – scientia ita ab Adamo accepta confertur cum scientia nostra, eiusdem rationis erat in se, licet alterius rationis quoad modum. Mensura autem huius infusae scientiae erat ab ipso dimetienda munere ob quod conferebatur.

4) Cavendum igitur est ab excessu, ne ultra limites urgeatur infusa scientia divinitus Adamo collata.[2] Quemadmo-

[1] I. Q. LXXXII, a. 2. in *Corp.*.

[2] Hoc sensu scilicet cl. Murillo, S. I., solvens obiectionem motam contra tentationis narrationem ex scientiae perfectione qua erant protoparentes dotati: « Ante « todo adviértase el verdadero alcance de los donos en Adán y Eva. Los sobrena- « turales versaban sobre todo acerca de la santificación y perfección moral y con- « sistían en la gracia y hábitos de las virtudes que adornaban su alma elevándola; « pero no dilataban la capacidad intelectual de sus mentes y dejaban intactas sus

dum enim miracula non sunt praeter rationes adaequatas multiplicanda, ita nec praeternatnrales dotes praeter motiva ob quae conferuntur. Magis praecise ad minima usque inquirere quousque haec infusa scientia se extenderit, inutilis negotii nobis esse videtur.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Tripartitio in species acquisitas, connaturales et infusas bona est. Rationes insuper ad excludendas duas primas sunt validae. Sed ratio allata de tertio specierum genere claudicat. Cfr. dicta n. 3.

2ª Obi. Abstrahit ab ipsa ratione conditionis specialis in qua erat Adamus. Quare procedit modo arbitrario et inefficaci.

3ª Obi. Multipliciter peccat: *a*) permixtim loquitur de naturalibus et de supernaturalibus; - *b*) abstrahit ab his quae Adamus non novit ab initio et naturali via addiscere potuit; - *c*) supponit, dari non posse scientiam tempore acquisitam, illius eiusdem rei quam infuse quis a principio novit; [1] - *d*) eodem modo arguit de profectu scientiae ac de profectu meriti.

Sed contra est. Argumentum ex hoc loco *Geneseos* adductum est validissimum, fuitque a tota traditione agnitum. [2]

Nisi Adam novisset indolem uniuscuiusque animalium, quid essent nisi ludicra illa verba: « Deus adduxit ea (cuncta « animantia) *ut videret quid vocaret ea* ... Appellavitque Adam « nominibus *suis cuncta* animantia, et *universa* volatilia « caeli et *omnes* bestias terrae ». Cur *nominibus suis*, nisi quia *nominibus* naturam unuscuiusque exprimentibus; *suis* proin iam antecedenter, non solum consequenter?

« aptitudines especificas. En cuanto a los dones naturales de ciencia superior, tam- « poco es menester que fueran en grado supremo: en todo caso debian ser proporcio- « nados á la naturaleza humana sin que ni cambiesan su especie, ni hicieran despa- « recer su limitación y sus deficiencias » (op. cit., p. 295). Caeterum scientia praestabat Adamus, qui nec deceptus est. Unde tentator aggressus est Evam.

[1] Cfr. circa hoc doctrinam expositam in tractatu *De Verbo Incarnato* quoad varias scientias quas habuit etiam in statu viae anima Christi.

[2] Supponimus hic rursus hanc narrationem habere indolem historicam. « Censet « Caietanus, haec omnia phantasiae quadam imagine Adamo subiecta, nihil autem « reipsa factum. Sed phantasiae ludibrio opinio illius deputanda est ». Ita modesto sane ingenio Calmet. *

* In hunc locum.

Ubi adverte, ex hoc loco non solum probari, Adamum ab initio, - nondum enim erat de costa eius formata Eva, - infusam habuisse scientiam *rerum,* sed etiam scientiam *sermonis humani.* Magna enim peritia linguae iam requiritur, ut tot nominibus distinctis tam ingens multitudo animantium aliquis unus vocare possit. Hanc autem linguae peritiam, ante sociae creationem, Adam nonnisi infusam potuit habuisse, uti mox illustrabimus.

Porro cognitio quam Adam perhibetur de animalium indole habuisse, ad omnem extendenda est naturam, quippe in qua, uti in libro eloquentissimo, intuebatur mirabilia Dei. Inchoavit enim Adam illam Creatoris laudem, quam ex eius operum contemplatione tam eloquenter erat decantaturus Psalmista: « Caeli enarrant gloriam Dei... Dies diei eructat « verbum. - Domine, quam admirabile est nomen tuum in « universa terra! ».[1] Si enim philosopho roganti quomodo absque libris in eremo vivere posset, Antonius respondisse fertur: « Meus liber, o Philosophe, est natura rerum a Deo « conditarum, quae quotiescumque mihi libuerit, libros « ipsius Dei ad legendum suppeditat »;[2] quanto magis id de Adamo valuit, primo interprete laudis perennis, quae per mentem et cor hominis ad Deum ex creatura visibili ascendit, imo cuius intuitu ipsa creatura irrationalis est condita.[3]

Ex narratione mosaica heic adducta S. Augustinus pulchre arguit: « Neque secundum christianam cogitatis fidem, « qualis sit factus Adam, qui universis generibus animarum « vivarum nomina imposuit: quod excellentissimae fuisse « indicium sapientiae, in saecularibus etiam litteris legimus. « Nam ipse Pythagoras, a quo philosophiae nomen exortum « est, dixisse fertur, illum fuisse omnium sapientissimum, « qui vocabula primus indidit rebus ». Quam sapientiam ex ipsa perfectione conditionis suae Adamum condecuisse demonstrat. « Verum etsi nihil tale de Adamo didicissemus,

[1] Ps. XVIII, 1, 2; Ps. VIII, 1.

[2] Apud Socratem (*Hist.*, l. IV, c. 18). Cf. S. BASILIUM (*Hexaem.*, hom. 11): « Uni- « versa haec mundi moles perinde est ac liber litteris exaratus, palam contestans « gloriam Dei ».

[3] Huc facit et fabula a Philone relata (Lib. *De plant. Noë*).

« nostrum erat utique vera ratione coniicere, qualis in illo « homine natura sit condita, in quo vitium omnino nullum « fuit. [1] Et quis dubitet christianus, eos qui in hoc saeculo « erroribus aerumnisque plenissimo, ingeniosissimi apparent, « quorum tamen corruptibilia corpora aggravant animas, si « illius ingenio comparentur, distare longe amplius quam « celeritate a volucribus testudines distant » ? [2]

Iam ante Augustinum ex eadem narratione recte arguerat Philo Iudaeus: « Optime impositionem nominum primo homini « tribuit. Id enim opus est sapientiae et regiae dignitatis. « Porro ille sapiens erat, qui a seipso didicerat, nec ab alio « perdoctus fuerat, divina quadam id gratia consecutus. Sed « etiam praeterea rex erat. Est autem duci ac principi con- « sentaneum, unicuique subiectorum sibi proprium nomen « assignare ». [3]

Sapientiae Adami argumentum in hoc quoque reperit Augustinus, quod de mystico sopore « evigilans tanquam pro- « phetiae plenus ... eructavit continuo quod magnum sacra- « mentum commendat Apostolus. ... [4] Quae verba cum primi « hominis fuisse Scriptura ipsa testatur, Dominus tamen in « Evangelio Deum dixisse declarat [5] ... ut hinc intelligeremus « propter extasim [6] quae praecesserat in Adam, hoc eum

[1] Ecce principium ex quo S. Thomas in articulo sequenti immunitatem ab errore in statu integro vindicabit.

[2] *Ctr. Iulian.*, l. v, c. 1. – *P. L.*, t. XLV, col. 1432.

[3] *De mundi opif.*

[4] EPH., V, 31, 32.

[5] MATTH., XIX, 4.

[6] Soporem Adamo immissum fuisse simul supernaturalem quamdam extasim, Concilium Tridentinum declarat his verbis : « Matrimonii perpetuum indissolubilem- « que nexum primus humani generis parens, divini spiritus instinctu pronuntiavit « cum dixit: hoc nunc os ex ossibus meis ..., quamobrem relinquet homo patrem et « matrem. ... ». * Praeclare de his Adami verbis exclamat Lacordaire: « Cette parole, « Messieurs, ou plutôt ce chant renfermait toute la constitution de la famille; la « dignité réciproque de l'homme et de la femme, l'indissolubilité de leur union, et « cette union en deux personnes seulement. La dignité d'abord, puisque la femme « avait été prise de l'homme, et qu'on ne pourrait jamais lui reprocher d'avoir été « formée d'un limon secondaire; l'indissolubilité, puisque leur union était dans une « même chair; l'unité, puisque cette union n'était qu'à deux ». **

* Sess. XXIV.

** XXXIV[e], *Confér.*

« divinitus tamquam prophetam dicere potuisse ». [1] Imo non parum fuit Adamo proclamasse vinculum sacrum unionis coniugalis, quod nec ipse Plato agnovit. [2]

Audiatur et S. Ioannes Chrysostomus ex eodem *Geneseos* loco arguens: « Non temere, neque absque causa hoc factum « est, sed propter ea quae paulo post futura erant. Deus enim « cum praesciret quid non multo post eventurum esset, osten- « dit nobis quantam sapientiam condito a se homini dedit, « ut cum praevaricatio mandati a Deo dati contingat, non « putetur per ignorantiam peccasse, sed sciri posset lapsum « illum ex desidia fuisse. Nam quod magna sapientia prae- « ditus fuerit, disce ex iis quae nunc fiunt. " Et adduxit illa, « inquit, ad Adam ut videret quid vocaret illa „. Fecit hoc « Deus, demonstraturus nobis magnam illius sapientiam. Et « iterum. " Quod vocavit, inquit, Adam hoc est nomen illi „. « Factum autem hoc est, non ut discamus illius sapientiam « solum, sed ut et symbolum dominii per nominum impo- « sitionem cognoscatur. Nam et hominibus mos est hoc « facere in signum dominii, ut cum servis emerint, ipsorum « nomina mutent. Unde et Adam instruit, ut omnibus brutis « tamquam dominus nomina vocaret. Ne igitur hic subito « praetereas, dilecte, quod dicitur; sed cogita quantae fuerit « sapientiae tot generibus, volatilibus, reptilibus, feris, iumen-

[1] *De Gen. ad litt.*, l. IX, c. 19. – *P. L.*, XXXI, col. 408.

Optime Suarez idem ita exprimit: « In illis verbis duplex prophetia continetur: « una de futuro: nam Adam dormiens non vidit formationem Evae ex ossibus suis, « et tamen illam cognovit et professus est. Aliam de futuro, nimirum Christi Incar- « nationem, nam hoc sacramentum agnoscit Paulus in illis posterioribus verbis Adae « ad Ephesios et Patres frequenter docent.... Ergo signum est Adam cognovisse « haec mysteria ac subinde soporem illum spiritualem extasim fuisse ». *

De sacramentali symbolo nuptiarum a primo homine divina inspiratione introspecto disserit Bourdaloue in pulcherrima concione *Sur l'état de mariage – Sermon pour le second dimanche après l'Epiphanie*.

[2] Optime Massillon: « Platon, qui avait si fort approché de la vérité, anéantit « néanmoins la sainte institution du mariage: et permettant une brutale confusion « parmi les hommes, il confond les noms et les droits paternels que la nature elle- « même a toujours respectés le plus même parmi les animaux; et donne à la terre « des hommes incertains de leur origine, tous venant au monde sans parents, pour « ainsi dire, et par là, sans bien, sans tendresse, sans affection, sans humanité; tous « en état de devenir incestueux ou parricides, sans le savoir ». **

* Lib. III, *De homin. creat. et statu innocentiae*, c. 2.

** *Carême. Sermon du Jeudi après les Cendres.*

« tis et aliis brutis, domesticis et agrestibus, et in aqua « vitam agentibus, [1] et a terra productis, et in summa omni- « bus propria et convenientia suae naturae imponere no- « mina.... [2] Nam qui potuit congruis nominibus iumenta « appellare, et volatilia caeli, et alias bestias, neque ordinem « confudit, neque mansuetis animalibus convenientia feris « imposuit, nec feris convenientia mansuetis attribuit, sed « omnibus sua dedit nomina, quomodo non omni sapientia « et industria pollebat? ». [3]

Corroboratur hoc argumentum ex modo quo Salomon describitur a Deo sapientiam accepisse: « Et disseruit de « iumentis et volucribus, et reptilibus et piscibus ». [4] Sane mirabile donum a Deo collatum Salomoni erat veluti umbra sapientiae primo homini infusae, et adumbratio typica sapientiae perfectissimae futuri aeternique Salomonis Christi, tempore suo dicturi Iudaeis: « Et ecce plusquam Salomon hic ». [5]

Pariter idem S. Doctor in Adamo donum propheticum agnoscit et celebrat: « Idcirco antea docuit nos beatus ille « propheta, eum et somno et exstasi correptum fuisse: « ita ut ne sensum quidem ullum eius quod fiebat perci- « peret: ut cum nunc dixit, eum visa muliere diligenter « quod factum erat enarrare, credas certo, eum accepta pro- « phetica gratia, et Spiritus Sancti doctrina afflatum haec « loqui ». [6]

Eleganter de primi hominis scientia disserit Hugo Victorinus: « Si ergo quaeritur de primo homine, qualis ante pec- « catum fuerit, secundum animam quidem rationalis fuit, « habens discretionem boni et mali; scientiam quoque rerum, « quantum ad principium conditionis, pertinuit perfectam ». En principium fundamentale paucis egregie positum. Iam evolvitur: « Nam sicut (quantum pertinet ad perfectum sta- « turae et aetatem humani corporis) primum hominem per-

[1] E contra Augustinus subtiliter quaerit, cur Adam non etiam tunc piscibus nomina imposuerit, nam de piscibus sacer textus tacet (*De Gen. ad litt.*, IX, c. 12. – *P. L.*, t. XXXIV, col. 400 sq.).

[2] *Homil. XIV in Gen.*, c. 4, 5. – *P. G.*, t. LIII, col. 116.

[3] Ibid., col. 118.

[4] II REG., IV, 33.

[5] MATTH., XII, 42.

[6] *Homil XV in Gen.*, n. 3. Ibid., col. 122.

« fectum credimus factum, ita quoque (quantum ad animam) « cognitionem veritatis et scientiam (eam dumtaxat quae « primae perfectioni congrua fuit)[1] perfectum mox conditum « accepisse putamus, et ad illam non studio aut disciplina « aliqua per intervalla temporis profecisse; sed simul et semel « ab ipso sui conditionis exordio, una ac simplici divinae « aspirationis illuminatione illam accepisse ».[2] Iam triplicem huius scientiae ambitum sive campum optime describit. « Triplici autem cognitione primum hominem eruditum con- « stat, cognitione scilicet creatoris sui, ut cognosceret a quo « factus erat;[3] et cognitione sui, ut cognosceret quid factus « erat et quid sibi faciendum erat; denique cognitione quo- « que illius quod secum factum erat, et quid sibi de illo et « in illo faciendum erat ».

Iam ex narratione *Geneseos* pius profundusque scriptor hanc suam doctrinam, quoad hunc tertium campum, ita ingeniose confirmat et illustrat: « Rerum enim omnium visibi- « lium, quae cum homine et propter hominem factae erant, « perfectam cognitionem hominem accepisse, nulli dubium « esse debet, quantum videlicet sive ad animae eruditionem, « sive ad corporalis usus necessitudinem pertinere videba- « tur ». En magis explicatam locutionem, cuius sapientem cautelam modo signabamus. « Nam idcirco ipse Creator non « a se aut ab Angelo aliquo singulis quibusque animalibus, « sed ab homine nomina formari valuit, ut manifeste osten- « deret quod singulorum naturam et usum et officia[4] ex « insita sibi ratione homo agnovit. Quae enim propter illum « creata erant, ab illo regenda et disponenda erant, et idcirco

[1] Vide quam cauta sit haec locutio mox plenius explicanda, et quam efficaciter truncet quaestiones prorsus frivolas quae de hac Adami scientia interdum moventur, v. gr. utrum Adam cognoverit inventionem telephonicam? Cur non aëreas naves, iuxta carmen illud pastoris lutherani Deum invocantis, utique suum, qui regnat « super Cherubim et Seraphim et Zeppelin »?

[2] Quam consona sint haec verba sententiae quam in proxima appendice evolvemus, sponte apparet.

[3] Quod et de prima muliere valet. Unde perpulchre Michaël Angelus Buonarroti, in Sixtino sacello, Evam depinxit gestu adorationis e latere Adami procedentem, suumque Creatorem grata exstasi contemplantem.

[4] Optime quidem, descriptiva enim nomina solent vel ab eorum natura, vel ab officiis repeti.

« horum omnium Deus illi et scientiam tribuit et providen-
« tiam reliquit ».[1]

Placet et de eodem *Genesis* textu audire Bossuetium: « En amenant les animaux à l'homme, Dieu lui fait voir « qu'il en est le maître, comme un maître dans sa famille « nomme ses serviteurs, pour la facilité du commandement.[2] « L'Ecriture, substantielle et courte dans ses expressions, « nous indique en même temps toutes les belles connais- « sances données à l'homme, puisqu'il n'aurait pas pu nom- « mer les animaux, sans en connaître la nature et les dif- « férences, pour ensuite leur donner des noms convenables, « selon les racines primitives de la langue que Dieu lui « avait apprise. C'est donc alors qu'il connut les merveilles « de la sagesse de Dieu, dans cette apparence et cette ombre « de sagesse, qui paraît dans les industries naturelles des « animaux. Louons Dieu avec Adam et considérons un mo- « ment toute la nature animale, comme l'objet de notre rai- « son ». Et post elegantem simul et profundam descriptionem sapientiae divinae in animalibus elucentis, qualem in psalmis non semel reperimus, claudit hisce verbis: « Tous les ani- « maux sont à l'usage de l'homme, puisqu'ils lui servent à « connaître et à louer Dieu. Mais outre cet usage plus uni- « versel, Adam connut dans les animaux des propriétés par- « ticulières, qui leur donnaient le moyen d'aider par leur « ministère celui que Dieu faisait leur seigneur ».[3]

Paucis haec omnia contraxit Lombardus dicendo: « Rerum « cognitionem hominem accepisse, perspicuum est, cum non « ipse Creator, vel Angelus aliquis, sed homo omnibus ani-

[1] Op. cit., l. I, p. 6, c. 12, 13. - *P. L.*, t. CLXXVI, col. 270 sq.

Claudit ostendendo discrimen inter hunc scientiae ambitum et duplicem aliam : « Hanc autem scientiam (quemadmodum et illam qua carni suae commoda et neces- « saria providere debuerat) quia homo peccando non perdidit, idcirco Deus post- « modum illum per Scripturas suas de eiusmodi erudire non curavit. De scientia « vero animae sola idcirco homo cum reparabatur, erudiendus fuit, quoniam solam « illam prius peccando amisit » (Ibid., col. 271).

[2] Vide Bossuetium prope ad verba reddere Chrysostomum.

[3] *Elévations sur les mystères,* V Sem., I Elév. – Cf. et sequentem pulcherrimam elevationem de creatione Evae, in qua eloquenter apparet, quod in praecedenti volumine monebamus, quam leviter moderni derideant narrationem a summis ingeniis tanta reverentia illustratam.

« mantibus nomina imposuerit, ut ostenderetur, quod singu-
« lorum notitiam homo ipse habuerit. Quae enim propter
« illum creata erant, et ab illo regenda et disponenda erant,
« horum omnium Deus illi et scientiam tribuit et providen-
« dentiam atque curam reliquit ».[1] Et brevius Hugo Victo-
rinus: « Rerum omnium visibilium quae cum homine et pro-
« pter hominem factae erant, perfectam cognitionem homi-
« nem accepisse, nulli dubium esse debet ».[2]

Recte huic praerogativae Adamo ratione muneris divi-
nitus collatae applicari potest generalis Providentiae lex a
S. Bernardino Senensi in favorem S. Iosephi his verbis expo-
sita: « Omnium singularium gratiarum alicui rationali crea-
« turae communicatarum generalis regula est, quod, quan-
« documque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam
« singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia cha-
« rismata donet quae huic personae sic electae et eius officio
« necessaria sunt, atque illum copiose decorant ».[3]

Doctrinam in hoc articulo expositam non satis servant
illi qui, cum Hirscher et Günther, aliisque modernioribus,
Adamum ab initio eximiam quidem intelligendi facultatem
tribuunt, utpote optime constitutam et nullatenus impeditam,
nondum tamen evolutam, sed imo, licet brevi, evolvendam.

Ex altera tamen parte, uti recte monet Card. Katsch-
thaler,[4] Güntherus[5] excedit, ob suam de sui conscientia
doctrinam, dum affirmat Adamum divina quadam actione
indiguisse ut sui conscius redderetur, quin et mandato ut
circa illud voluntatem exercens, conscientiam acquirere pos-
set sui liberi arbitrii. Etenim, uti in praecedenti volumine[6]

[1] II, Dist. XXIII, c. 3,

[2] *De Sacram.*, l. I, p. VI, c. 13.

[3] *Serm. 1 de S. Iosepho.*

[4] Op. cit., p. 499.

[5] *Vorschule*, t. II, p. 72s qq.

[6] In hoc volumine nondum potuimus afferre recentissimum opus cl. Vance, cui titulus *Reality and Truth*. In qua vindicandae humanae certitudinis methodo auctor, nec acumine nec facundia expers, nimio dogmatismi timore in hoc vitium, ut alia taceam, sane non leve, incidit, quod, philosophicae disciplinae in seminario catholico lector ipse, tractans argumentum de quo christiana philosophia tantopere est bene merita, Augustinum et Thomam, licet utrumque principem, nec una vice nominat. Quod quam graviter offendat in normas a S. Sede pluries hisce ultimis annis indictas, nemo non videt.

exposuimus, conscientia sui veluti sponte oboritur menti, sicuti et per voluntatis usum ipsa electionis libertas.

Cavendum tamen heic est ab excessu opposito, uti iam innuimus.[1] Licet enim, iuxta superius exposita, Adamus ab initio a Deo acceperit illam scientiae perfectionem, quae ipsi ratione dignitatis et muneris condecens erat, nihilominus erat in via ad pleniorem scientiam in dies magis evolvendam, insuper in via ad patriae visionem acquirendam. Hoc sensu, et non Hirscheriano, intelligendus est S. Irenaeus, quando dicit, Adamum fuisse infantem,[2] quod et ex contextu apparet. Erat enim originalis iustitiae et scientiae status Adamo *terminus a quo,* sicut et infantibus solet esse exordium vitae. Recte Hettinger: « So war der Urstand und das Paradies « keineswegs der Abschluss, sondern nur der Gottgesetzte « *Anfang* der Vollendung des Menschen und der Natur, « aus dem sich ein sichtbares Gottesreich auf Erden, ein « heiliges Menschengeschlecht entwickeln sollte ».[3]

In Corpore. Argumentatio S. Doctoris duas partes comprehendit. In prima parte demonstrat Adamum, uti caput humani generis, debuisse ea scientiae plenitudine pollere quam requirebat eius munus a se procreandos instruendi. In secunda parte determinat quid ad hoc fuit requisitum, quid vero non.

Mittimus primam partem, quin inquiramus,[4] quousque principium a S. Doctore hic positum, de creatione omnium rerum in suo statu perfectae evolutionis, certum sit et cum scientiis naturalibus consonum. Ut unum solummodo tangamus, quid repugnaret in hoc quod plantae a virgultis incepissent, iuxta illud: « *Germinet* terra herbam virentem », etc.? Aliter sacer textus de animantibus: « *Producant* aquae reptile ... *Creavitque* Deus cete grandia ... » [5] ubi exprimi videtur, non ova, sed iam uti ex ovis animantia

[1] Pruden's huiusmodi monitum dat Chr. Pesch (op. cit.).

[2] *Haeres.*, l. IV, ». 38. – *P. G.*, t. VII, col. 1105. De similibus locutionibus cfr. PETAVIUS (*De opif. sex dier.*, l. II, c. 9), necnon *Klee* (*Dogmengeschichte,* t. I, p. 295, n. 5). – Quantopere moderni theologi « orthodoxi » hac locutione [abutantur, infra videbimus.

[3] *Apol.*, t. II, p. 1, p. 344.

[4] De hoc adspectu argumenti in praecedenti volumine sat est disputatum.

[5] GEN., I, 11, 20, 21. Cf. *Producat* terra » et « *fecit* Deus bestias », 24, 25.

fuisse producta. Utrum autem in perfecta statura, dictum sit illis: « Crescite », quia nondum illam erant adepta, quis certo determinet?[1] Caeterum neque ex hoc vocabulo contra perfectam ab initio staturam animantium argui posse, constat ex hoc solo quod pro primo homine et muliere eadem expressio recurrat,[2] licet aliunde probetur protoparentes fuisse in statura perfecta conditos.[3]

Sed quidquid de aliis rebus a Deo effectis teneatur, certum est, fundamentale principium a S Thoma praemissum habere plenam vim pro capite generis humani, tum quoad generationis officium, tum maxime quoad munus institutionis. Ubi S. Thomas inquirit de his quae ad hanc institutionem exiguntur. Et respondet S. Doctor distinguendo; si homo destinatus fuisset solum ad finem naturalem, satis fuisset ad hoc munus ut cognovisset ea quae naturali inquisitione indagari possunt et ad aliorum institutionem conducunt. Sed finis hominis est supernaturalis, per exercitium facultatum nostrarum supra se elevatarum attingendus. Oportebat ergo ut Adam haberet perfectam cognitionem depositi fidei. Quid autem in hoc fidei deposito fuerit ab initio contentum, breviter exponemus in quaestiuncula huic articulo adnexa. De hoc deposito valet principium fundamentale: Adamo Deus id totum communicavit quod eius dignitati capitis eiusque magisterio condecebat. Quum autem proprium futurum lapsum ignoraret, quae logice ipsum lapsum consequebantur, saltem sub hac formalitate, eum latuere.

[1] Sane varia viventium genera non statura modo, sed et numero crescere iubebantur.

[2] Imo post diluvium benedicens Deus dixit Noë et filiis eius: « Crescite, et « multiplicamini et replete terram » (Gen., ix, 1).

[3] Praeter rationes alibi allatas, imperium ab origine Adamo in animalia datum evidenter demonstrat, eum in statu adulto fuisse creatum. – Cf. Barthélemy St. Hilaire (*Journal des Savants,* 1862, p. 608). Consonant modus quo plasmatio Adami in sculptura templi Denderah exhibetur. Supremus deus Khnoum hominem – parvum utique, si dei staturae confertur, attamen cum proportionibus hominis adulti, – veluti figulus plasmat sedens, dum, ex altera parte dea Hégit genuflexa in Adami faciem mysticum vitae signum tendit. – Plura de eiusmodi traditionibus lege apud E. Galis, *Adam,* vii, *Traditions sur Adam* (F. Vigouroux, *Dictionn. de la Bible,* i, col. 178, sqq.). – Lege et ibidem P. Hamard, *Le premier homme au point de vue scientifique,* cuius conclusiones prorsus consonant dissertationi quam in praecedenti nostro volumine de hoc argumento conscripsimus (Ibid., col. 181, sqq.).

Adverte in enumeratione eorum quae naturali hominis studio cognosci non possunt, alia absolute, essentialiter superare capacitatem naturae sibi relictae, puta cordium et mentium abscondita scrutari, contingentia futura certo praescire; alia nonnisi moraliter eamdem capacitatem excedere, puta cognoscere numerum lapillorum in fluminis sinu iacentium.

Conclude, in Adamo fuisse *a*) *supernaturalem quoad essentiam* cognitionem eorum quae sunt fidei; *b*) *supernaturalem quoad modum* infusionem scientiarum quas naturalis ratio cognoscere potest; *c*) *praeternaturalem* certitudinem ab errore, de qua mox, et plenissimam mentis expeditionem.

Resp. ad 1m. Ex modo dictis sequitur, – quod et iam Caietanus advertit, – non omnem scientiam infusam esse eiusdem speciei ac acquisitam, neque diversae speciei; hoc enim pendet a relatione ipsius obiecti ad capacitatem naturalem facultatis cognoscitivae.

Quaeres. – Quousque se extendit revelatio supernaturalium Adamo facta? – De hoc argumento fuse et subtiliter disserunt Scholastici.[1] Adamum nondum fuisse comprehensorem, ex doctrina primi articuli vidimus. Ambulabat proin in lumine fidei, non in lumine visionis. Quare censendus est Deus Adamo id omne revelasse, quod eius dignitati capitis humani generis ad ordinem gratiae sublimati condecebat.

Et quidem Adamum cognovisse Deum unum, manifestum est. Sed praeter illam Dei notionem, quam potest mens ex visibilis creaturae et maxime sui ipsius contemplatione haurire, habuerit cognitionem unitatis Dei ab ipso Deo sibi manifestatam. Quae cognitio et aliqualem quoque cognitionem mysterii SSmae Trinitatis involverit, iuxta illud Epiphanii: « Adam protoplastus formatus est, non circumcisus, sed carne « praeputium habens. Non autem erat idololatra, et novit « Patrem Deum, et Filium et Spiritum Sanctum: propheta « enim erat ». Idque mox demonstrat: « Quia novit quod « Pater dixit Filio: " Faciamus hominem ad imaginem et

[1] Cf. v. g. Suarez, *De homin. creat. ac statu innoc.*, l. III, c. 19.

« similitudinem nostram „ ».[1] Quod inde quoque probatur, quod Adamus prophetico spiritu introspexerit Incarnationem. Iam vero Incarnationis fides, uti optime monet S. Thomas,[2] supponit fidem Trinitatis.

Porro Adamum mysterium Incarnationis cognovisse, est communis apud theologos veraque sententia. Verba enim quae, accepta divinitus uxore, protulit, ad hoc mysterium alludunt, uti infra ostendemus. Unde Hieronymus Adamum vocat primum de Christo vatem.[3] Et S. Prosper affirmat, « Sacramentum magnum Christi et Ecclesiae fuisse promis- « sum Adae, quod promissum ipse speravit ».[4] Et sane, quidquid aliquis teneat de praedestinationis nexu inter praevisam Adae culpam et Incarnationem Filii Dei Redemptoris, Adamum fuisse formam futuri Adami, S. Paulus diserte proclamat.[5] Iam vero primum Adamum non ignorasse illum, cuius erat figura, sublimitati eius status et muneris plane condecebat. In hac tamen initiali manifestatione Christi venturi nondum cognovit, uti iam diximus, suum a Deo praevisum lapsum.

Quousque autem gratia etiam initialis Adamo collata possit aut debeat vocari non solum gratia Dei sed et Christi, pressius considerabimus in ipso tractatu *De gratia*.

Haec illustratio initialis fuit in Adamo, cooperante eius bona voluntate, iugiter progrediens usque ad eius ab originali iustitia per inobedientiae culpam delapsum. Quod bene exposuit his verbis S. Gregorius: « In Paradiso quippe assue- « verat homo verbis Dei perfrui, beatorum Angelorum spi- « ritibus cordis munditia et celsitudine visionis intuere. Sed « postquam huc cecidit, ab illo, quo implebatur, mentis lumine « recessit ».[6] Ita tamen recessit, ut innocentis in poenitentiam,

[1] *Ctr. Haeres in Praefat.*

[2] II - II, Q. II, a. 8.

[3] AD EPHES., V.

[4] *De praedestinat. et promiss. Dei*, c. 1.

[5] ROM., V.

[6] *Dial.*, l. IV, c. 1. Potest igitur Paradisus vocari prima religionis schola, qua ipse Deus primum hominem instituit. Quod ita pulcherrime evolvit Segneri: « Il « paradiso terrestre, avanti che egli servisse, con una specie di antiperistasi tor- « mentosa, a rincrudire le nostre piaghe, qual più nobil uso ebbe in terra che l'es- « sere la prima scuola apertavi dall'Altissimo per addottrinare tutti i mortali? Non « prima Adamo ebbe l'essere che comparvegli quivi Dio a manifestargli i suoi biso-

Dei opitulante, miserentis et condonantis gratia, sese spei et instauratae caritatis nisu in promissum Redemptorem fideli mente et pio corde extenderit.

Appendix.

Dissertatiuncula de origine humani sermonis.

Textus *Geneseos* unde in hoc articulo argumentum deducimus, demonstrat, - nisi historicitas eiusdem narrationis denegetur, - Adamum, et quidem ante creationem Evae, nominibus propriis animalia appellasse, ac proin humano sermone esse locutum, nam testatur sacer scriptor in animalium nomina et tunc nota ab hac prima Adami appellatione esse derivata.

Quaenam fuit huius humanae loquelae origo? Ad breviter huic quaesito respondendum, sint tres sequentes propositiones.

1ª Propositio. Humanus sermo non est bestialis sermo paulatim evolutus.

Bruta suum inter se habere modum sensationes participandi, manifestum est. Non solum emittunt iuxta indolem suam varios sonos, uti leones rugitum, boves mugitum, oves belatum, equi hinnitum, asini ruditum, feles felitum, canes latratum, gallinae pipatum; sed aliis mirabili instinctu quasdam sensationes externis signis manifestant. Et sane, quomodo inter se convivere possent, nisi eis hanc facultatem natura tribuisset? Quae facultas potest artificiali modo, per humanum magisterium, sin minus radicaliter augeri, saltem

« gni segreti, formando quasi con lui questo patto da tramandarsi a' suoi posteri: « che Dio all'uomo desse l'aiuto della sua grazia, bastevole ad operare, e la rimu- « nerazione della sua gloria; l'uomo rendesse vicendevolmente l'ossequio del culto « impostogli, l'obbedienza alle leggi che a tempo a tempo ne venisse a ricevere. « Tale fu la prima lezione necessarissima. Altrimenti come avrebbe l'uomo potuto « mai indovinare quelle verità che sono sopra di lui, e singolarmente la norma di « una religione vera e valevole, se Dio stesso non gliene avesse amorevolmente date « a sapere? Può forse vedersi il sole, senza il sole medesimo che apparisca, o pos- « sono scoprirsi i suoi raggi senza che la sua luce benefica sia la prima la quale « venga ad incontrar le pupille di lei mancanti? ». *

* *L' incredulo senza scusa,* c. 2; *La necessità d'una scuola per la vera Fede,* num. 2.

externe evolvi,[1] uti apparet, v. gr., in canibus ad venandum instructis.

Qui evolutionistico processu hominem a bestia derivant, humanum sermonem ab hac bestiarum qualicumque loquela derivent oportet, iuxta Epicuri effatum: « homo loquitur sicut canis latrat ». Et re vera, materialistici glottologi ita erudito apparatu procedunt.

At haec theoria non solum est a christiana veritate aliena, sed et in sanam philosophiam vehementer impingit. Quemadmodum enim ab instinctu animali non potest paulatim fieri transitus ad rationem humanam, ita neque rudimentalis instinctiva animalium loquela potest sensim sine sensu in humanum sermonem evolvi.

In confirmationem suae theoriae isti evolutionistae athei adducunt infimi gradus sermonem, qualis adhuc hodie apud maxime depressas humanas familias reperitur.[2] Sed, uti recentiores observationes victoriose demonstrarunt, e contra apud plures huiusmodi tribus invenitur sermo tam subtilis, tam mirae formarum ubertatis, ut probet gentes ab antiquo cultu degeneres et nullatenus ab animali conditione ascendentes.[3] Ita et glottologia quoad humani generis originem christiana dictamina confirmat.

2ª Propositio. Homo, a Deo ratione dotatus, potest arte sua loquelam sibi efformare.

Ita formulata, haec propositio toto caelo differt a propositione praecedente. Concedunt quidem evolutionistae cum Darwino, hominem posse sibi loquelam efformare; sed hanc efformationem mere evolutionistice explicant, per ascensionem a gradu bestiali ad maiorem graduatam perfectionem.[4] Hic ponimus hominem a Deo creatum; – constantem

[1] Non intendimus hic artificialem loquelam merularum psittacorumve, qui iuvante memoria nonnisi mecchanico modo, ut Horatii utar verbo, « dictata recinunt ».

[2] Cf. Müller, *Three introd. Sect. on the science of thought.*

[3] Ita in Jaganorum idiomate, quod italicus viator Iacobus Bovi uti valde euphonicum iudicavit, missionarii vocabularium ditissimum repererunt. Pariter summo ingenio confecta sunt idiomata nigrorum australium. Item in lingua Hottentottorum Nama uberrimus adest suffixarum variationum usus, necnon subtilissima verborum coniugatio.

[4] Inter evolutionistas alii aliter hunc processum explicant. Inde tot theoriae empiristicae, quibus sat pomposa nomina data sunt: onomatopeica (quam sat lepide

scilicet corpore et anima, eaque ratione praedita. Iam vero thesis nostra est, talem hominem, sive solum, sive consimilibus adiectum, potuisse ad exprimendas suas cogitationes et affectus idioma sibi efformare.

Haec nostra thesis supponit veritatem a traditionalistis, nec ab illis solis, teste M. Muller, in dubium vocatam, scilicet: vocabula non esse per se idearum creativa, sed expressiva; ideoque falsum esse traditionalistarum effatum: « L'homme pense sa parole, avant de parler sa pensée ». Uti alibi iam diximus, verba sunt mirabile idearum vehiculum ad cogitata transmittenda, ac ita in mente aliorum gignenda; insuper ad ideas maiori praecisione et foecunditate ditandas. Sed initium nequit poni in verbo. Verbum est radicitus partus mentis.[1] Quod inde etiam probatur, quod articulatum idioma, idearum expressivum, nonnisi invenitur in homine ratione dotato. Qui homo non solum est vi rationis capax loquelae instituendae, sed ad eam instituendam sociali quadam necessitate inducitur.

Pulcherrime S. Augustinus hanc veritatem illustrat: « Illud quod in nobis est rationale, id est, quod ratione uti« tur, et rationabilia vel facit, vel sequitur, quia naturali quo« dam vinculo in eorum societate astringebatur, cum qui« bus illi erat ratio ipsa communis, nec homini homo firmissime « sociari posset, nisi colloquerentur, atque ita sibi mentes « suas cognitionesque quasi refunderent, vidit imponenda « esse rebus vocabula, id est significantes quosdam sonos; « ut, quoniam sentire animos suos non poterant, ad eos sibi « copulandos sensu quasi interprete uterentur ».[2] Ergo utrumque firmissimum tenet Augustinus, cogitationes praecedere verba, seu signa ad eas transfundendas inventa; hominisque rationem non modo haec signa invenire posse, sed ipsum vitae consortium eum ad loquelam inveniendam quasi impellere.[3]

a latratu canino M. Müller vocabat *Wau-Wau Theorie*) ab Herder imprimis, Whitney et Th. Curti propugnata; synergastica, a clamore concomitante, cui adhaerent inter alios L. Noirée et M. Müller. – Cf. GUTBERLET, *L'uomo, la sua origine, il suo sviluppo*, t. II, cap. V.

[1] Inde terminus divinae processionis intellectualis ad intra vocatur Verbum Patris.

[2] *De Ord.*, l. II, c. 12, n. 35, col. 1011, sq.

[3] Hoc tamen nullo modo impedit quominus in origine Deus homini in constituenda loquela tantopere adfuerit, ut divinitus infusam aliqualiter eam dicendus sit

Quod et experientia demonstratur, idque multipliciter. Qui evigilantem mentem accurate observant in pueris,[1] agnoscunt eos adhuc tenerrimos incipere gestibus et sonis paulatim magis articulatis aliquid manifestare, quod iam in mente gerunt, quin tamen id exprimere valeant. Et quando incipiunt loqui, digito obiecta monstrantes, quomodo vocentur inquirunt; quo probatur eos iam in mente gestare notionem rei, sed sollicitos esse de modo eam vocandi. Inde audiuntur propria sibi vocabula conficientes ad manifestanda ea quae iam intendunt, quin ea valeant proprio vocabulo designare. E quo patet, fundamentaliter idioma esse medium a mente creatum.

Huc facit testimonium cuiusdam surdi et muti Thomae d'Estrella, qui testatus est, se iam habuisse sat uberem fundum idearum antequam signorum ope idioma didicit.[2]

Corroboratur hoc testimonium per experimenta non semel facta in aegrotis, qui, laesa memoria, conceptus servant nitidos, obiectorum autem nomina pervertunt.[3]

Firmum igitur stat, contra M. Müller, effatum: cogitatus praecedit idioma, seu mens praecedit verbum. Unde ipse cogitatus vocatur verbum mentis, non autem mens verbi,

recepisse. De quo in fine huius appendicis. Quare haec verba Augustini, indolis mere philosophicae, nullo modo adversantur thesi quam in tertia propositione, indolis theologicae, evolvemus.

[1] Plures de hoc argumento scripserunt, sed plerumque nimis aprioristice, aut longius petentes, quae prope iacent. PREYER, *Die Seele des Kindes;* E. MEUMANN, *Die Entstehung der ersten Wortbedeutungen beim Kinde;* CL. et W. STERN, *Monographien über die seelische Entwicklung des Kindes;* O. SCHNEIDER, *Die schöpferische Kraft des Kindes.*

[2] Processus facilis quo idiomata transmittuntur per signa, confirmat fundamentalem nostram thesim quae idiomata ipsa signa esse contendit ab ideis formata. Novi Bruxellis sacellum in instituto puellarum surdarum et mutarum, ubi, dum sacerdos concionem habebat, monialis per signa concionem vertebat puellis, e quibus una sociae insuper caecae manu tenebat manum, quam subtilissimis modis premendo orationem signis acceptam solo tactu exprimebat.

[3] Celeber pictor Belga Godefridus Guffens, cuius princeps opus incendio palatii Yprensis hoc in bello destructum lugent, in fine vitae suae, adhuc tamen artis compos, confundebat nomina rerum; solitus inde itinerare cum filia sua, quae mira dexteritate vere filiali exprimendum vocabulum in oculis paternis veluti intuebatur. - Sommer narrat experimentum simile factum in patiente quodam Voit, qui, effectu cuiusdam laesionis in capite, dominium memoriae, non autem conceptuum amittebat ligatus, solutus vero recuperabat (*Leitschrift für Psychologie und Physiologie der Sinnesorgane*, II vol., p. 160 sq.).

nisi quatenus, uti modo dicebamus, cogitatus loquentis per medium verbi excitat cogitatum audientis.

Depulso itaque traditionalistico praeiudicio, si iam quaeritur de ipsa genesi humani idiomatis, seu de processu cuius ope creatrix hominis ratio tam insigne artis opus idioma produxit, non est huius loci tam complexae quaestioni immorari. Paucis mentem nostram de hoc argumento, – a scriptoribus erudite obruto potius quam docte soluto, – comprehendere liceat.

1) Non recurrendum est ad quemdam innatismum, qui e regione traditionalisticae sententiae respondet. In hunc excessum post W. de Humboldt cecidit Renan, qui affirmabat tam impossibile esse efficere inveniendo idioma, quam facultatem psysicham. Unde loquelam vocabat instinctum intellectualem rationis; et affirmabat idiomata subitaneo ictu ex ingenio variarum stirpium esse egressa.[1] Quem sentiendi modum, plus minusve aperte alii investigatores amplexi sunt, uti Lazarus,[2] Steinthal,[3] Wundt.[4]

Sed hic datur confusio, qualem in quaestione de origine idearum superius dissipavimus. Innata est homini, ex creantis Dei dono, facultas cogitandi, discursuque cogitata ampliandi; innata facultas sensuum ope spatium mentis dilatandi; innata facultas per gestus et per vocem interna manifestandi; innatus instinctus cum suis consimilibus sociali, id est humano modo conversandi. Hucusque innatismus nihil habet quod improbetur. Imo in laudem Dei, qui talem condidit hominem, redundat. Ubi autem ulterius progreditur, asserens innatas esse determinatas humanae loquelae formas, innata determinata idiomata, gratuito excedit.

Quomodo igitur processus formandi idiomatis est intelligendus? Haec quaestio aliter et aliter solvenda est philosopho, qui nihil consulit nisi facultates naturales homini datas, et philosopho christiano sive theologo, qui, uti mox videbimus, habet insuper lucem in hoc problema a revelatione proiectam. A qua luce pro instanti abstrahentes, censemus, non

[1] Cfr. GUTBERLET (op. cit., n. 2).
[2] *Das Leben der Seele*, II, 72 sq.
[3] *Abriss der Sprachwissenschaft*, I, p. 361 sq.
[4] *Völkerpsychologie*, I vol.

a veritate multum abesse M. Delbrück, quando censet quaestionem de origine humani sermonis esse insolubilem.[1]

Quaedam tamen animadvertere iuvat.

a) Abstrahendo ab origine historica humani generis, qualis nobis in *Genesi* exhibetur, nihil impedit quominus idiomata a forma rudimentali ad maiorem perfectionem sese explicuerint. – *b*) Imo haec forma rudimentalis potuisset esse ab exordio valde ieiuna, partialis, stylo veluti telegraphico constans prorsus summario, gestuque vocem iuvante et complente.[2] – *c*) Vocabula autem mutuo consensu firmanda, a paucioribus ad plura iuxta progressionem cognitionum et sociales necessitates aut opportunitates excreverint. – *d*) Imo nihil repugnat quominus in primissimis exordiis soni quidam vix articulati, gestu illustrati, efformarint veluti terminum a quo humanae loquelae; qui soni non modo ad exprimenda obiecta externa, sed et ad passiones sensationesque manifestandas inservierint.[3] – *e*) Quum vocabula sint signa, in eligendis eis formandisque, ubi agebatur de rebus quae rumore vel motu discernuntur, imitativa fuerint; [4] ubi de rebus quae ratione suae indolis alias res evocant, figurativa. – *f*) Demum, quum a simplicioribus processus naturalis fiat ad magis composita, ab una radice vocabula plurima derivata fuerint, ad res cum fundamentali notione connexas exprimendas; quod in idiomatibus antiquis manifestum apparet.[5] Praeter haec nescio utrum ad naturalem dumtaxat loquelae inventionem et evolutionem explicandam, aliquid fundati affirmari possit.

3ª Propositio. Ex Scripturis apparet, Deum praeternaturali modo formationi humanae loquelae contulisse.

Narratio *Geneseos,* variique Scripturarum contextus nos docent, primum hominem ab initio fuisse mirabili scientia

[1] *Grundfragen der Sprachforschung mit Rücksicht auf Wundts Völkerpsychologie erörtert.*

[2] Et hodie Neapolitani tantopere gestibus abundant, ut nonnisi deficientem gestum verbo complere videantur.

[3] Quantum ad hoc, nonnihil veri adest in theoria dicta synergastica.

[4] Quantum ad hoc, rursus aliquid habet veri theoria onomatopeica.

[5] Haec evolutio aliter et aliter facta est, iuxta triplex genus monosyllabicum, agglutinativum et flexibile. Cf. dicta in tomo praecedenti, p. 760, sq.

praeditum, qualis eius dignitati supernaturali et muneri capitis humanae familiae condecebat. Imo ex facto unde argumenta huius articuli desumebantur, apparet, Adamum huius scientiae documentum praestitisse ore expressum, antequam Evam sibi sociam a Deo accepisset, et dum eam de somno evigilans profunda sententia salutavit.

Ex qua salutatione veluti consequens sequitur, nisi mosaicae narrationis historicitas in dubium vocetur, et Evae ab ipso exordio haud secus ac Adamo, licet minori gradu ob dependentiam mulieris a viro, Deum scientiam infusam indidisse. Secus enim quid de hac salutatione intellexisset? Essetne Deo ac primis hominibus digna scoena quae oppositum supponit: Adamum scilicet loquela utentem, – nam iam animalibus dederat nomina, – et uxorem eius nonnisi verborum sonos non autem sensus percipientem? Ad haec non videntur satis attendisse ille theologi catholici, qui nimio facile censent, Adamum natura duce primam linguam produxisse. Si de possibilitate tantum movetur quaestio, concedimus ultro, iuxta superius dicta. Si autem de facto, distinguimus: natura duce, quatenus ex impulsu naturae rationalis, ob sociale consortium loquela indigentis, concedo; natura duce, quatenus Adam creatus est in natura, quae ad producendam loquelam miro gaudebat acumine, miraque imaginationis ac memoriae feracitate et alacritate, pariter concedo; natura duce, quatenus in conficienda hac prima lingua Adamus fuit suis viribus relictus, et non potius specialissimo Dei auxilio adiutus, nego. Imo hoc auxilium censemus fuisse tam praepotens, ut verum sit affirmare, Adamum primam linguam divinitus infusam accepisse potius quam suis viribus produxisse.

Quare non solum cum Gutberlet admittendum est, primos parentes, ob egregias dotes divinitus acceptas, potuisse brevi temporis intervallo sibi suisque conficere idioma sat completum; sed probabilius longe nobis videtur, primum hominem accepisse cum scientia infusa infusum medium ad eam exprimendam. Quod Renan conatur explicare per instinctum sermonis instantanee partum, longe sapientius et fundatius creditur divinitus acceptum. Nonne et in Novo Testamento donum linguarum apparet tamquam supernaturalis sapien-

tiae signum? Ita passim Patres,[1] magni scholastici, summique scriptores, uti Bossuet, cuius verba superius attulimus. Nec aliquid ex glottologia recentiori contra hanc sententiam potest afferri.[2]

Haec autem initialis infusio idiomatis non impedit quominus temporis decursu ingenium humanum hoc idioma magis evolvere et expolire potuerit. Hoc igitur sensu, et non ad excludendam originalem infusionem sermonis divinitus accepti, probamus sententiam a Chr. Pesch his verbis expressam: « Primitiva igitur lingua, licet ex una parte fuerit « minus arbitraria et magis perspicua quam nostra, ex altera « parte sine dubio non statim ab initio habuit omnem illam « elegantiam grammaticam et venustatem stilisticam, quam « linguae ex diuturna cultura acquirere solent, et sub hoc « respectu ulterioris perfectionis capax erat ».[3]

Si demum ulterius quaeritur, quale fuerit idioma ab Adamo primisque hominibus usurpatum, cum certitudine id determinari nequit; ab eo tamen videtur idioma hebraicum sat prope derivatum.[4] Id enim insinuare videntur verba: « Omne

[1] Adversarii nostrae sententiae solent eidem opponere S. Augustinum (*De Ordine,* loc. cit.). Sed, uti vidimus, hoc in loco S. Doctor non tractat quaestionem nisi sub adspectu philosophico; dum alibi ex narratione mosaica iuxta nostram sententiam arguit (*Opus impert. ctr. Iulian.,* loc. cit.). - S. Gregorius Nyssenus, qui pariter nobis opponi solet, non ipsam tractat quaestionem qualis hic consideratur (*Contra Eunom.,* l. XII. - *P. G.,* t. XLV, col. 975 sqq.).

[2] Sane parum placet modus quo Gutberlet se ab ea excipit, ac si esset ingenua nimis et antiquata (Op. cit., § 1, n. 1).

[3] Op. cit., p. 108 sq. Cf. *Gott und Götter*, Friburgi, 1890, p. 56 sqq. Hanc sententiam impugnavit Doct. Franciscus Schmid (*Zeitschr. für Kathol. Theologie*, 1899, p. 23 sqq.). Nec placet modus quo sub utraque appellatione theoriae traditionalistae confundit erroneam sententiam traditionalistarum superius depulsam, quae procedit ab hominis impotentia, et hanc nostram, traditionalem utique, nullo autem modo traditionalisticam, quae procedit ab originali hominis excellentia. Quare hic non valet alterum argumentum inde petitum, quod nobilius homo proprio nisu acquirit quam infuse accipit. Quae theoria, qua alibi vidimus Schell non leviter abusum, valde periculosa est, utpote facile in quemdam ad minus semi-pelagianismum conducens. Et sane contra omnem scientiam originalem ex hoc principio argui posset. Ipseque Gutberlet, ad solutionem in fine accedens, supponit in protoparentibus initiales vires expeditissimas. Ecquid non nobilius fuit homini has sibi temporum decursu per propriam activitatem acquisivisse? Quod si respondeas, id non sinere narrationem Mosaicam totamque de primo homine doctrinam, uti ex Scripturis apparet. Bene; sed esto consequens, et ad nostram sententiam pervenies.

[4] Cfr. PERERIUS (*In Gen.,* II, 20). IOANN. LEUSDEN (*Philologus hebr.*, dist. XVII, n. 5).

« (nomen) quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est « nomen eius ».[1]

Et haec de origine humani sermonis pro praesenti nostro scopo sufficient.

Corollarium I. – Ex dictis in hoc articulo collige, in quo scientia infusa Adami convenerit cum scientia infusa Christi.

1) Convenit in hoc quod, modo praeter vires naturae, utrique ab exordio collata est, intuitu dignitatis capitis et ratione magisterii.

2) Discrepavit multipliciter. *a*) Christo insuper collata est ob dignitatem personalem ratione unionis hypostaticae, ac proin titulo debito, licet non naturae uti tali. Adami autem scientia fuit collata ratione muneris, absque debito, licet proportionaliter ad id capitis munus. – *b*) Quare scientia infusa Christi fuit infusa per se, maxime appropinquans ad infusam scientiam angelicam; Adami scientia potius fuit infusa per accidens; licet alio modo ac solet interdum privilegiatis hominibus concedi, uti de Salomone narrat Scriptura.[2] – *c*) Christi scientia infusa longe perfectior fuit, tum intensitate, tum extensione: vis enim intellectiva Christi, cui respondebat, erat longe maior; munus magistrale Christi longe excelsius in utroque ordine veritatum naturalium et veritatum supernaturalium. – *d*) Christi scientia infusa nullum augmentum cognovit, sed tantum experimentalem confirmationem per scientiam acquisitam; Adami scientia semper excrescere poterat, quia ab exordio limitata. – *e*) Scientia infusa Adami fuit obnubilata per peccatum, Christi vero scientia plenae sanctitatis fulgore iugiter resplenduit.

Corollarium II. – Collige pariter, scientiam Adami a scientia nostra esse distinctam quintupliciter: *a*) ratione *temporis:* nostra, ab ignorantia procedens, in scientiam paulatim evolvitur; Adamus scientia ab ipso creationis exordio est ditatus. – *b*) ratione *perfectionis:* nostra est admixta errandi periculo; Adami scientia, ab omni deceptione immunis. –

[1] Gen., II, 19.
[2] II Reg., IV.

c) Ratione *modi:* etenim nostra scientia est acquisita; Adamus, non exclusa scientia experimentaliter acquirenda, scientiam habuit infusam. - *d*) Demum ratione *extensionis,* sive obiecti: idque dupliciter, tum α) quia super humana et visibilia se modo prope angelico extendebat; tum β) quia de humanis et visibilibus plura principia complectebatur.[1]

Corollarium III. - Ex narratione Mosaica, quam alibi historicam esse vindicavimus, speciali modo elucet Adami dignitas prae Eva. Unde pervalidum exsurgit argumentum ad demonstrandum, virum esse totius familiae ipsiusque mulieris caput.

Quaeres I. - Uter pleniorem scientiam infusam accepisse censendus sit, Adam an Salomon?

Abulensis,[2] Scripturae verbis ductus: « Dedi tibi cor « sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis « tui fuerit, nec post te surrecturus sit »;[3] et: « Erat sapien- « tior cunctis hominibus »,[4] putabat Salomonem Adamo fuisse scientia superiorem. Sed magis placet sententia opposita. « Probabilius est, scribit Suarez, in hac naturali scientia « Adamum maiorem perfectionem consecutum fuisse Salo- « mone. Quia in Adamo fuit tamquam in capite et magistro « totius posteritatis, praesertim in his, quae ad naturam per- « tinent. Item quia illi erat magis necessaria, ut constat; item « quia verisimile est excessisse Adam in perfectione intel- « lectus et ingenii, cui scientia proportionatur ». Unde verba in contrarium adducta non sunt intelligenda tamquam Adamum quoque respicientia, sicuti manifesto nec Christum comprehendunt.

Quaeres II. - Uter fuit scientia praestantior, Adam an B. V. Maria?

Haec quaestio sat otiosa cuidam apparere poterit. Etenim dignitas B. V. Mariae longe dignitatem Adami innocentis

[1] Cf. Caes. Manzoni (Op. cit., n. 563).

[2] *Lib. III, Reg.,* c. 3, q. 7.

[3] Ibid., IV, 31.

[4] Op. cit., l. III, c. 9, n. 29, 30. - Textus superius ex S. Augustino allatus in eamdem prorsus sententiam conspirat.

superabat. Nihilominus non idem habebat munus, uti totius humanae familiae caput. Quare non cedit in Mariae detrimentum, si Adamo conceditur aliquod charisma, quo B. Virgo nulla ratione indiguit. Unde subscribimus solutioni quam huic quaestiunculae suggerit Billuart: « Quantum ad noti-« tiam rerum supernaturalium et theologicarum, maiorem « habuit B. Virgo (scientiam) quam Adam. Quantum vero « ad notitiam rerum materialium et civilium, maiorem ha-« buit Adam quam B. Virgo ».[1]

Adverte nihilominus, hominem in iuniori aetate mundi positum, exinde facile habere aevi anteacti notitiam, quam in initio temporum positus nonnisi prophetica inspiratione cognoscere potuisset.

ARTICULUS IV.

UTRUM HOMO IN PRIMO STATU DECIPI POTUISSET.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Iam in totius Quaestionis schemate nexum exposuimus inter hunc articulum et articulos praecedentes. Alter nexus reperitur in resp. ad 3m, ubi conceditur in Adamo progressus quoad scientiam acquisitam. Unde proxime adiacet dubium de huius scientiae acquisitae certitudine: utrum cum possibilitate deceptionis, an absque deceptionis formidine fuerit.

2) Solutio huius subtilioris quaesiti pendet a duobus: *a*) a nexu qui adest inter infusam scientiam (quae, ex ipso eius principio, pati nequit errorem), et scientiam acquisitam; *b*) a perfectione in qua constitutus est ille, qui infusam scientiam accepit.

Iam vero si consideras prius, cum infusa scientia stare potest non solum nescientia, – nisi de illimitata scientia agatur, – sed et error; ac proin ex hac sola ratione quaestio solvenda esset affirmative. Si autem consideras alterum, perfectio status integri, quali decebat Adamum ornari, tam plenam requirebat intellectus libertatem, quae errorem quemvis depelleret. Quae plenitudo intellectivae libertatis perti-

[1] *Summa S. Thomae. De opere sex dierum.* Diss. IV, n. 2, q. 2.

nebat ad dotem praeternaturalem de qua in fine *Corporis* praecedentis articuli sermo fuit.

3) Nec iuvat hic distinctio a quibusdam inducta inter erroneam aestimationem cum firma credulitate et sine assensu credulitatis. Haec enim distinctio vel nihil dicit, nisi varios gradus deceptionis, unde a S. Thoma iure reiicitur; vel redundat in distinctionem inter assensum et assensus suspensionem; seu inter deceptionem et dubium, aut inter credulitatem facti et credulitatem possibilitatis facti.

4) Porro, quemadmodum superius a statu integro non exclusimus nescientiam, – infusa enim scientia Adami collata non erat undequaque perfecta, – ita, hic extensive non est excludendum dubium, utpote mitigatus nescientiae gradus. Cum hoc tamen discrimine quod nescientia nullam perfectionem involvit; dubium vero saepe est sapientiae et prudentiae indicium. Idque valet de dubio tum positivo, tum negativo: negativum enim dubium plus appropinquat ad nescientiam, positivum vero plus ad scientiam; utrumque autem stare potuit cum scientia infusa, qualem Adamo tribuendam esse vidimus; et neutrum involvit deceptionem, de qua hic movetur quaestio. Pariter nulla datur deceptio in hoc quod credatur possibile aliquid, quod quidem non est, sed esse potest.

5) Adverte insuper, exclusionem deceptionis respicere mentem in statu libero, quo plenum habet suae virtutis usum. Quare phaenomena quae produci solent in somniis, a praesenti quaestione per se excluduntur. Redundarent autem in eam, si evigilans Adamus per visa in somniis uti vera apprehensa potuisset in errorem trahi.

6) Demum adverte, hanc immunitatem a deceptione supponere non solum mentem ab errore immunem, sed et sensus aptissime dispositos. Etenim homo oculis debilioribus, aut, v. gr., daltonismo affectus solet per visionem decipi, quin inde mens eius inculpanda sit, nisi quatenus imperfecto organo nimis facile credit. Iam vero ab Adamo integro huiusmodi defectus arcendi sunt, quippe cui plenissimo axiomatis sensu erat « mens sana in corpore sano ».

7) Haec tamen nondum plene sufficere videntur ut ab Adamo omnis error omnisve deceptio arceatur, nisi adda-

tur peculiaris quaedam divina providentia, veluti donum coniunctum, veluti initialium donorum consectarium et completivum. Optime Suarez: « Dicendum est, praeter habi- « tus necessariam fuisse peculiarem Dei providentiam ac « protectionem, per quam in omni occasione errandi homi- « nem a deceptione praeservaret ».[1] Quod ipse S. Thomas suggerit dicens: « Quod divinitus ei subventum fuisset, ne « deciperetur in iis, quorum scientiam non haberet ».[2]

II. **Ad Textum.** - Obiectiones in duas classes dividuntur. Duae primae procedunt ex ipsa deceptione, quam, testante Paulo,[3] passa est Eva cum serpente colloquens. De qua deceptione sermo recurret, ubi de peccato protoparentum agetur.

Aliae tres obiectiones arguunt ex deceptionibus in quas homines incurrunt vel ex imperfecta perceptione sensili (3ª), vel ex somniorum illusionibus (4ª), vel ex ignorantia futurorum contingentium et cogitationum (5ª). Solvuntur per ea quae modo diximus de perceptionibus sensilibus (n. 6), de somniis (n. 5), de reliquis per distinctionem inter assensum et dubium, sive per distinctionem inter assensum de alicuius rei existentia et assensum de mera eiusdem impossibilitate.

Sed contra est. Textus allatus ex S. Augustino germen continet totius argumenti, quatenus decipi est malum, et omne malum originem ducit a peccato. Quare Suarez hanc sententiam S. Augustini efficaciter adducit ut demonstret, Adamum fuisse a deceptione immunem.[4]

In Corpore. Argumentum duplicem habet partem. In prima S. Thomas exponit sententiam quae cum moderamine admittit possibilitatem deceptionis non quidem firmae credulitatis, sed levis existimationis sine assensu credulitatis; non quidem quantum ad ea quarum scientiam habebat, sed quantum ad alia. Ratio apparens est quod talis existimatio falsi non videtur noxia. Sed hanc opinionem S. Doctor reiicit uti levem et Augustini auctoritati contrariam.

1 Op. cit., c. 10, n. 9.
2 Hoc loco ad 5m.
3 1 *Tim.*, II.
4 Op. cit., c. 10, n. 6.

Accipe S. Doctoris verba: « Sunt revera omni peccanti « animae duo ista poenalia, ignorantia et difficultas. Ex « ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affli- « git. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, et resi- « stente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse « a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti « hominis, sed poena damnati ».[1] Vides Augustinum ignorantiam cum concupiscentia reducere ad poenas originalis peccati.

Alibi autem varios erroris gradus a beata vita excludendos subtilius describit. « Diligentius considerata veritate, « cum aliud nihil sit errare, quam verum putare quod fal- « sum est, falsumque quod verum est; vel certum habere « pro incerto, incertumve pro certo, sive falsum, sive sit « verum; idque tam sit in animo deforme atque indecens, « quam pulchrum et decorum esse sentimus, vel in loquendo, « vel in assentiendo: " Est, est; Non, non „; [2] profecto et ob « hoc ipsum est vita misera qua vivimus ... ».[3] Et facta digressione de mendacio et de errorum gradibus, concludit: « Ipse « per se ipsum error aut magnum in re magna, aut parvum « in re parva, tamen semper est malum. Quis enim nisi er- « rans malum neget, approbare falsa pro veris aut impro- « bare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, vel « certa pro incertis? ».[4]

In altera parte S. Thomas sententiam negantem exponit ac vindicat. Hic paulo videtur insistendum, ut nexus argumentationis nitide determinetur. Caietanus censet S. Doctorem assertum duplici argumento probare, primo ex *integritate* status primi hominis, secundo ex eiusdem *rectitudine*. Primum argumentum terminatur iuxta ipsum verbis: « nulla « tamen poterat ibi esse existimatio falsi ». Alterum incipit verbis: « Quod etiam ex ipsa rectitudine primi status ap- « paret ».

Res nobis pendere videtur a genuina lectione. Si genuina sit lectio: « *Sed quamdiu* », parum probabile videtur, novum

[1] *De lib. arbitrio*, l. III, c. 18, n. 52. - *P. L.*, t. XXXII, col. 1296.
[2] MATTH., V, 37.
[3] *Enchirid.*, c. 17. - *P. L.*, t. XL, col. 239, sq.
[4] Ibid., c. 19, col. 241, sq.

argumentum induci per hanc formam. Si autem verior sit lectio: « Quod etiam ex ipsa rectitudine primi status apparet, « *secundum quam quamdiu,* vel *scilicet quod quamdiu* », tunc facilius intelligitur novum argumentum induci per verba: « Quod etiam etc. » quae sane bene sonant uti novae considerationis introductoria. Quidquid sit, utrumque argumentum ex *integritate* et ex *rectitudine* adductum tam intime connectitur, ut veluti unum argumentum haberi possit.

Proinde sententia quae incipit: « Sed quamdiu anima... » est continuatio sententiae, pariter in conditionali positae, cuius ultima verba sunt: « falso acquiesceret, quasi vero ». Quae interiacent sunt quasi parenthesis illustrans per exemplum seu comparationem illud quod modo dictum erat. Pariter verba: « Quod etiam ex ipsa rectitudine... etc. », non constituunt sententiam per se; sed, ad modum oppositionis, iungenda sunt intime verbis: « Nulla tamen poterat ibi esse « existimatio falsi », quasi gallice adderetur: « chose évidente « de par la rectitude même de l'état d'origine ».

Simplicissimam proinde putamus esse S. Doctoris argumentationem: Status integritatis excludebat omne malum, quamdiu innocentia servaretur; atqui deceptio intellectus est malum; ergo. – Reliqua, et in comparatione media, et in exemplis ultimis adiuncta, sunt simul probatio membrorum argumenti, et responsio duplici obiectioni.

Prima obiectio ita procedit. Tu dicis statum integritatis excludere omne malum; atqui art. 3 ignorantiam aliquam concessisti, quae certe malum est. Ergo concede et deceptionem, vel nega quamvis ignorantiam. – Cui obiectioni S. Doctor occurrit, ostendendo ex comparatione cum dotibus corporis, aliud esse *carentiam boni*, aliud *praesentiam mali*. – Haec obiectio, uti apparet, respicit valorem maioris argumenti.

Altera obiectio respicit valorem minoris hoc pacto: Tu dicis quamvis deceptionem esse malum intellectus. Quid de somniis? Ergo vel non dormivisset Adam in primo statu, vel non somniasset, vel somniis in ipso somno non dedisset intellectus assensum. Et truncatur: agi de intellectu libero et expedito quovis ligamine, qualiter erat in integritatis statu.

Placet argumentationi S. Thomae addere modum quo Scotus de eodem quaesito discurrit: « Est ignorantia triplex; « nam aut praecedit peccatum, adeo ut sit dispositio ad « peccandum, quia si quis nosset tali in facto committi pec- « catum, non peccaret; aut peccatum concomitatur, qua « ratione dicitur peccare ignorans, vel aliquis peccando igno- « rare; aut denique ignorantia sequitur ad peccatum, quasi « poena eius. Ignorantia insuper accipi potest pro simplici « nescientia, vel pro ignorantia erronea. Denique ignorantia « esse potest ipsius facti in se, vel quoad aliquas circum- « stantias, vel quoad aliquid factum consequens ».

Praemissis his tribus distinctionibus, quarum prima respicit in ignorantia ordinem ad peccatum, secunda intensitatem subiectivam, tertia ipsum obiectum, Doctor Subtilis ita respondet: « Haec autem solutioni applicantes, evidens est, « Adamum deceptioni haud obnoxium fuisse, quatenus ille « vere decipi fallique dicitur, qui peccat ex ignorantia quae « est error: siquidem is error in Adamo peccatum non prae- « cessit, adeo ut putaverit illud factum, quo transgredien- « dum erat Dei mandatum, esse bonum, aut aliquid boni « inde esse secuturum (quod corroborat per auctoritatem « S. Augustini).[1] Praeterea nec ignorantia facti praecessit « peccatum; probe enim sciebat contra praeceptum Dei esse « comedere de fructibus arboris, quorum usum sibi, uxo- « rique suae omnium Creator diserte ac explicite interdi- « xerat. Sed ignorantia sequentium circumstantiarum ante « peccatum laborasse videtur, ignorans utrum tanta poena « ipsum posterosque ex illa transgressione manaret. Tan- « dem primum peccatum ignorantia subsecuta est; siquidem « implicitus immoderato appetitui complacendi uxori, cre- « didit esse veniale, quae esset mortale ».[2] Sed de hoc adspectu quaestionis, de ipsa scilicet indole peccati Adami, infra data opera agetur.

Corollarium I. - Ex doctrina in hac Quaestione exposita iam collige, quantus error sit primaevum hominis statum

[1] *De lib. arbitr.*, III.

[2] *Oxon.*, II, D. 22, n. 2 et 3. - Op. cit., p. 854, sq.

fingere plenam barbariem, e qua homines sese ad statum culturae paulatim elevarent.

Haec fictio 1) gravissime offendit in doctrinam revelatam; – 2) est contraria universali traditioni de primaeva aetate aurea; – 3) confutatur per ipsa primaevae aetatis humanae vestigia. Iam *a*) in prima parte nostri tractatus vidimus, consentientibus rerum naturalium peritissimis viris,[1] – nihil posse ex structura antiquissimorum vestigiorum, uti ex craneis, efficaciter deduci contra unitatem humani generis, orti a veris perfectisque hominibus, quales ab initio fides conditos docet. – Insuper *b*) ipsa antiquissima vestigia aetatis lapidariae[2] ostendunt, hominem ingenio suo iam utentem ut inertem materiam suis usibus aptaret. Quae vestigia sunt valde demonstrativa « praesertim si attenda- « mus plus ingenii ad primam *securim* faciendam requiri « quam ad res inventas expoliendas ».[3] – Quod confirmatur *c*) ex inspectis ipsis populis, qui exhibentur nobis uti in medio statu a barbarie nativa ad culturam ascendentibus, quales Mexicani et Peruviani exhiberi solent. Etenim monumenta apud istos populos inventa praeviam demonstrant culturam longe maiorem, a qua declinarunt. – Adde *d*) argumentum ex philologia deductum. Apud plerosque populos qui infimum gradum culturae tenere videntur, v. gr. apud tribus Africanas, ipsum idioma ingeniosissime et partim pulcherrime confectum indicat haereditatem aetatis nobilioris, a qua deiectae iacent. Inde, – quod et docent missionarii, – altiora tam facile mente amplectuntur; quin et artis amaenitate capiuntur.[4] Quodsi quaeras, quomodo huiusmodi tribus ab altiori cultu ad conditionem tam infimam deiici potuerint, plures causae id explicare possunt, quarum ultimae sane non sunt nimia individuorum multiplicatio, ac proin invasiones ac inde consequentes depulsiones, quibus incolae olim regionum uberrimarum, iam egentes vagari coguntur,

[1] Ch. VIRCHOW (*Discours au Congrès des Anthropol.*, Munich, sept. 1877).

[2] Ch. HAMARD (*L'âge de pierre et l'homme primitif*, 1883).

[3] TANQUEREY, op. cit., n. 101.

[4] Narravit mihi amicus, qui plures annos evangelizandis huiusmodi populis in Belgico Congo devoverat, scholarum pueros summa facilitate addiscere melodias gregorianas, easque magna vocis et pietatis suavitate decantare.

opibus destitutae. Optime hoc ita describit Argill: « Ex indi-
« viduorum multiplicatione hoc factum est, unde migrationis
« necessitas. Equidem debiliores tribus e regione quae incolis
« abundat expelluntur, et quoniam regiones ubi se recipiunt,
« minus hospitales et minus frugiferae sunt, lucta pro vita
« ibi difficilior evadit. Itaque facto evenit ut, in ordinario
« rerum cursu, stirpes longissime e centro depulsae, rudio-
« res et vitae tantum materialis studio maxime incumbentes
« fiant ».[1] Quisquis in horrendo hoc bello turmas ab invasore fugientes conspexerit, facile metietur profundas mutationes quas huiusmodi tribuum deiectiones in earum cultura brevi spatio producere debuerint. – *e*) Hucusque dicta confirmantur per studium religionum. Etenim si primaevus hominis status esset barbaries, religiones variorum populorum ab ideis rudioribus ad nobiliores conceptus ascendissent. Iam vero plerumque oppositum obtinuit, et apud gentes quae a longo saeculorum spatio ad excultiores pertinent. Quod in praenotaminibus primae partis huius tractatus iam animadvertimus. Audiatur de hoc argumento vir christiani zeli parum suspectus. « Si quid religionum studio comparativo
« innotuit, scribit Max Müller, est sane factum quod omnes
« in deterius irreparabili iactura procedunt. ... Quotiescum-
« que ad alicuius religionis exordium ascendimus, pluribus
« imperfectionibus, serius immissis, eas expertes inveni-
« mus ».[2]

Optimo proin iure cl. Lesêtre, disserens de monotheismo Hebraeorum, affirmat: « La croyance au Dieu unique, pri-
« mitive dans l'humanité et ensuite perdue au cours des siè-

[1] *Primeval man*, p. IV, iuxta versionem Tanquerey (op. cit., n. 162). Cf. et auctores ibidem allatos.

[2] *Chips from a German Worksshop*, vol. I, praef. XXXIII, iuxta versionem Tanquerey (ibid.). Ex hoc principio iam sponte exsurgit criterium ad antiquitatem documentorum dimetiendam. Si conferantur inter se, v. gr., narratio Babylonica et narratio Mosaica de origine mundi, quum haec sit manifeste monotheistica, illa polytheistica, Mosaica narratio alteram tempore praecedere dicenda est. Recte HOBERG: « Da der Polytheismus eine Korruption der monotheistischen Weltan-
« schaung ist, so muss der Bericht der Babylonier jungeren Datums als der in der
« Heiligen Schift sein ».*

* *Die Genesis nach dem Literalsinn erklärt*, 2te Vermehrte u. verbesserte Auflage, p. 10, Herder, 1908.

« cles, a donc été restaurée au moyen des révélations faites « à Abraham et à ses descendants par Dieu lui-même ».[1]

Nedum igitur scientiae naturales convincentes conclusiones suppeditent hac in re catholicae doctrinae oppositas, e contra fidei traditionisque dictamina non leviter corroborant.

Corollarium II. - Quum homo integer fuerit ab errore immunis, collige, deformitatem erroris esse in genere humano originalis culpae vulnus. Optime S. Augustinus: « Hoc pri- « mum (mutabilis voluntas deficiens ab immutabili bono) est « creaturae rationalis malum, id est, prima privatio boni: « deinde iam etiam nolentibus subintravit ignorantia rerum « agendarum, et concupiscentia noxiarum; quibus comites « subinferuntur error et dolor ».[2]

Corollarium III. - Nedum igitur Ecclesia, - uti vocitant ingrati, qui tot ab eis accepta bona in matrem vulnerandam conferre satagunt, - ignorantiam foveat, docet e contra, hanc esse tamquam peccati poenam omni conatu fugiendam; at imprimis avertendo se ab ignorantiae causa peccato, et convertendo se ad perennis luminis fontem Deum. Nam Ecclesia divinitus est hominibus data, ut eos, opitulante Christo, reducat « ad regnum ubi erit vita sine morte, sine « errore veritas, sine perturbatione felicitas ».[3] Inde Christi effatum: « Veritas liberabit vos ».[4]

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Etsi primus homo in statu integritatis Dei essentiam, saltem habituali dono non viderit: quod ex ipsa peccati eius possibilitate apparet (art. 1); etsi neque naturaliter separatas substantias videre potuerit: nam haec visio non pertinet ad perfectionem status hominis in se consideratam (art. 2); nihi-

[1] *Le temple de Jérusalem*, chap. 1, *Les lieux de culte des anciens Hébreux*, p. 2, Paris, Gabriel Beauchesne, 1912.

[2] *Enchirid.*, c. 24. - *P. L.*, t. XL, col. 244.

[3] Ibid., c. 28. - Ibid.

[4] IOANN., VIII, 32.

lominus et Deum et Angelos perfectius videbat quam nos: donatus quippe erat plenissima tum naturali, licet infusa, tum supernaturali cognitione eorum omnium quorum ab initio debebat esse humani generis institutor (art. 3); imo tanta gaudebat intellectus perfectione et libertate sive integritate, quae omnem errorem vel deceptionem, utpote malum, excluderet (art. 4).

Appendix

De mente S. Bonaventurae.

In distinctione XXIII libri II *Sententiarum* S. Bonaventura quaerit 1) de primae tentationis permissione (art. I) et 2) de primorum parentum cognitione (art. II).

Hoc alterum evolvit inquirens 1) de cognitione primorum parentum quantum ad profectum (q. I), 2), quantum ad defectum (q. II), 3), quantum ad complementum et statum (q. III). Qui ordo, ut patet, sat differt ab ordine quem in modo exposita Quaestione S. Thomas sequitur.

I. De prima Seraphicus quaerit: « Utrum si homo stetisset, in cognitione profecisset per temporum intervalla » (cf. art. 3 S. Thomae).

Distinguit S. Doctor in profectu triplicem viam, a parte *a*) scibilium, *b*) modi cognoscendi et *c*) maioris habilitationis; - in scibilibus autem distinguit triplicem cursum: *a*) naturalem, *b*) mirabilem, *c*) voluntarium. His praemissis, hoc modo quaesitum solvit:

1) In rebus cursus naturalis, non potuisset Adam proficere per novum habitum, quia habuit « ab exordio omnium « rerum plenam notitiam », aiunt Hugo et Lombardus; sed per novum modum, experientiae scilicet et sensus; pariter per maiorem habilitationem, ex frequenti cogitatione actuatam. « Etsi enim primus homo non haberet tarditatem habi- « tudinis per aggravationem corporis mortalis; habebat tamen « spiritus eius quamdam minorem velocitatem per vegeta- « tionem corporis animalis ». Subtiliter et egregie dictum!

2) At in rebus cursus tum mirabilis, tum voluntarii poterat proficere etiam acquirendo novas cognitiones. « Nec talis

« profectus statui innocentiae derogabat, cum etiam beati « Angeli in cognitione divinorum mysteriorum et humano- « rum secretorum perficiant ».

II. De secundo sanctus Doctor quaerit: « Utrum si primi « parentes stetissent in statu innocentiae, aliquando decipi « potuissent » (Cf. art. 4 S. Th.).

In solvendo quaesito Seraphicus incedit modo valde simili argumentationi S. Thomae in articulo 4 huius quaestionis. Etenim primo exponit sententiam mitiorem, quae excludit ab Adamo deceptionem circa scibilia, sed distinguit in opinabilibus, excludens quidem et in his errorem per firmam credulitatem rei falsae, non autem per simplicem opinionem, seu qualemcumque aestimationem, utpote quia « haec fuisset in Adam absque culpa et poena, maxime « cum ex hac aestimatione non incideret in peccatum, nec « incurreret damnationem ». Sed hanc sententiam reiicit ob auctoritatem S. Augustini,[1] quia talis deceptio esset error « et nullus error absque vitio potest esse ».[2]

Quare aliter S. Doctor solvit quaesitum, distinguendo inter nescientiam et deceptionem. Nescientia potuisset esse in statu innocentiae; non autem deceptio. « Deceptio enim ultra ne- « scientiam addit iudicii obliquationem: haec non fuisset in « Adam in statu innocentiae, sicut nec fuisset in eo passio « corporalis ».

III. In tertia quaestione S. Bonaventura tractat argumentum de quo S. Thomas agit in articulo primo: « Utrum « Adam in statu innocentiae ita cognoverit Deum, sicut « Deus in statu gloriae cognoscitur ». Doctrina Seraphici Doctoris hac formula contrahi potest: Cognitio quam de Deo Adam habuit fuit cognitio per speculum, media aliqualiter inter cognitionem Dei immediatam et cognitionem in aenigmate.

Ad illustrandam suam sententiam sanctus Doctor primo depellit varios falsos modos intelligendi cognitionem mediam

[1] *Enchirid.*, c, XVII, n. 5.

[2] *De utilitate credendi*, c. 11, n. 25: « Neque quisquam error turpitudine caret »

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Adami inter cognitionem patriae et nostri status viae. - Haeretica imprimis est illa, quae nec in termino admittit veram visionem mediatam Dei, unde inter has tres non dicit esse nisi lucubrationum gradus. - Ex opposito falsa est sententia quae tres ponit gradus in visione, utpote quae iam potest, licet minus clara quam in patria haberi, in statu viae et in statu innocentiae. - Tertia sententia gradationem ita fingit: in patria Deus videtur immediate et plene; in statu viae seu miseriae, mediate et semiplene; in statu vero innocentiae, immediate quidem, sed non nisi semiplene.[1]

Depulsis his tribus medietatibus, S. Doctor quaesitum ita solvit: « Et ideo est quartus modus dicendi ad hoc, quod « revera cognitio status innocentiae media est inter cognitio- « nem status gloriae et status miseriae, sicut etiam locus « paradisi medius est inter hanc vallem miseriae et patriam « caelestem. Et quemadmodum paradisus terrestris plus se « tenet cum terra quam cum caelo, sic Adae cognitio, sive « status innocentiae plus conformis est cognitioni status prae- « sentis quam futuri. Unde in solo statu gloriae videbitur « Deus immediate et in sua substantia, ita quod nulla ibi erit « obscuritas ». Hucusque a statu viae et innocentiae excluditur immediata Dei cognitio. Ecce iam in quo cognitio Dei in statu innocentiae media aliqualiter vocari potest inter cognitionem patriae et cognitionem status viae. « In statu « vero innocentiae et naturae lapsae videtur Deus mediante « speculo; sed differenter, quia in statu innocentiae videbatur « Deus per speculum clarum, - recole comparationem eam- « dem adhibitam a S. Thoma, - nulla enim erat in anima « peccati nebula. In statu vero miseriae videtur per specu- « lum obscuratum per peccatum primi hominis; et ideo nunc « videtur per speculum et in aenigmate ».[2] Et adducit sententiam Augustini, hoc dictum Pauli ita illustrantis ut specu-

[1] In hanc sententiam adducebatur textus Hugonis Victorini: « Cognovit homo « creatorem suum non ex cognitione, qua foris ex auditu solo percipitur, sed ea « quae potius intus per inspirationem ministratur. Non ea quidem, qua Deus modo « a credentibus absens fide creditur, sed ea... scienti manifestius cernebatur » (*De Sacram.*, l. I, p. VI, c. 14). - Necnon ille Lombardi: « Homo, qui ante peccatum Deum « videbat » (L. IV, Dist. I). Sed haec verba aliter absque labore explicari possunt.

[2] I Cor., XIII, 12.

lum dicat imaginem, et aenigma « quamvis similitudinem, « tamen obscuram et ad perspiciendum difficilem » ;[1] quemadmodum in exhibitionibus cinematographicis eaedem imagines iuxta spectri nitorem et lucis ardorem modo clarius modo obscurius proiiciuntur.

Recolendo nunc tertiam sententiam iure deiectam, corrigi poterit dicendo, in patria Deum, cognosci immediate, in statu viae mediate et obscure, in statu autem innocentiae mediate et clare.

Brevitatis causa omittimus solutiones obiectionum. Placet tamen attentionem lectoris vocare in responsum ad obiectionem sextam, in quo S. Bonaventura pulcherrimis verbis depingit illam mysticam contemplationem, quae in nullum aliud obiectum fingitur, nisi in Deum, quin tamen Deum videat. Unde mens potius elevatur in mysticam « caliginem », unde ps. Dionysius eam vocat « doctam ignorantiam ».[2] « Haec est, ait S. Bonaventura, in qua mirabiliter inflam« matur affectio, sicut eis patet, qui aliquoties consueverunt « ad anagogicos elevari excessus. Hunc modum cognoscendi « arbitror cuilibet viro iusto in vita ista esse quaerendum ; « quodsi Deus aliquid ultra faciet, hoc privilegium est spe« ciale, non legis communis ».

Et in fine resp. ad quintam loquens de desiderio quo Adam innocens in Deum ferebatur et de huius contemplationis intensitate, ait: « Et si tu quaeras, utrum erat visio intel« lectualis, vel corporalis; dicendum quod intellectualis; sed « non divinae essentiae in se, sed alicuius gratiae vel influen« tiae; at illam in se per experientiam nosse et videre pote« rat » ; et pie addit: « sicut sentit anima sancta, quando « liquefit cum Sponsus alloquitur eam ».

[1] *De Trinit.*, xv, c. 9, n. 16.
[2] *De Myst. Theol.*, c. 1, § 2, etc. 2 sq.

CAPUT II.

DE STATU ET CONDITIONE PRIMI HOMINIS QUANTUM AD VOLUNTATEM.

(Quaestio XCV).

I. - De gratia et iustitia.

Ordo Quaestionis valde apparens est. Primo tamquam fundamentum S. Thomas ponit veritatem constitutionis hominis *in gratia* sive *iustitia*. In sequentibus considerat hanc gratiam in sua relatione ad *passiones*, ad *virtutes* et ad *meritum*. Quorum nexus ad invicem in sequentibus magis apparebit.

Ex hoc ipso conspectu apparet quid intersit inter argumentum Quaestionis praesentis et praecedentis. In praecedente Quaestione, exclusa visione beatifica, quae est culmen donorum supernaturalium, magis directe agebatur de dotibus praeternaturalibus intellectum primi hominis illustrantibus, cum fundamento utique facultatum naturalium optime dispositarum et non exclusa illustratione ordinis supernaturalis. Hic autem in primo articulo directe quaeritur de dono supernaturali, de gratia scilicet et iustitia. Et in sequentibus articulis permixtim quaeretur de dotibus tum praeternaturalibus, ad quas pertinet dominium in passiones, tum supernaturalibus, uti sunt virtutes et merita.

Quare iure dici posset, in Quaestione praecedenti agi de donis supernaturalibus in obliquo (praeter exclusam visionem), de praeternaturalibus in recto;[1] in hac autem potius in recto de supernaturalibus et in obliquo de praeternaturalibus.

ARTICULUS I.

UTRUM PRIMUS HOMO FUERIT CREATUS IN GRATIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - Non est mens nostra hic de ipsa gratiae indole disserere, hoc enim ad tractatum *De gratia*, remittimus. Sed, supposita indole supernaturali eiusdem,

[1] Aut, si magis placet distinctio, primario et secundario.

quaerimus utrum Adam fuerit in gratia creatus. Ubi adverte triplicem adspectum huius quaesiti.

1) Primus adspectus, principalis, respicit ipsum factum, utrum scilicet Adam fuerit ita a Deo in gratia constitutus, ut haec dicenda sit ad illam pertinere iustitiam, a qua per peccatum decidit.

Duo alii adspectus respiciunt modum facti, alter indolem huius gratiae initialis, alter tempus quo collata est. Etenim praeter ipsum factum quaeri potest: 2) utrum gratia Adamo collata eiusdem fuerit indolis ac est supernaturalis gratia a Christo in homines redemptos derivata; 3) utrum haec gratia fuerit Adamo collata ab ipso initio suae creationis, an post aliquod temporis spatium.

De hac triplice quaestione eodem ordine breviter agemus.

I) *Factum* elevationis Adami ad gratiam, seu primum hominem fuisse in gratia constitutum, est de fide tenendum. Demonstratur enim abunde ex Scripturis, ex Patrum traditione et ex Ecclesiae auctoritate.

A) In Scripturis habemus testimonia tum Veteris, tum Novi Testamenti.

1) *In V. Test.* imprimis occurrunt textus qui describunt hominis creationem et lapsum. Ex creationis descriptione arguitur directe, ex lapsus autem descriptione indirecte.

a) Et primo quidem occurrunt nobis solemnissima verba a Deo prolata, quibus condendi hominis consilium declaratur.[1] Quae verba, iam in prima parte nostri tractatus non semel adducta ad naturam humanam eiusque dignitatem inde illustrandam, hic penitius consideranda recurrunt, ad elevationem initialem hominis super nudam naturam inde saltem suasive eruendam, adiecta luce traditionis, ipsiusque Scripturarum harmonia. In quo sane ab omni excessu, sed non minus a nimia timiditate praecavendum est. Quare quae hic dicturi sumus, nullatenus infirmant ea quae, sub alio respectu, in ultimo articulo Quaestionis XCIII superius diximus.

Verba *Geneseos* in originali textu, propter discrimen inter praefixa בְּ et כְּ, ita sonant: « faciamus hominem ad

[1] De hoc argumento fuse et subtiliter disserit Scheeben (op. cit., n. 333 sqq.).

« imaginem tamquam similitudinem nostram ».[1] Graeca septuagintaviralis et latina vulgata vertunt duplicando eamdem particulam cum copulativo: « *ad* imaginem (κατ' εἰκόνα) *et* « similitudinem nostram (καθ' ὁμοίωσιν) ».

Versu seq. executionem consilii Scriptura exponit, non geminando, sed exprimendo unum vocabulum: « Et creavit « Deus hominem *ad imaginem* suam, *ad imaginem* Dei crea« vit illum ». – Infra, cap. V, 1 et 3 eaedem redeunt expressiones, ubi texitur genealogia Adami et posterorum eius. In v. 1 origo hominis a Deo per unum rursus vocabulum exprimitur, sed per illud quod in v. 27 non recurrit: « In « die qua creavit Deus hominem, ad *similitudinem* Dei fecit « illum ». – Versu autem 3 ambae expressiones recurrunt, sed ordine inverso. Dum enim versio vulgata habet repetitionem expressionis *Gen.* I, 26: « Et genuit *ad imaginem et* « *similitudinem* suam », iuxta textum hebraicum vertendum esset « ad similitudinem suam tamquam imaginem suam ».

His positis quasi inquisitionis elementis, iam videamus utrum discrimen verum tenendum sit inter צֶלֶם et דְּמוּת, « imaginem » et « similitudinem ». Si voces in se conferimus, prior, quemadmodum « imago », concretum magis exprimit; altera vero, quemadmodum « similitudo », potius abstractum. Imo, si inspicimus locum: « In *imaginem* pertransit homo »,[2] apparet vocem צֶלֶם significare talem imaginem, quae *umbra* sit potius quam veritas. Unde de simulacris deorum quoque solet usurpari. Videtur proin דְּמוּת superaddere aliquid צֶלֶם, quasi diceremus non imaginem qualemcumque, in errorem quoque conducere natam, sed imaginem exhibentem similitudinem veram. Inde locutio: « Faciamus hominem ad imaginem « tamquam similitudinem nostram ».[3] Proxima proin adiacet explicatio illorum Patrum, qui in imagine contemplantur dona naturae, a longe Deum repraesentantia; in similitudine vero dona gratiae, participem ipsius divinae naturae reddentia.[4] Audiatur Anastasius Sinaita: « Id quidem quod est

[1] Quomodo moderni theologi « orthodoxi » hac locutione abutantur, loco suo exponemus.

[2] Ps. XXXVIII, 7.

[3] GEN. I, 27.

[4] Absit autem ut haec interpretatio apud Patres dicatur communis. De non repetita voce « ad similitudinem » haec habet Augustinus: « Nonnulli putant ideo

« ad imaginem Trinitatis in essentia animae nostrae, omnes « homines habemus similiter; id autem quod est ad simili- « tudinem ii soli habent, qui Deum habent in se habitantem, « et gratia quodammodo sunt veluti Christi, in divinitate « simul et humanitate ». [1]

Nec obest huic interpretationi modus loquendi sacri textus, [2] ubi hae expressiones invertuntur. Posito enim quod *imago* significat repraesentationem per naturam, *similitudo* autem talem repraesentationem quae sit communicatio naturae, utrumque optime stat: Deum fecisse hominem ad imaginem tamquem similitudinem suam; et Adamum genuisse ad similitudinem suam tamquam imaginem. Quum enim *imago* et *similitudo* patiantur sensum plus vel minus perfectum, unum determinari potest ad rationem alterius. Insuper admisso sensu altiori vocis similitudinis, iam patet, similitudinem cum Deo in homine adsignificare supernaturalia; similitudinem cum patre in homine nihil ponere super naturam. Quare in primo casu ponitur in ultimo loco, ut terminus explicans, quo sensu imago sit sumenda; in secundo autem ponitur in primo loco, et per « imaginem » explicatur.

« non repetitam similitudinem, neque dictum: " Et fecit Deus hominem ad imaginem « et similitudinem Dei „ . quia tunc tantummodo ad imaginem factus est; similitudo « autem illi postea servabitur in resurrectione mortuorum: quasi possit esse imago « in qua similitudo non sit. Si enim omnino similis non est, procul dubio nec « imago est. Verumtamen ut non sola ratione id agere videamur, et auctoritas « Iacobi apostoli adhibenda est, qui cum de lingua hominis loqueretur, ait: * " In « ipsa benedicimus Deum, et in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem Dei « facti sunt „ ». **

[1] *Anag. contempl.*, l. VI. – De distinctione inter imaginem et similitudinem fuse discurrit Illmus Ullathorne; imaginem referens ad naturalia, similitudinem ad supernaturalia. *** Haec ita describit: « From the image of God in man let us pass to the « likeness. This likeness is a life-like resemblance to God. The image of God, as « we have said, is the natural preparation to his likeness. The first foundation for « this divine likeness is the supernatural gift of faith, and the inspiration of hope; « but the likeness itsef is the supernatural gift of charity, giving to the soul the « life of divine love ». ****

[2] GEN., V, 3.

* IAC., III, 9.

** *De Gen. lib. imperf.* c. 16 in fine. - *P. L.*, XXXI, col. 244, sqq. – Cfr. dicta in art. 9, Q. XCIII, *De hominis natura*, p. 806, sqq.

*** Op. cit., Lect. I, *On the nature of man*, p. sec. ed. London, Burns and Oates, 1882, p. 16, sqq.

**** Ibid., p. 20, sq. – Cf. et Lectionem sequentem: *Why man is made to the image of God.*

Porro, determinata connexione in homine inter imaginem et similitudinem cum Conditore suo, iam indiscriminatim potest deinceps alterutra vox recurrere quotiescumque huius dignitatis fit mentio. Quod iam ex citatis locis *Geneseos*, I, 27, et V, 1 illustratur, et sequentibus textibus corroboratur. Etenim infra: « Quicumque effuderit humanum sangui-« nem, fundetur sanguis illius: *ad imaginem* quippe Dei factus « est homo »;[1] – « Deus creavit de terra hominem, et *secundum* « *imaginem suam* fecit illum » (κατ' εἰκόνα αὐτοῦ);[2] pariter: « Deus creavit hominem inexterminabilem et *ad imaginem* « *similitudinis suae* fecit illum »[3] (in graeco expressius sine particula *ad:* εἰκονα τῆς ἰδίας ἰδιότητος; imaginem suae ipsius proprietatis, alias αἰδιότητος propriae aeternitatis).[4]

In N. T. recurrit vox *similitudo*: « In ipsa (lingua) bene-« dicimus Deum et Patrem; et in ipsa maledicimus homines, « qui *ad similitudinem* (καθ' ομοίωσιν) Dei facti sunt ».[5] Imo Paulus expresse ostendit altam significationem quam similitudini tribuit, dum illam exprimit per vocem δόξα, *gloria*. « Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam *imago* « *et gloria Dei est* (εἰκῶν καὶ δόξα θεοῦ;) mulier autem gloria viri est ».[6] Quo ex loco adsignificari videtur, similitudinem, quasi proprii splendoris irradiationem, generatione vel immediata productione obtineri, quemadmodum mulier est de viro, et vir de Deo; ac proin magis immediatam et exclusivam ordinationem in Deum. Nam, uti verba sequentia manifestant, vir magis directe ordinatur in Deum, a quo immediate est; dum mulier ordinatur et in virum: « etenim non « creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum».

Patet, in omnibus hisce locis hanc similitudinem cum Deo considerari in homine ab ipso eiusdem exordio, hominem scilicet creatum esse ad imaginem et simul ad similitudinem Dei;[7] de quo mox data opera dicemus.

[1] GEN., IX, 6.

[2] ECCLI., XVII, 1.

[3] SAP., II, 23.

[4] Cf. SCHEEBEN, op. cit., n. 313-16.

[5] IAC., III, 9.

[6] 1 COR. XI, 7; cf. ibid. 9.

[7] Recolenda quoque hic interpretatio, quae iam in consilio efficiendi primi hominis futurae Incarnationis praeludium agnoscit. Pulchre Tertullianus: « Quodcumque

b) Iam inspiciamus verba quibus *executio divinii consilii* in textu sacro exhibetur, ut videamus utrum haec ipsa ad supernaturalem hominis dignitatem alludant.

« Formavit Dominus Deus hominem e limo terrae, et « inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est « homo in animam viventem ».[1] Quibus in verbis, si intentum reperitur, certe in vocibus « inspiravit in faciem eius « spiraculum vitae » contineri debet.

Iam vero fatendum est cum Augustino,[2] litteralem huius loci interpretationem non involvere supernaturalem primi hominis elevationem per gratiam et Spiritum Sanctum. Nihilominus, posita aliunde hac elevatione, et ita ut nullus locus Scripturae illam postea factam esse exprimat, rectissime cum multis Patribus invenimus, plenam divini operis executionem in his verbis significari. Nec negari potest, verba hanc interpretationem non solum sine ulla violentia optime pati, sed eam quasi sponte appellare. Quare sancti Patres hunc locum ita cum superiori textu[3] conferunt, ut in uno plenam executionem alterius contemplentur; simulque ad utrumque alludunt, ubi de pristina elevatione hominis sermonem habent.[4] Profunde *Irenaeus* « Glorificabitur Deus in suo pla« smate, conforme illud et consequens suo puero adoptans. « Per manus enim Patris, id est, per Filium et Spiritum fit « homo secundum similitudinem Dei, sed non pars hominis. « Anima autem et spiritus pars hominis esse possunt, homo « autem nequaquam; perfectus autem homo commixtio et

« enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod et limus et « caro Sermo, quod et terra nunc. Sic enim praefatio Patris ad Filium " Faciamus « hominem ad imaginem et similitudinem nostram ,,. Et fecit hominem Deus. Id uti« que quod finxit; ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Et Sermo enim « Deus, qui, in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo. Ita « limus ille iam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei « opus erat, sed et pignus ». *

[1] GEN., II, 7.

[2] *De Gen. ctr. Man.*, l. II, c. 8; et fusius *De Civ. Dei*, l. XIII, c. 24.

[3] GEN., I, 26.

[4] Adverte ingens discrimen inter haec duo: per imaginem significari naturalia, per similitudinem vero supernaturalia, et: per imaginem et similitudinem describi supernaturalem dignitatem homini ab ipso exordio collatam. Qui prius non admittunt, possunt alterum propugnare.

* *De resurr. carnis*, c. 6. - *P. L.*, t. II, col. 802. – Cf. et S. Ioannem Damascenum (*De duab. voluntatibus*, c. 12, n. 30).

« adunctio est animae assumentis spiritum Patris, et admixta « ei carni quae est plasmata secundum imaginem Dei.... Si « enim substantiam tollat aliquis carnis, id est, plasmatis, et « nude ipsum solum spiritum intelligat, iam non spiritualis « homo est, quod est tale, sed spiritus hominis aut Spiritus « Dei. Cum autem spiritus hic commixtus animae unitur pla- « smati, propter effusionem spiritus spiritualis homo factus « est, et hic est qui secundum imaginem et similitudinem « factus est Dei, etc. ».[1] Et *Hieronymus:* « Signati sumus « Spiritu Sancto, ut et spiritus noster et anima imprimantur « signaculo Dei, et illam recipiamus imaginem et similitu- « dinem ad quam in exordio conditi sumus ».[2] Nec aliter *Augustinus* similitudinem considerat uti signaculum ima- ginis, quod signaculum Spiritus est, a quo originaliter fuit et per quem unice instaurari potest: « Hoc agit, inquit, « Spiritus gratiae, ut imaginem in qua naturaliter (i. e. ab « origine) facti sumus, instauret in nobis ».[3] Pulcherrime Patres Graeci evolvunt hunc modum intelligendi versum *Genes.*, II, 7, insistendo in ipsam Spiritus Sancti communicatio- nem simul cum anima corpori infusam. Ita *Basilius,* confe- rens illam insufflationem Spiritus cum Christi insufflatione Spiritum Apostolis conferentis, eloquenter ait: « Spiritus « cum vivente Verbo constitutus ad creandum, viva virtus « et divina natura, ineffabilis ex ineffabiliore prodiens, inef-

[1] *De homin. perfecto,* l. v, c. 6.

[2] *In Eph.,* iv, 23.

[3] *De spir. et litt.,* c. 27. - Huc facit et carmen graecum Cleanthi adscribi soli- tum, in quo geminatus conceptus divinae filiationis et imaginis recurrit. En huius pulcherrimi hymni exordium: « Rex gloriose immortalium, sub variis adorate « nominibus, ab aeterno omnipotens, naturae auctor, qui tuis mundum legibus « gubernas, ego te invoco. Omnibus mortalibus licet invocare te, quia filii tui et « imago tua sumus ». Caeterum constat, plerasque religiones populorum, quorum antiquos cultus cognoscimus, a supernaturali communicatione ortum duxisse.* Ad quod referri potest illud Aristotelis dictum: « Si quis ipsum solum primum sepa- « rando accipiat, hoc est paternum dogma: divine profecto dictum putabit ».**

* Cf. Card. Newman (*Grammar of assent,* p. I, c. 4, n. 3). - Cf. Léonce de Grandmaison (*Christus,* ch. I, *L'étude des religions*); de quo studio nuper bene scripsit Frédéric Bouvier (*La science comparée des religions, comment elle se fait, et se défait. Etudes,* 20 nov.-5 déc. 1918). - Necessitatem huius revelationis, ut aliquid credi possit praecise, firmiter et invariabiliter, agnovit ipse Joubert (*Pen- sées,* t. I).

** *Metaphys.,* t. xii, c. 8.

« fabili modo per insufflationem in hominem missa et secun-
« dum figuram a Christo demonstratam rursus ab ipso per
« insufflationem restituta. Consentire enim oportet cum ea
« novitate, quae fuit ab initio, praesentem renovationem.
« Efformavit igitur insufflans, non diversus utique ab eo qui
« insufflavit initio, sed idem penitus, per quem Deus insuf-
« flationem dedit, tunc quidem cum anima, nunc vero in
« animam ». [1]

Hanc insufflationis Spiritus cum ipsa anima simultaneitatem S. Cyrillus Alexandrinus expressissime docet. « Ab
« eodem (Moyse) didicimus, Spiritu ad imaginem divinam
« sigillatum esse hominem. Simul enim et vitam creaturae
« Spiritus immisit, et characterem secundum Deum impres-
« sit ». [2] Quando igitur Augustinus pugnat contra hanc Graecorum interpretationem loci *Gen.*, II, 7, non intendit negare factum elevationis hominis ab ipso exordio existentiae suae, sed servare distinctionem inter utrumque ordinem naturae et gratiae. [3] Secus quomodo hanc in creatione elevationem non tenuisset ille, qui inter omnes Patres maxime eam considerat tamquam bonum naturae, rectitudinem naturae, aliisque utitur expressionibus tam energicis, ut posterioribus potuerit saeculis ansam dare affirmandi, eadem dona iuxta ipsum esse naturae debita?

Iure proin optimo potest sententia quae descriptionem creationis hominis ita explicat, ut dignitatem conditionis supernationis, seu elevationem originalem involvat, vocari communis Patrum interpretatio. Etenim, uti recte scribit cl. Tanquerey, « alii inter imaginem et similitudinem distin-
« guentes, priorem de natura, posteriorem de gratia intelli-
« gunt; alii imaginem simul et similitudinem ad modum unius
« accipientes, utramque de gratia interpretantur ». [4] Ita Ambrosius Dei imaginem in homine describit sane supernatura-
« lem. Illa anima a Deo pingitur, quae habet in se virtutum
« gratiam renitentem. Illa anima bene picta est, in qua est

[1] *Ctr. Eunon.*, l. v. - Insufflavit et dixit eis: « Accipite Spiritum Sanctum » (Ioann., xx, 12). – Cf. textum similem S. Cyrilli Alexandr. (*De Trinit.*, iv).

[2] In Ioann., l. ii, c. 3. – Cf. eiusdem Doctoris non minus lucida loca quae citat Schreben., op. cit., p. 496-497.

[3] Cf. *Retract.*, l. ii, c. 10.

[4] Op. cit., c. 3, *De homine*, n. 153.

« splendor gloriae et paternae imago substantiae. Secundum « hanc imaginem Adam ante peccatum ». [1]

Porro admissa hac traditionali interpretatione loci *Gen.*, II, 7, iam melius intelligitur, cur Deus ipse in corpus a se formatum animam insufflaverit, et non simpliciter in hoc corpore animam produxerit. Insufflatio quippe haec erat non mere condens spiritus naturalis substantiam, sed insuper ei imprimens sigillum ipsius divinitatis, communicationem veram ipsius vitae divinae. [2] Iam vero talis communicatio, talis impressio requirebat ipsum contactum Dei, et quasi emanationem ipsius divinae substantiae. [3]

c) Praeter istos Scripturae textus, in quibus tum consilium Dei, tum eiusdem consilii executio referuntur, adest alius Scripturae locus a S. Thoma et a theologis passim adductus, utpote totius huius argumenti synthesim efficaciter exprimens. « Solummodo hoc inveni quod *fecerit Deus homi-* « *nem rectum,* et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus ». [4] Quid iam significetur in plenitudine vocis huius *rectum* יָשָׁר, non ex ipsa voce solum, sed ex modo loquendi Scripturarum dimetiendum est. [5] Hanc autem plenitudinem con-

[1] *Hexaem.*, l. VI, c. 7.

[2] Cf. illud S. Petri: « Ut per haec (gratiae dona) efficiamini divinae consortes naturae » (II PETR., I, 4).

[3] Nexum inter dignitatem naturalem et supernaturalem hominis, qualis ex his *Geneseos* verbis eruitur, bene illustrat his verbis cl. Hoberg: « Die Ebenbildlichkeit « des Menschen mit Gott besteht darin, dass seine Wesensform die geistige, * unsterb- « liche Seele ist, deren Wirken sich als selbstbewusstes Empfinden, Erkennen und « freies Wollen äussert (natürliches Ebenbild). Durch die spätere Entwicklung der « Offenbarung werden wir belehrt, dass Gott dem ersten Menschen in der Erschaf- « fung ein übernatürliches Ziel gesetzt und ihn zu dessen Erreichung befähigt hat. « Der Inbegriff der entsprechenden Fähigkeiten, die Gnadenausstattung, durch « welche das Empfindungs, – Erkenntnis - und Willensvermögen erhöht wird (gratia « originalis, elevatio naturae), ist das übernatürliche Ebenbild Gottes in ihm ». **

[4] ECCLI., VII, 30. Cfr. AUGUSTINUS, *De Civ. Dei*, l. XIV, c. 11, n. 27 – *De Corrept. et grat.*, c. 10.

[5] Quam plenum habeat haec rectitudo sensum, apparet ex hoc quod ipse Deus hoc titulo vocetur: « Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, iustus et rectus »). (DEUT., XXXII, 4); « Dulcis et rectus Dominus » (Ps. XXIV, 8). Unde David orat: « Spiritum rectum innova in visceribus meis » (Ps. L, 11). Deus Israël est « Deus « rectissime » (DEUT., XXXII, 26); ipseque ait: « Serve meus Iacob et rectissime ».

* Unde depellendus est Gunkel, qui (*Schöpfung und Chaos*, 11 f.) cum antiquis anthropomorphistis Audianis, contendit hanc imaginem de corporali hominis figura esse intelligendam.

** Op. cit., p. 20.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tinere totam illam beatam integritatem, quam homo habuit ab origine, et quam supernaturalis fuisse rationis aliunde discimus, satis constare videtur.[1] Continet quippe omne illud quod S. Paulus appellat « sanctitatem et iustitiam veritatis ».[2] quam si homo servasset, luciditatem mentis cum pace retinuisset, nihilque sensisset de hoc tormento mentis « in infi- « nitis quaestionibus » inquiete sese immiscentis, de quo tormento tam eloquenter disputat *Ecclesiastes*. Verbo, illud יָשָׁר nihil est aliud quam *status rectitudinis* illius, quam post Augustinum theologi vocare solent *rectitudinem naturae institutae*.

2) Vis horum textuum Vet. Test. per correspondentia testimonia Nov. Test. non confirmatur modo, sed et lucidissime corroboratur; ita ut, si testimonia V. T. - quod et eiusdem indoli adumbratae convenit - non haberent per se nisi efficaciam suasivam, N. T. testimonia ea, reserato velo, plena luce collustrarent.

Sunt itaque imprimis duo textus S. Pauli: « Renovamini « autem spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, « qui *secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate « veritatis* ».[3] Nec obiicias, novum induendum hominem, non esse Adamum, uti non pauci contendunt interpretes, sed Christum. Nam etiamsi ista aliorum interpretatio esset alteri praeferenda, nihil inde infirmaretur argumentum ex hoc loco deductum. Christus enim non est solum novus homo, sed talis novus homo, ut sit novus Adamus, prioris Adami instaurator. Induendo igitur eum instauramur in gratiam, in qua primus Adam fuit ab initio conditus. Quae interpretatio per alium consimilem textum robuste confirmatur.

(Is., XLIV, 2). Iob celebratur ut vir « simplex et rectus et timens Deum » (IOB., I, 8). Haec rectitudo involvit charitatem Deique laudis amorem: « Recti diligunt te » (CANT., I, 3); « Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio » (Ps. XXXII, 1). Unde salutem appellat et involvit: « Salvos facit rectos corde » (Ps. VII, 10). - Verbo, sicuti vox « iustus » dicit complexum virtutum, - uti patet ex laude S. Ioseph (MATH., I, 19), – ita et rectitudo dicit plenam ordinationem in Deum, ac proin involvit iustitiam plenam, uti egregie ostendit inter alios theologos eruditus Kleutgen. *

[1] Unde Billuart ex hoc textu *Eccl.* arguit ad demonstrandum, Adamum fuisse in gratia non solum constitutum, sed et creatum.

[2] EPH., IX, 24.

[3] EPHES., IV, 23.

* *Theologie der Vorzeit*, t. II, p. 500 sq.

« Nolite mentiri invicem expoliantes vos veterem hominem, « cum actibus suis, et induentes novum, *qui renovatur in « agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum* ». [1] Utique ille novus homo, a fidelibus induendus, Christus est; sed quum haec indutio sit *renovatio*, et aliunde sciamus Christi opus fuisse « instaurare omnia », [2] ille novus homo simul est Adam, qualis in tota originis novitate, iustus et sanctus, ad Dei imaginem conditus est. [3] Unde rectissime Patres solent utrumque locum referre ad conditionem primi hominis, utpote creati « in iustitia et sanctitate veritatis », « in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum ». Quae interpretatio corroboratur ipsa auctoritate Concilii Trid., quod, in decreto superius relato, [4] manifeste alludit ad primum Pauli locum, dum proclamat primum hominem per praevaricationem statim amisisse sanctitatem et iustitiam in qua fuerat constitutus; neque deerat vox « creatus »; sed pacis amore, ne controversiam hucusque liberam inter catholicos dirimere videretur, – quod Trid. Patres e consulto devitarunt, – ei altera minus explicita « constitutus » subroganda visa est.

Praeter haec S. Pauli testimonia magis expressa argumentum complexivum invicte deducitur ex tota oeconomia Incarnationis. Christus utique per doctrinam sublimiorem, per exempla perfectiora, humani generis dicendus est magnificus exaltator. Sed radicitus est Redemptor, Reparator, Instaurator. Hominem scilicet per primi Adami culpam a primaeva nobilitate deiectum ac spoliatum, Adam novus ad pristinam dignitatem restituit et novae iustitiae veste sponsali induit. Quare denegare factum primaevae hominis elevationis, est in illam fundamentalem oeconomiam christiani dogmatis gravissime offendere. [5]

[1] Coloss., III, 9.

[2] Eph. I, 10.

[3] Cf. quae superius diximus in discutiendo argumento ex hoc textu a S. Thom. in art. 1, Q. praec. adducto.

[4] Sess. V, 1.

[5] Hinc Chr. Pesch argumentum ex hac per Christum renovatione petitum efficacius censet argumento deducto ex initiali imagine Dei, ad probandum Adamum fuisse in gratia creatum (op. cit.).

II) Et ita fit transitus *ad argumenta auctoritatis* patristicae ac theologicae, necnon ecclesiasticae. De opinionibus Patrum satis ex superius expositis constat. Huc faciunt omnia illa documenta tum Patrum, tum Pontificum, tum Conciliorum, in quibus originalis iustitia tamquam bonum ipsius naturae, utpote cum ipsa conditum, exhibetur. Sint sequentia iam allatis superaddita: « Tanta et tam admirabilis in nos « misericordiae Dei bonitas est, ait S. Hilarius, ut, per quem « (diabolum scil.) in Adae offensa *generositatem primae « illius creationis* amisimus, per eum rursus (triumphando « nempe de eius insidiis) id quod amisimus, obtinere merea« mur ».[1] - Et *S. Leo M.:* « Ut fideliter sapienterque *crea« tionis nostrae intelligamus exordium,* invenimus hominem « ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset « auctoris, et hanc esse *naturalem nostri generis dignitatem,* « si in nobis quasi in quodam speculo divinae bonitatis « forma resplendeat, ad quam quotidie nos utique reparat « gratia Salvatoris, dum, quod cecidit in Adam primo, eri« gitur in secundo ».[2] - *S. Caelestinus* papa dicere non veretur: « In praevaricatione Adae omnes homines *naturalem* pos« sibilitatem et innocentiam *perdidisse* ».[3] - Hanc doctrinam solemniter Concilia proclamarunt. Arausicani II canon 19, verbotenus ex Augustino[4] desumptus, sonat: « Natura hu« mana, etsi in illa *integritate*, in qua *est condita* perma« neret, nullo modo seipsam Creatore suo non adiuvante « servaret. Unde quum sine gratia Dei non possit custodire « salutem, quam accepit, quomodo sine gratia Dei posset « reparare quod perdidit? ».[5]

Rectissime proin Concilium Trid. anathemate damnat quotquot hanc fundamentalem veritatem infirmant: « Si quis « non confitetur, primum hominem Adam, quum mandatum « Dei in paradiso fuisset transgressus, sanctitatem et iusti« tiam, in qua constitutus fuerat, amisisse ... A. S. ».[6]

1 *Frag. in Iob.* apud Aug. *Ctr. Iul.*, l. II, c. 8.
2 *De ieiun. dec. mens.*, serm. 1.
3 *Ep. 21 ad Gallos*, c. 4.
4 *Ep. ad Paulinum*, 186, c. 11.
5 Confer et epilogum eiusdem Concilii.
6 Sess. v, can. 2.

Ex quo canone patet, factum elevationis primi Adami ad statum iustitiae et sanctitatis esse de fide admittendum.

***

B) Si iam quaeris utrum haec gratia Adamo collata eiusdem fuerit ordinis supernaturalis ac est gratia a Christo in redemptos derivata, non potest quidem eadem prorsus certitudine responderi, non enim haec identitas est de fide declarata.[1] Tam manifesto tamen ex tota oeconomia redemptionis resultat, ut, maxime post Concilium Tridentinum, sine magna temeritate negari non possit. Iam ante hoc Concilium non nisi rarissime in dubium vocabatur. Impugnata est tamen a quibusdam theologis, uti ab Aegidio Colonna.[2] Mirum autem quomodo post Concilium Tridentinum Eusebius Amort, ut moderniores taceam, hanc identitatem inficiari ausus sit.[3]

Non ideo tamen negamus fundamentum distinctionis inter gratiam Dei, quam Adamus recepit ab initio, et gratiam Christi, quam recepit post lapsum. Sed, uti in tractatu *De gratia* illustrabimus,[4] haec distinctio non spectat ad gratiae indolem intrinsecam, sed ad eius fontem. Quare subscribendum est absque haesitatione Augustino proclamanti: « Hanc « imaginem in spiritu impressam perdidit Adam per pecca« tum, quam recipimus per gratiam iustitiae ».[5] « Ad quam, « (divinae bonitatis imaginem) ait S. Leo M. quotidie nos uti« que reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adamo « primo, erigitur in secundo ».[6] Et sane, re entitative considerata, quaenam esset iustitia vera supernaturalis Adamo ab origine collata, si quoad essentiam fuisset alia ac est gratia per Christum ad redemptos derivata?

***

C) Cum minore certitudine respondetur tertio quaesito, utrum scilicet primus homo fuerit in gratia proprie creatus,

[1] Cf. de hoc adspectu Quaestionis Ven. Bellarminum (loc. cit., cap. 3).

[2] In II, Dist. 29.

[3] *Theol.*, Tract. de pecc. orig., disp. I.

[4] Alias distinctiones ibi adducemus, a quibus hoc loco afferendis abstinemus.

[5] *De Gen. ad litt.*, l. VI, c. 27. – *P. L.*, t. XXXIV, col. 355. Lege alios huiusmodi textus apud Suarezium (*De op. sex dierum*, l. III, c. 17, n. 3 et 9).

[6] *Serm. 1 de ieiun. decim. mens.* – *P. L.*, t. LIV, col. 169.

an solum postea constitutus.[1] Hanc enim controversiam Concilium Tridentinum dirimere noluit.[2] De hoc adspectu argumenti, post inconcusse positum factum humanae naturae in Adamum ad gratiam elevatae, bene scribit laudatus Waffelaert: « Cependant nous ne sommes pas obligés de croire de « la même manière, c'est-à-dire comme article de foi, que « l'homme a été créé aussitôt dans un état d'élévation sur- « naturelle et divine en même temps que dans celui d'inté- « grité. St Bonaventure et avec lui plusieurs Docteurs de « l'École est d'une opinion contraire à cette affirmation, « tandis que St Thomas l'admet avec la plupart des théolo- « giens modernes. Mais tous sont d'accord pour dire que « l'état d'intégrité doit être regardé comme étroitement lié « à celui de l'élévation surnaturelle, et comme ayant pour « but d'écarter tout obstacle à la grâce de la part de la « nature avant le péché ».

Et rationem distinctionis inter utramque opinionem ita evolvit: « La différence entre ces deux opinions consiste en « ce que, suivant la première, l'état d'intégrité doit être con- « sidéré comme une prédisposition ou aptitude pour monter « sans effort à l'état de grâce surnaturelle, avec lequel il « aurait ensuite continué d'exister.

« D'après la seconde opinion, l'état d'intégrité aurait été « en quelque sorte une conséquence due et légitime de la « grâce donnée par Dieu à notre premier père, et aurait donc « commencé à exister avec l'état de grâce ».[3]

Recte quidem. Sed et in hoc modo considerandi respectum status integritatis ad statum gratiae a qua est, haec veluti gratiae irradiatio differri potuisset, ita ut simul haberet rationem mercedis. Imo in hoc iste modus excogitandi nexum inter ipsam gratiam et integritatem esset diversus a modo prioris sententiae. Etenim bonus gratiae usus potuisset in-

[1] Bene de hoc aspectu argumenti disserit LE BACHELET, art. *Adam*, ch. x. – *Dictionn. de Théol. cath.*, VACANT-MANGENOT, t. I, p. 368 sqq.

[2] Card. Pallavicini ita rationem affert cur Concilium non retinuit verbum « crea- « tus », iuxta textum Paulinum, uti prius erat positum, sed substituit « constitutus » : « Card. Paceco monente non esse extra controversiam, an Adamus interiorem san- « ctitatem obtinuerit primo quo creatus fuerit momento ... ».*

[3] Op. cit., loc. cit., p. 19.

* *Hist. Conc. Trid.*, l. VII, c. 9.

tegritatem naturae aliqualiter veluti per meritum acquirere; nunquam autem bonus usus naturae integrae potuisset mereri gratiam supernaturalem.

Iam vero de hac quaestione non semper eodem modo iudicavit Angelicus. Etenim in Commentario Lombardi utramque sententiam affert, quin utram praeferat adsignificet. Sciscitans enim de statu in quo, si Adam non peccasset, filii eius nati fuissent, distinguit inter qualitates quae spectant ad naturam, qualis ab origine fuit, et qualitates quae huic ex personali activitate superstruuntur. Audiatur ipse S. Doctor: « Duplex iustitia primo homini poterat convenire: una ori- « ginalis, quae erat secundum ordinem debitum corporis sub « anima, et inferiorum virium sub superiori, et superioris « sub Deo, et haec quidem iustitia ipsam naturam humanam « ordinabat in suo primordio ex divino munere; et ideo talem « iustitiam in filios transfudisset. Est etiam alia iustitia gra- « tuita, quae actus meritorios elicit, et de hac est duplex « opinio ». Sistamus, si iustitia illa originalis modo descripta iam inclusisset gratiam supernaturalem presse sumptam, actum esset; nec in hoc loco S. Thomas dubium reliquisset, quod heic in *Summa* affirmat. Sed oppositum insinuant verba quibus utramque sententiam evolvit. « Quidam enim dicunt, « quod primus homo in naturalibus tantum creatus est, et « non in gratuitis, et secundum hoc videtur, quod ad talem « iustitiam requirebatur quaedam praeparatio per actus per- « sonales: unde secundum hoc, talis gratia proprietas per- « sonalis erat ex parte animae: et ideo nullo modo trans- « fusa fuisset, nisi secundum aptitudinem tantum ». Nisi S. Doctor sibi contradicat, et heic in dubium vocet quod superius simpliciter concesserat, « gratuita » intelligenda sunt, non dona praeternaturalia superius descripta uti in posteros transfundenda, sed dona supernaturalia gratiae propriae dictae. Quod sequentia confirmant: « Alii vero dicunt, « quod homo in gratia creatus est, et secundum hoc videtur, « quod donum gratuitum iustitiae ipsi humanae naturae « collatum sit: unde cum transfusione naturae, simul etiam « infusa fuisset gratia ».[1]

[1] II, Dist. XX, q. 2, a. 3 in Corp.

Eadem haesitatio apparet in eodem opere quoad modum quo creati sunt Angeli. Dum enim in *Summa* « magis dictis « Sanctorum consonum » vocat Angelos fuisse in gratia conditos,[1] in Commentario Lombardi rem simpliciter in dubio relinquit. Utraque enim opinione allata ait: « Harum autem « opinionum, quae verior sit, non potest efficaci ratione « deprehendi, eo quod creaturarum principium ex simplici « creatoris voluntate dependet, quam rationem investigare « impossibile est ».[2] Nihilominus de opinione quae Angelos in gratia creatos censet, fatetur paulo infra: « quae opinio « mihi magis placet ». Ergo iam tunc inclinabatur in opinionem cui postea firmius adhaesit.

Et recte quidem. Etenim *a*) in favorem huius sententiae militant rationes sat validae, dum *b*) infirmae sunt rationes quod oppositam suadere videntur.

a) Et sane *α*) omnes Scripturarum locutiones quae statum primi hominis describunt, tantopere hoc primum exordium extollunt, ut iam totum comprehendere censendum sit. *β*) Nullus e contra datur Scripturarum locus qui haec dona Adamo successive, alia scilicet in ipsa creatione, alia postea collata fuisse suadeat.

b) Unica ratio quae videretur in favorem huius successionis militare, esset ipsa gratiae excellentia, quae decentius et sapientius fuisset collata, si homo, absque eadem creatus, eam sibi aliqualiter actibus bonis acquirere potuisset. At haec ratio non solum deficit, sed et retorquetur. Deficit, quia nulla datur proportio inter huiusmodi conatum sine gratia et collationem gratiae. Retorquetur, quia ob hanc ipsam disproportionem sapientius et decentius ab initio confertur quod nullis meritis acquiri potest, ne, si actibus bonis veluti appelletur, per eosdem ex merito obtentum videatur.

Imo, uti mox videbimus, haec dona ab initio sunt homini tam vitaliter collata, ut ab ipso initio eis meritorio consensu non solum adhaerere potuerit, sed et eis meritorie uti.

Insuper etiamsi ordo inter dona supernaturalia et praeternaturalia talis concipiatur, ut praeternaturalia sint prae-

[1] I, Q. LXII, a. 3 in Corp.
[2] II, Dist. IV, q. 1, a. 3 in Corp.

ambulum dispositivum ad supernaturalia, hic ordo servatur optime, licet inter utraque non detur alia successio quam mere logica, sine ulla successione temporali.[1]

Sed de his mox sermo redibit.[2]

Interim nostra facimus sequentia verba Card. Bellarmini de gratia primi hominis: « Non desunt quidem theologi, qui « iustitiam originalem primo parenti in creatione concessam « separant a gratia gratum faciente, ac doceant accepisse « Adamum initio habitum quemdam, qui partem inferiorem « superiori subiiceret; non tamen accepisse gratiam illam « gratum facientem, quae filios et amicos Dei efficit, quaeque « ad vitam aeternam promerendam necessaria est... Nos « Albertum Magnum (n. 2, D. XXIV) et S. Thomam (I, Q. XCV, « n. 1) et alios sequimur, qui iustitiam originalem cum gratia « gratum faciente ita coniungunt, ut obedientia partis infe- « rioris ad superiorem, a gratia gratum faciente, quae partem « superiorem Deo obsequentem reddebat, veluti a fonte et « radice dependeat. Sive autem gratia gratum faciens dicenda « sit pars originalis iustitiae, sive tantum radix et causa, « non multum referre videtur ».[3]

Primordiali huic elevationi naturae humanae adversantur a primis saeculis usque ad tempora nostra

a) *Manichaei,* qui animam concipiunt humanam tamquam emanationem ab ipsa divina essentia, ac proin incapacem quae ullam ulteriorem elevationem accipiat, quum, ut ita dicam, supernaturalis sit ipsa eius natura.

b) *Pelagiani,*[4] ex opposito, dignitatem naturae humanae ita extollunt, ut per se sit ordinata in finem visionis beatae, ac proin capax illam actibus suis ac moribus obtinendi, quin indigeat supra se elevari ut illam beatitudinem attingere valeat.

c) *Falsi mystici* mediae aetatis, dum imprudenter extollebant vicinitatem quae est inter animam et Deum, inclinabantur in consideranda uti naturam consequentia, ea omnia

[1] Cf. de hoc argumento Palmieri (op. cit., th. LVII), necnon Card. Mazzella (op. cit., th. L et th. LIV).

[2] Cf. mox addenda de mente S. Bonaventurae.

[3] *De amiss. grat. et stat. pecc.*, l. V, c. 17.

[4] Cfr. WÖRTER, *Der Pelagianismus nach seinem Ursprung und seiner Lehre* - Freiburg. i. Br., 1882.

dona quae sunt gratiae et elevationis supernaturalis; quare participabant aliquo modo de errore Manichaeorum.

d) *Protestantes,* corruptionem exaggerantes naturae humanae a peccato primi hominis derivatam, consequenter docebant, ea quae elevationis sunt et gratiae, aliquo modo deberi, ne natura humana in se pessima sit.

e) *Baius*[1] *et Iansenius,*[2] licet monstra Calvini et Lutheri devitantes, nihilominus non satis distinxerunt inter ea quae in statu integritatis erant gratuita Dei dona, et ea quae erant naturae debita.

f) Quibus omnibus, uti iam praemonuimus et per se patet, accèdunt omnes rationalistae ac positivistae cuiusvis coloris. Nec satis ab eis cavent modernistae et hypercriticismo biblico addicti, qui rigorem doctrinalem alii, alii fundamentum historicum praesentis dogmatis infirmant.

Mens nostra non est hoc loco fusius de his variis erroribus disserere. De Manichaeismo iam egimus ubi de Deo et de creatione hominis et de anima humana tractabamus; et quod superest, tamquam consequens tangetur in ipsa refutatione Pelagianorum; nam, ut verbis Augustini loquar,[3] Manichaei et Pelagiani « modis causisque diversis, gratiam « Christi simul impugnant ». Multiformis Pelagiani erroris discussionem ex professo instituemus in tractatu *De gratia.* De pseudo-reformatoribus autem, necnon de Baio et Iansenio partim ibidem, partim in secunda sectione huius voluminis, partim in fine huius Quaestionis sermo redibit.

Interim satis sit Lutheri et Calvini afferre sententiam fundamentalem, eique opponere modum traditionalem, quo Patres utrumque naturae et gratiae campum in ipsa illustratione narrationis Mosaicae distinguere solebant.

Audiatur Lutherus: « Quare statuamus iustitiam non fuisse « quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum a « natura hominis, sed fuisse vere naturalem, ut natura Adae « esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Haec

[1] De Baio cfr. L. Bachelet, art. *Baius. Dictionn. de Théol.* Mangenot II, 1400 sq.

[2] Cfr. D. D. Fuzet, *Les Jansénistes au XVII siècle,* 1876; J. Paquier, *Le Jansénisme,* Paris, Bloud, 1909.

[3] *Contra duas epist. Pelagian.*, l. II, c. I.

« tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod « oculi lumen recipiunt... ». « Porro haec probant, iustitiam « esse de natura hominis, eâ autem per peccatum amissâ, « non mansisse integra naturalia, ut Scholastici delirant ».[1] In idem vitium incidit Calvinus.[2] Integritatem originalem hominis confundit cum perfectione naturali homini, qui capax est discernendi inter bonum et malum, et libero arbitrio gaudet eligendi inter alterutrum. Ex quo rursus sequitur, uti optime illustrat doctus Card. Bellarminus,[3] ruinam per peccatum productam esse, iuxta illos, ruinam ipsius naturae: « Qui Christi se discipuli esse professi, ait Calvinus, in ho- « mine perdito et in spirituale exitium demerso, liberum « arbitrium adhuc quaerunt, inter philosophorum placita et « caelestem doctrinam partiendo plane desipiunt, ut nec cae- « lum nec terram attingant ».[4] Quibus ex verbis apparet e contra quam periculosum sit non partiri inter ea quae sunt naturalia et quae supernaturalia. Quare denegare iustitiam supernaturalem, seu gratiam proprie dictam, fuisse protoparenti divinitus collatam, conducit vel ad negandum peccatum originale, quum homo non cessaverit esse verus homo, vel ad non admittendum in homine lapso nisi, ut Calvini verbis utar, aedificium ruina tantopere dissipatum, ut aptis iuncturis careat.

Hanc distinctionem inter naturam et gratiam prae oculis habebant illi Patres et scriptores sacri, qui in descriptione creationis primi hominis de naturali perfectione intelligebant « imaginem », de supernaturali « similitudinem ».[5] Audiatur et S. Bernardus: « Ad imaginem et similitudinem Dei factus « est homo: in imagine arbitrii libertatem, virtutis habens « in similitudine. Et similitudo quidem periit; verumtamen « in " imagine pertransit homo „.[6] Imago quidem in gehenna « uri poterit, non exuri; ardere, sed non deleri. Similitudo « non sic: sed aut manet in bono, aut, si peccaverit anima,

[1] *Comm. ad cap. 3 Genes.*

[2] Cf. Mgr Baudrillart, art. *Calvinisme. Dictionn. de Théol.* Mangenot, II, 67 sq.

[3] *De gratia primi hominis,* cap. 1.

[4] *Instit.*, l. I, c. 15, § 8.

[5] Cf. plures huiusmodi textus allatos p. 99 sq. – Cf. Bossuet, *Elévat. sur les mystères, IV Sem. 5 Elév.*

[6] Ps. xxxviii, 7.

« mutatur miserabiliter, iumentis insipientibus similata ».[1] Quare et in ordine reparato, Christianus est Dei imago uti homo; similitudo, uti baptismate Christo consimilis factus. « Per imaginem animae impressam meae, ait Basilius, obtinui « rationis usum; verum Christianus effectus, utique similis « efficior Deo ».[2] Pulcherrime Eucherius: « Inter similitu- « dinem et imaginem hoc interest: imago Dei, omnium; simi- « litudo, paucorum. Hinc namque imago ab excellentia divinae « similitudinis distat, quod imago Dei anima peccatrix esse « non desinit; ad Dei autem similitudinem, nisi anima sancta « fuerit, non pervenit, quia illa anima creata est per natu- « ram, haec dabitur confirmari per gratiam ».[3]

II. **Ad Textum.** - Obiectiones multipliciter incedunt, ita ut quaesitum sub variis adspectibus superius expositis impugnent. Duae primae radicaliter tendunt in negandam gratiam Adamo collatam, arguunt autem prior ex Scripturis, altera ex Augustino. Tertia, quinta et sexta procedunt contra creationem Adami in statu gratiae, quatenus non nisi post aliquod spatium ei collata fuerit; quarum prima procedit ex auctoritate Augustini, aliae duo ex rationibus magis internis. Demum obiectio quarta, petita ex Magistro Sententiarum, potius tendit in infirmandam identitatem gratiae collatae Adamo et nobis. De quibus obiectionibus quaedam sint iuxta ordinem quo occurrunt in textu.

1ª Obi. Solutio huius difficultatis iam praeoccupata est in art. 1. Quaest. praecedentis. Etenim vel consideratur Adam in stadio mortali nondum glorificato, et tunc vis oppositionis non cadit in absentiam gratiae, quod supponitur in obiectione, sed in absentiam gloriae, ex qua nulla difficultas. – Vel cum Augustino distinguitur in Adamo duplex stadium, et tunc ad summum obiectio probaret, Adamum non fuisse in gratia creatum (si successio intelligitur temporis), non autem eum non fuisse in ea constitutum.

[1] *Serm. 1 de Annunt.*

[2] *Hexaem.*, hom. 10.

[3] *In Genes.*, l. 1. Plura huiusmodi testimonia lege apud Bellarminum (loc. cit., cap. 2).

2ª Obi. Vis truncatur huic auctoritati per hoc quod ille liber non est genuinus Augustini, sed alterius ignoti scriptoris (Ambrosiastri?), sat dubii valoris.[1]

3ª Obi. Textus S. Augustini ita ad verbum sonat: « Rectis- « sime credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui « creavit omnia bona valde, et mala ex bonis oritura prae- « scivit, et scivit magis ad suam omnipotentissimam boni- « tatem pertinere, etiam de malis bona facere, quam male « esse non sinere, sic ordinasse Angelorum et hominum « vitam, ut in ea prius ostenderet, quid possit eorum libe- « rum arbitrium, deinde quid possit suae gratiae beneficium « iustitiaeque iudicium ».[2] Multipliciter fallitur obiectio ex hoc loco petita. 1º Supponit, « liberum arbitrium » de quo agitur, esse facultatem naturalem, suis viribus agentem, ante receptam quamvis gratiam. Hoc autem est falsum. Augustinus enim in primo hominis statu de more simul contemplatur naturam et gratiam, quemadmodum id manifeste facit ubi ait: « Hoc opus, scil. bonum opus praesentis hominis, est gra- « tiae, non naturae. Opus est, inquam, gratiae, quam nobis « attulit secundus Adam; non naturae, quam totam perdidit « primus Adam ... Non est igitur (nunc) gratia in natura « liberi arbitrii.... quia *liberum arbitrium ad diligendum* « *Deum* primi peccati granditate perdidimus ».[3] Ergo ante peccatum adfuit illud liberum arbitrium ad diligendum Deum, id est cum gratia. - 2º Supponit, verba: « quid possit « suae gratiae beneficium », dici de gratia collata Adae ante peccatum, sed tempore postquam conditus erat in pura natura. Iam vero haec duo: « gratiae beneficium, iustitiaeque iudi- « cium » dicta sunt ambo post probationem Angelorum[4] (in quibus lapsis unice apparuit *iustitiae iudicium* per damnationem, in bonis vero unice beneficium gratiae in bono consummatae), et hominum (in quibus per mysteria Incarnationis et peccati originalis apparent simul *gratiae beneficium* et *iustitiae iudicium*). - 3º Caeterum quo spectasset illud quod

[1] Cf. Al. Souter, *Proleg. in edit. Ps. Aug.*, Qq. V. et N. T., cxxvii, p. xxiii. Vindobonae, 1908.

[2] *De corrept. et gratia*, c. 10, n. 27. - *P. L.*, t. xliv, col. 932.

[3] Ep. 217 (alias 107) c. 3, n. 11, et c. 4, n. 12. - *P. L.*, t. xxxiii, col. 979, sq.

[4] Adde bonis additam gratiam confirmationis in ipso bono.

dicitur « quid possit eorum liberum arbitrium? ». In ordine ad quid? quo scopo? quum omnes tum Angelos, tum homines gratiam acquisivisse constet. Igitur processus sententiae, qui, si recte intelligitur, tam syntheticus est et profundus, perit in illa interpretatione, et tantopere perit ut non remaneat nisi aliquid imbelle, ac proin ab Augustiniano sermone prorsus alienum. – 4° Confirmatur haec nostra sententia ex modo quo in sequentibus occurrit locutio « liberum arbitrium ». Si in sensu liberi arbitrii ante collata dona gratiae et independenter ab eis, actum est, obiectio valet; si autem in sensu liberi arbitrii sub gratia et cum gratia, obiectio truncatur per ipsum textum Augustini. Atqui hoc alterum verificatur, tum quoad modum quo loquitur de Angelis, tum quoad modum quo loquitur de hominibus: 1° *De Angelis*, ita habet: *a*) *de malis ;* « Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur « diabolus, *per liberum arbitrium* a Domino Deo refugae « facti sunt ». Quo libero arbitrio, nisi iam elevato? Nam sequitur: « Refugientes tamen eius bonitatem, qua beati fue« runt, » (utique beatitudine supernaturalis elevationis, secus enim gratiam numquam habuissent) « non potuerunt eius « effugere iudicium, per quod miserrimi facti sunt ». En iustitiae iudicium. *b*) *De bonis:* « Caeteri autem *per ipsum libe*« *rum arbitrium* in veritate steterunt ». Quomodo, nisi ex gratia et in gratia? nisi Augustinum Pelagianum facias. [1] 2° *De hominibus a*) *in genere:* « Sed et hominem fecit *cum* « *libero arbitrio,* et quamvis sui futuri casus ignarum, tamen « ideo beatum, quia et non mori et miserum non fieri in sua « potestate esse sentiebat ».[2] Quod rursus, sine ulla gratia « dictum, Pelagianum foret. *b*) *De bonis.* « In quo statu *recto* « et *sine vitio* » (utique rectitudine, integritate originali), si « *per ipsum liberum arbitrium* manere voluisset, profecto « sine ullo mortis et infelicitatis experimento acciperet illam,

[1] Ibid. Corroboratur adhuc sequenti sententia, quae paulo inferius occurrit: « Diabolus vero et angeli eius, etsi beati erant antequam caderent, et se in mise« riam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, « si per *liberum arbitrium* in veritate stetissent, donec istam summae beatitudinis « plenitudinem, tamquam praemium ipsius permansionis acciperent, id est, ut magna « per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non « possent, et hoc de se certissime nossent ». En « gratiae beneficium ».

[2] Ibid., n. 28, col. 933.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« merito huius permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua « et sancti Angeli sunt beati, id est, ut cadere non posset « ulterius, et hoc certissime sciret ».[1] Quod rursus, sine gratia intellectum, sonat Pelagianum. *c*) *De malis, seu praevaricatoribus:* « Quia vero *per liberum arbitrium* Deum dese- « ruit » (utique recepta prius gratia et elevatione, secus non eam habuisset ante lapsum), « *iustum iudicium* Dei expertus « est, ut cum tota sua stirpe, quae in illo adhuc posita tota cum « illo peccaverat, damnaretur. Quotquot enim ex hac stirpe « *gratia Dei* liberantur, a damnatione utique liberantur, qua « iam tenentur obstricti ».[2] En *iustum iudicium* ex una parte, et *gratiae beneficium* ex altera, sequentia non nudam naturam, sed naturam elevatam, peccato autem collapsam.

Obiicies ad haec omnia *ordinem* quo ipse Augustinus fatetur se intellexisse assertum: « Credimus... Deum Domi- « numque rerum omnium sic ordinasse Angelorum et homi- « num vitam, ut in ea *prius* ostenderet quid posset eorum « liberum arbitrium, *deinde* quid posset suae gratiae bene- « ficium iustitiaeque iudicium. *Denique* Angeli quidam », et pergit narrando casum malorum et perseverantiam bonorum. Haec enim gradatio: *prius, deinde, denique,* ostendit liberum arbitrium fuisse primum stadium, liberum arbitrium cum gratia, alterum; usum vero gratiae, tertium. - *Resp.* Qui nimis probat, nihil probat. Si ita ordo esset intelligendus, quomodo posset ibi haberi sermo de iustitiae iudicio ante lapsum iudicandorum et puniendorum? Proinde istud *denique* non habet aliud significatum nisi exprimendi successionem inter ordinem *ordinationis divinae,* in qua prius et posterius logice et secundum praedestinationem inveniuntur, et *executionem in tempore* cum concursu voluntatis creatae. Firma igitur stat interpretatio quam huius celeberrimi loci aliquanto fusius exponendam esse duximus, quia saepissime ab adversariis, ad sua placita Augustinum detrahentibus, tamquam summi momenti usurpatur et a sensu genuino detorquetur. Caeterum, nec sic intellectus, ille locus aliud probaret nisi Adam non ab initio fuisse in gratia conditum sive creatum.

[1] Ibid.
[2] Ibid.

4ª Obi. En quomodo Magister inducit argumentum: « Nunc « diligenter investigari oportet, quam gratiam vel potentiam « habuit homo ante casum, et utrum per eam potuerit stare, « vel non. Sciendum est igitur, quod homini in creatione, « sicut de Angelis diximus, datum est per gratiam auxilium, « et collata *est potentia per quam poterat stare,* id est, non « declinare ab eo quod acceperat; *sed non poterat proficere* « in tantum ut per gratiam creationis sine alia mereri salu- « tem valeret. Poterat quidem per illud auxilium gratiae crea- « tionis resistere malo, sed non perficere bonum. Poterat « tamen per illud bene vivere quodammodo, quia poterat « vivere sine peccato. Sed non poterat sine alio adiutorio « gratiae spiritualiter vivere, quo vitam meretur aeternam ».[1]

Quo posito, Lombardus probat et explicat utramque partem sententiae suae, tum quoad possibilitatem declinandi a malo, citando, sed non ad rem, pro toto asserto, varia loca Augustini; tum quoad impotentiam merendi salutem, solvendo primo obiectionem. Quae solutio viam sternit magis definiendae gratiae creationis, quae capacitatem confert declinandi a malo, attamen sine merito nec profectu in bonum vitae aeternae. Sine merito quidem, quia nulla aderat sollicitatio in malum. Ille quippe status, gratia creationis nuncupatus, sequenti modo a Lombardo definitur: « Hic considerandum « est, quod fuerit illud adiutorium homini datum in crea- « tione, quo poterat manere si vellet. Illud utique fuit *libertas « arbitrii ab omni labe et corruptela immunis, atque volun- « tatis rectitudo et omnium naturalium potentiarum animae « sinceritas atque vivacitas* ».[2] Apparet, in mente Lombardi, gratiam creationis continere certo omnia illa quae praeternaturalia vocavimus. Utrum etiam elevationem ad statum supernaturalem complectatur, ex ipsis verbis non apparet; sed ex toto ordine tractatus, insuper ex modo loquendi Lombardo solita, affirmative solvendum videtur.

Etenim quo spectat doctrina quam hic exponit? De quanam loquitur gratia suprarequisita in homine iam elevato ut valeat perficere bonum? Putamus hoc loco Lombardum

[1] L. II, Dist. XXIV.

[2] Unde assumit occasionem ut in eadem Distinctione et in sequenti disserat de libero arbitrio deque eiusdem variis conditionibus.

nihil aliud affirmare voluisse, formula sane minus adaequata, nisi dilemma circa quod totum gratiae mysterium vertitur: hominem posse declinare a malo viribus suis (secus, quando malum amplectitur, careret culpa); bonum autem agere, seu in salutem sese extendere, sine gratia non posse.

Duo tamen in Lombardi expositione corripienda videntur: 1° textus ex S. Augustino adducti non satis sunt ad rem; 2° obiectionem solvit ope principii falsi, quod, si urgeretur, ipsum Magistrum contradictione involveret.

His dictis, quid de responsione a S. Thoma huic 4ae obi. in fine facta sentiamus, iam satis apparet.

5a Obi. Peccat dupliciter: *a*) *In maiore,* nam consensum non requiri per se ad elevationem ad statum supernaturalem, in infantibus baptisma recipientibus est manifestum. *b*) *In minore,* nam supponit, hunc consensum, - dato et non concesso quod requiratur, - non posse produci actu instantaneo.[1]

6a Obi. Falso supponit, eiusdem rationis esse habitudinem naturae ad gratiam et gratiae ad gloriam; quod erroneum hinc apparet, quod gloria potest attingi meritis ex gratia, et inde gratia meritorios actus generans praecedit tempore gloriam: gratia autem non potest efficaciter attingi operibus naturae. Quare non adest ratio cur tempore gratiam praecedat. Imo inde potius suadetur ratio cur simul utramque condi magis conveniat; ne scilicet occasio praebeatur opinandi, naturam per merita sua obtinuisse gratiam, et ita erroribus Pelagianis aut saltem semipelagianis ab ipsa hominis origine via aliqualiter sterni videatur.

Sed contra est. Consideratio modo exposita iam reddit manifestum argumentum *a pari* heic a S. Doctore allatum. Quoad exigentiam gratiae a parte suae naturae, Angeli et homines se habent in eodem statu. Pariter, quoad ordinationem per gratiam in gloriam, similes a Deo conditi sunt.[2] Quaenam igitur ratio afferri posset propter quam Angeli fuissent conditi in gratia simul cum natura, homines vero

[1] Cf. de hoc altero quae diximus in Tract. *De Verbo Incarnato*, agentes *De meritis Christi*.

[2] Quare S. Thomas in utroque opinandi stadio superius exposito, eodem modo de Angelis et de primo homine quaesitum solvit. - De statu originali pulchre interpretatur v. 6, ps. VIII, Abbas Maurus Wolter in praeclaro opere *Psallite sapienter*, t. I, p. 57.

non? Imo, si qua discriminis ratio afferri valeret, potius esset in favorem hominis in gratia condendi quam Angeli, propter maiorem infirmitatem naturae, et posterioritatem creationis. Adde huic rationi, necnon rationibus in *statu quaestionis* allatis, maiorem similitudinem inter primum et secundum Adamum adesse, si, quemadmodum caput generis redempti, ita et caput generis post culpam redimendi, sit ante culpam cum ipsa gratia capitis ab origine conditum, ac stricto sensu in gratia creatum. Confirmatur hic nexus per doctrinam de peccato originali. Si enim essentia peccati originalis, iuxta doctrinam S. Anselmi,[1] deinceps in Schola expressius agnitam, consistit in privatione iustitiae originalis, id est originalis gratiae, oportet ut in hac gratia essentia huius iustitiae originalis reponatur.

In Corpore. S. Thomas simul exponit utramque sententiam, et arguit ex Scripturis in favorem alterius.

Argumentum autem, paucis ita comprehenditur: Deus fecit hominem rectum. Atqui haec rectitudo comprehendebat dona supernaturalia. Ergo Deus creavit hominem in statu supernaturali, seu gratiae. Vis est in minore argumenti. Unde probanda est minor. Quod S. Doctor obtinet non a priori, sed a posteriori.

Commisso peccato, Adam amisit rectitudinem partis inferioris, quae superiori subdebatur. Atqui daemones naturalia non amiserunt per peccatum. Ergo haec subditio vel rectitudo naturam excedebat. Iam vero requiritur proportio inter causam et effectus. Ergo rectitudo animae, quam Adam perdidit peccando, non erat solum rectitudo naturalis, sed altior. Atqui talis altior rectitudo est ipsa gratia seu iustitia, de qua quaerimus. Ergo Adamus in hac gratia est constitutus.

De hoc argumento duo quaeruntur. 1° Utrum probet principale intentum, nempe collationem gratiae proprie dictae Adae factam ante peccatum. 2° Utrum insuper probet creationem in gratia. De utroque pauca sint.

1° Ut apodicticus valor huic S. Thomae argumento vindicetur, constare debet: *a*) Adamum non potuisse in naturalibus puniri; *b*) praeternaturalia non potuisse sine supernaturalibus Adamo conferri.

[1] *De Conc. Virg.*, c. 3.

a) Si ageretur solummodo de puniendo ipso Adamo cum uxore, nihil obstare videtur quominus in ipsis naturalibus fuisset punitus. Quod et in Angelis occurrit: damnatio enim daemonum non est solum exclusio a supernaturali beatitudine, sed et privatio beatitudinis mere naturalis, cuius desiderium in aeternum obiecto suo frustrabitur. Unde potuisset Adamus cum uxore sua in naturalibus etiam puniri. Potuissent, verbi gratia, ariditate corripi manus quae fructum vetitum arripuissent, ligari lingua impie cum serpente collocuta et mala excusatione culpam non confessa, etc.

Sed agebatur de poena toti infligenda generi. Unde poena videtur mensuram privationis bonorum supra exigentiam naturae collatorum excedere non potuisse. Quod tamen argumentum, ut vere concludat, restringendum putamus ad ea quae a natura absolute exiguntur ut sit, non ut melius aut optime sit.

b) Quid iam de altero dubio?

Si meram possibilitatem consideramus, negari non potest, Deum potuisse ita condere hominem, ut habuisset dotes praeternaturales, non autem dotes stricte supernaturales. Quas dotes utpote subordinate ad rectitudinem moralem erga Deum acceptas, potuisset homo servare agendo bonum, perdidisset autem agendo malum. Pariter potuisset Deus condere hominem in statu elevatae naturae per gratiam, absque donis praeternaturalibus in hac mortali vita, utpote usque ad gloriam differendis.

Constat proin ita utriusque generis dona distingui, ut ab unis ad alia illatio stricta non valeat. Imo neque amissio altiorum per se involvit amissionem inferiorum, quemadmodum ex ipsa historia lapsus protoparentum constat. Iam enim Eva in corde peccaverat, ac proin gratiam amiserat; et tamen rebellionem sensuum nondum patiebatur. Tunc enim praeternaturalium amissionem solum deprehendit, quando et Adam praevaricatus est. « Deditque viro suo, qui comedit. « Et aperti sunt oculi amborum » (hoc est, uti mox videbimus, cecidit innocentiae velamen), etc.[1]

Quid igitur de argumento S. Thomae? Non putamus illud concludere apodictice. Nihilominus est maxime suasivum,

[1] GEN., III, 6, 7.

quia lex proportionis in operibus Dei semper mirabilis suadet aliquid summum fuisse amissum, quo simul, veluti tamquam consequens, amitteretur donum integritatis. Proportio autem servatur per nexum inter haec dona et gratiam, non quasi identica sint eiusdemque omnino ordinis; sed quia gratia erat donorum praeternaturalium radix; qua sublata radice, possunt adhuc aliquantulum stare, sicut virida folia ab arboris radice truncata non arefiunt illico; sed mox marcescunt atque pereunt. Nec voluisse S. Thomam vim argumenti ultra hanc explicationem urgere, verba quibus concludit: « Ex quo datur intelligi, etc. » prudenter insinuant.

Observa tamen sedulo, ultima verba non accipienda esse, quasi obedientia corporis ad animam, cui subdebatur, ita esset per gratiam, ut eodem titulo, quo ipsa animae gratia, praedicanda esset supernaturalis.

2) Sed esto, hoc argumento efficaciter demonstrari elevationem Adami ad statum gratiae, remanet alterum dubium superius expressum. Valetne etiam ad probandum Adamum fuisse hac elevatione ab initio suae creationis ornatum?

Per se ista conclusio excederet, iuxta ea quae superius diximus. Sed quum S. Thomas arguat ex Scripturae loco in quo vocabulum « fecit » idem sonat ac « creavit », haec altera conclusio legitime infertur. Ad infirmandam enim istam conclusionem requirerentur argumenta vel intrinseca vel extrinseca, quae in casu deesse, ibidem demonstravimus.

Obiicies. Sed si argumentum S. Thomae est minus strictum, quid de veritate in praesenti articulo probanda? Num et ipsa non nisi minus stricte demonstrari potest?

Distinguamus sedulo inter dogma ipsum, et argumentum aliquod speciale quo vindicatur. Dogma elevationis Adae constat ex toto dogmate reparationis per Christum. Unde etiamsi in toto Test. Vet. deesset locus per se omnino stringens ad probandum intentum, lux Test. Nov. radios usque in ipsum Paradisum originis proiicit abundantes, et de novi Adami cruce mira emanat claritas prioris Adami exordia collustrans. Sed praeter argumenta ex reparationis ordine petita, vidimus et alia non deesse, quae, si per se non essent apodictica, tamen ex harmonia revelationis magnam vim acquirunt. Imo vidimus initialem rectitudinem in primo homine

celebratam involvere primariam illam ordinationem animae in Deum,[1] a qua, veluti a radice, reliqua rectitudinis dona procedebant.[2]

Ordinem inter dona supernaturalia et praeternaturalia,[3] qualis a S. Thoma hic exhibetur, pulcherrime vindicat et illustrat Suarez: « Iustitia originalis formaliter et adaequate « erat quaedam collectio plurium perfectionum data a Deo « ad constituendum hominem in quodam felicitatis statu; « ergo illa omnia data sunt cum aliquo ordine inter se. Nam « multitudo sine ordine est confusio, et ideo quae a Deo « sunt, ordinata sunt, imo cum summa sapientia et pulchri- « tudine ordinantur: optimus autem ordo postulat, ut quando « multa in unum conveniunt, inferiora superioribus subor- « dinata sint, et quod in eis est supremum, sit quasi caput « et fundamentum aliorum; ergo ita fuit constituta originalis « iustitia. Unde cum in illa collectione gratia fuerit princi- « palis forma, illa censenda est quasi essentialis in illa iusti- « tia; reliqua vero omnia tamquam proprietates eius, vel « tamquam auxilia, et ornamenta illi adiuncta, ad perfectius « vivendum et operandum secundum iustitiam et sine de- « fectu ».[4]

[1] Inde, uti iam monuimus, Billuart ex hac rectitudine in qua Deus primum hominem fecit, arguit ad demonstrandum Adamum fuisse in gratia creatum. Quam suam thesim demonstrat 1) ex Scripturis, maxime ex hoc loco, 2) ex Patribus, 3) ex ratione. Ex ratione autem tria affert argumenta: *a*) comparationem cum Angelis; *b*) harmoniam rectitudinis, quatenus, quum rectitudo virium inferiorum in Adamo pertinuerit ad ordinem superiorem viribus naturae, consonum erat ut et rectitudo animae esset ordinis supernaturalis; *c*) ex comparatione cum aliis creaturis. « Deus creavit alias « creaturas cum virtute assequendi suos fines: ergo et hominem. Subsum: atqui finis « ad quem homo erat, ordinatus est supernaturalis, quem consequi non posset sine « gratia sanctificante ».* Ingeniosa sane ratio; sed non nisi suasiva. Nam ex hoc ipso quod homo a Deo destinabatur ad finem supernaturalem, supra legem aliarum creaturarum attollebatur.

[2] Quae hic de gratia praeoccupavimus, alibi complebuntur, ubi de variis acceptionibus vocabuli « gratia » data opera agemus.

[3] De prioritate quae in donis naturae invenitur, ita ut, posita natura, alia ex aliis veluti debita effluant, subtiliter disserit S. Thomas in *Summa contra Gentiles* (l. II, c. 29).

[4] Op. cit., l. III, c. 20, n. 21. Poëtice simul ac profunde hunc nexum ita describit P. Denifle O. Pr. « Die menschliche Natur ist die Braut, die Gott gemacht hat « zu dem Bilde und Gleichnisse seiner Selbst. Er hatte sie im Beginne gesetzt an « den höchsten Ort, und an den schönsten und den reichsten and an den lieblichsten

* Op. cit., Diss. IV, a. 3.

Quaeres. – Estne initialis sanctificatio Adami ita intelligenda, ut ab initio Adam personali actu consensum ei meritorium praestiterit, et ita aliqualiter ab ipso exordio per meritum quoque personale fuerit sanctificatus? Sunt quidem qui hoc negent, uti Sotus, contra quem optime disputat Suarez.[1] Sed longe melius cum S. Thoma[2] affirmatur. Et sane Adamus fuit in natura perfecta ita creatus, ut, etiamsi logica successio fuerit inter acceptam naturam et eiusdem usum, tamen ne per instans quidem temporis fuerit veluti languens, antequam et mens et voluntas eius agerent. Iam vero, idem valet de ordine supernaturali. Quare, quum sententiam amplexi simus quae tenet, Adamum fuisse in iustitia supernaturali creatum, nulla apparet ratio cur non ab ipso initio quo gratiarum dona habuit, simul adfuerit liber earumdem actualis usus. Iam vero liber usus gratiarum est meritorius. Ergo ab ipso initio suae elevationis Adamus mereri potuit. Similem doctrinam loco suo evolvimus de Angelis, necnon de B. V. Maria. Nec sine fundamento S. Anselmus[3] hanc eruit ex verbis S. Pauli: « Spoliantes vos veterem hominem, « sicut homo post lapsum in agnitione Dei renovatur, ita in « ipsa agnitione creatus est »; ergo in actu supernaturali « agnoscendi Deum supernaturali lumine agnitum.

Recte de hoc argumento scribit Le Bachelet: « Rien « n'empêche donc que, même au premier instant de sa créa- « tion, il y ait eu, de la part du premier homme, coopéra- « tion à la grâce. Comme l'âme du Christ, au moment de « l'Incarnation, comme l'âme de la Très Sainte Vierge Marie, « dans son Immaculée Conception, l'âme d'Adam nous appa-

« auf Erdreich, der war in dem Paradiese. Und er hatte ihr unterworfen alle Krea- « turen. Und her hatte sie gezieret mit Graden. Gott ordnete den ersten Menschen « also, dass keine Krankheit in ihr fallen mochte, denn eine goldene Kette wohlge- « ordneter Harmonie ging von der Dreifaltigkeit in die obersten Kräfte der Seele, « und durchging auch ihre niedrigsten Kräfte, so dass sie den obersten gehorsam « waren, wesshalb auch keine Krankheit weder in den Leib noch in die Seele* fallen « konnte. **.

[1] Op. cit., c. 19.

[2] Hoc loco ad 5.

[3] *In c. III epist. ad Coloss.*

* Nisi per liberi arbitrii abusum.

** *Das geistliche Leben,* 1 Theil., 2 kap., n. 1.

« raît, dans cet unique instant, d'une virtualité si riche, tout « à la fois créée par Dieu, adhérant à lui, sous l'action de la « grâce actuelle par un acte d'intense charité et sanctifiée « par la grâce habituelle, dans cet acte même d'adhésion à « sa fin suprême ».[1]

Monet tamen optime Suarez, hoc privilegium non fuisse transfundendum ad infantes in innocentiae statu editos, quia in eis non potuisset adesse absque miraculo, – non enim nati essent in aetate perfecta, – et miracula non sint multiplicanda sine gravi ratione, quae pro eis non adfuisset.

ARTICULUS II.

UTRUM IN PRIMO HOMINE FUERINT ANIMAE PASSIONES.[2]

De ipsa Quaestione. – 1) Passiones quaecumque sedem suam habent in parte appetitiva; unde ad voluntatem reducuntur. Imo, presse sumptae, sunt in parte sensitiva; unde, ob intimum nexum qui coniungit animam cum corpore, a parte sensitiva assurgunt usque ad animam. Optime id evolvit cl. P. Janvier O. Pr.: « Il y a dans l'âme comme un triple « champ superposé, le champ de la pensée, le champ de la « sensibilité, le champ des fonctions végétatives... Auquel de « ces domaines appartient la passion?

« Premièrement la passion ne se produit pas en haut, dans « le champ supérieur de la vie, ce n'est que par répercus- « sion qu'on l'y trouve, qu'elle excite ou entrave la pensée, « ou qu'elle-même sent l'aiguillon ou le frein de la pensée... « Secondement, la passion n'a pas son siège dans les puis- « sances végétatives; ce n'est pas, comme l'affirment de plus « en plus certains écoles, " l'expression directe et immédiate « de la vie végétative... „.[3] Il reste que la passion a son « siège dans la région sensible de l'âme... La passion est « l'explosion dans l'âme de la sensibilité ».[4]

[1] *Dictionnaire de Théol. Cathol.*, VACANT-MANGENOT, t. I, *A.*, art. *Ame*, col. 374.

[2] Cf. ea quae de passionibus in tractatu *De Deo Homine*, necnon in prima partis huius tractatus exposuimus.

[3] TH. RIBOT, *Psychologie des sentiments*, 4e édit., préf., p. IX.

[4] *Les Passions*, Carême 1905, 2e édit., p. 23, sqq.

2) Iam vero in passionibus distinguendum est id quod perfectionis, et id quod imperfectionis habent. Tolle prius, actum est: quî in illo beatitudinis statu imperfectioni locus fuisset? Tolle alterum; ad quid iam quaestio movetur? Hinc nota illa Graecorum distinctio passionum, quarum tres aliae, sapientis, vocabantur εὐπάθειαι; aliae quatuor, stulti, πάθη; quas primas Tullius constantias, reliquas perturbationes nuncupabat. « Sic ergo illi loquuntur, ait Augustinus, ut velle, « gaudere, cavere negent nisi sapientem; stultum autem « nonnisi cupere, laetari, metuere, contristari ».[1] Sed ostensa falsitate huius distinctionis concludit: « Proinde volunt, ca- « vent, gaudent et boni et mali; atque ut eadem aliis verbis « enuntiemus: cupiunt, timent, laetantur et boni et mali; sed « illi bene, isti male, sicut hominibus seu recta seu perversa « voluntas est. Ipsa quoque tristitia, pro qua stoici nihil in « animo sapientis inveniri posse putaverunt, reponitur in bono « et maxime apud nostros ».[2]

3) Porro imperfectio quam conceptus passionis secum ferre videtur, quadruplicem habet causam: *a*) vel provenit ex insubordinatione carnis *concupiscentis* adversus spiritum; *b*) vel a parte obiecti quod est malum, a quo *timetur; c*) vel a parte obiecti quod est bonum, sed non possessum, et cum *dolore* cupitur; *d*) vel a parte *excessus,* quo passiones praeveniunt iudicium rationis illudque impediunt.

4) In statu ergo perfecto integritatis originalis haec quatuor sunt removenda, ita ut appetitus passiones sint solummodo amoris, et gaudii de bono possesso vel tempore suo possidendo (nempe gloria visionis, quae sine dolore cupiebatur); absque ulla carnali concupiscentia; et haec omnia intra limites propassionum.

Etenim, uti alibi vidimus, hoc interest, quoad modum, inter passiones et propassiones, quod istae, utpote in vestibulo manentes, partis superioris dominium non impediunt; illae autem aliquid saltem de hoc dominio minuunt, rationis iudicium praevenientes aut imo impedientes. Quare propassiones nullam involvunt imperfectionem, quae in passione

[1] *De Civ. Dei,* l. XIV, c. 8, n. 1. – *P. L.*, t. XLI, col. 411.
[2] Ibid., n. 3, col. 412, sq. – Et citat II COR., VII, 8-11.

contra propassionem distincta includitur. Proin in beato illo statu integritatis, quoad modum,[1] propassiones adfuerunt, non autem passiones proprie dictae.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Arguit ac si elementum, quod n. 2 *a*) exponitur, totam rationem passionis contineret.

2ª Obi. Dupliciter peccat: *a*) exaggerat praerogativam impassibilitatis corporis, ut infra apparebit; *b*) extendit imperfectionem ad omnes animae passiones (cf. 3).

3ª Obi. Confundit « gubernare, seu moderari » et « ex toto « tollere ». In primo est perfectio; in altero vero magna esset imperfectio.

Sed contra est. Veritas hoc articulo contenta demonstratur quoad partem affirmantem per textum Scripturae: « Factus est homo in animam viventem ». Etenim homo, utpote ex anima et corpore compositus, monstrum esset, nisi vitali nexu pars sensitiva in animam ageret. Quoad partem autem negativam probatur ex locis Scripturae in quibus passiones sumuntur in sensu stimuli peccatorum. Exemplo sint illa verba Pauli: « Cum enim essemus in carne, « *passiones peccatorum,* quae per legem erant, operabantur « in membris nostris, ut fructificarent morti ».[2]

Audiatur S. Augustinus de primi hominis statu quantum ad passionum perturbationes inquirens: « Sed utrum primus « homo vel primi homines, – duorum erat quippe coniu- « gium, – habebant istos affectus in corpore animali ante « peccatum, quales in corpore spirituali non habebimus, omni « purgato finitoque peccato, non immerito quaeritur. Si enim « habebant, quomodo erant beati in illo memorabili beatitu- « dinis loco, id est paradiso? Quis tandem absolute dici beatus « potest, qui timore afficitur, vel dolore? Quid autem timere « aut dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluen- « tia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis

[1] Aliquid huiusmodi recurrit in analysi tentationis, quam pati solent homines, et cui Christus subiici dignatus est. Cum hoc tamen discrimine, quod in Christo, uti pulchre monet S. Gregorius M., tentatio non fuit nisi externa, sine sollicitatione interna; dum propassiones producunt aliquid internum. Ergo plus interest inter tentationem Christi et nostras tentationes, quam inter passiones Adami et nostras.

[2] Rom., VII, 15.

« mala valetudo; nec aberat quidquam, quod bona voluntas « adipisceretur, nec inerat quod carnem animumve hominis « feliciter viventis offenderet? Amor erat imperturbatus in « Deum, atque inter se coniugum fida et sincera societate « viventium, et ex hoc amore grande gaudium, non desistente « quod amabatur ad fruendum. Erat derivatio tranquilla pec- « cati, qua manente nullum omnino aliunde malum, quod « contristaret, irruebat ». Et obiectioni, inde petitae quod saltem « cupiebant prohibitum lignum ad vescendum contin- « gere, sed mori metuebant », egregie respondet: « Absit ut « hoc existimemus fuisse, ubi nullum erat omnino peccatum. « Neque enim nullum peccatum est, ea quae lex Dei pro- « hibet concupiscere, atque ab his abstinere timore poenae, « non amore iustitiae. Absit, inquam, ut ante omne pecca- « tum iam ibi fuerit tale peccatum, ut hoc de ligno admit- « terent, quod de muliere Dominus ait:[1] " Si quis viderit « mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam « in corde suo „ ».[2] Felicem statum primorum hominum comprehendit his verbis: « nullis agitabantur perturbatio- « nibus animorum, nullis corporum laedebantur incommo- « dis ».[3]

In Corpore. Doctrinam huius *Corporis* sequenti schemate tene:

- In statu innocentiae aderant passiones:
  - *A)* quoad *obiectum:*
    - 1) *malum:* nulla;
    - 2) *bonum:*
      - *a)* habitum (conc.);
      - *b)* nondum habitum:
        - α) tranquille cupitum (conc.);
        - β) cum tristitia cupitum (nego).
  - *B)* quoad *modum:*
    - 1) *propassiones* (conc.);
    - 2) stricte *passiones* (nego).

Corollarium I. – Quemadmodum in praecedenti Quaestione contulimus inter se scientiam Adami et scientiam Christi, ita iuvat hic conferre Adami passiones cum passionibus Christi. Passiones enim in Christo adfuisse, alibi demonstravimus.

[1] Matth., v, 28.

[2] Cf. complendo de hoc argumento quando de protoparentum peccato directo agemus.

[3] *De Civ. Dei,* l. xiv, c. 10. – Ibid., col. 417.

1) Si *obiecta* consideras, inter passiones Christi et passiones Adami *a*) quantum ad *malum* interfuit: nam Adamus erat immortalis et impassibilis, Christus passibilis et mortalis; *b*) quantum ad *bonum* conveniunt, quatenus utrimque obiectum cum tranquillitate possidebatur. 2) Si autem consideras *modum,* rursus conveniunt, quatenus utrimque non adfuerunt nisi propassiones. Cum hoc tamen discrimine, quod Christus potuit relaxare frenum propassiones continens, et sinere eis aditum in ipsum passionum campum, uti, v. gr., in agonia horti ei contigit, et forsan quoque in clamore « Deus, « Deus meus, etc. » de cruce emisso. Sed isti vehementiores passionum motus, quum ex libera erumpant voluntate, non cessant ad propassiones pertinere. Unde in fortissimo harum passionum impetu mens Christi nihil de beata sua serenitate amisit.[1]

Adverte proin quid heic intersit cum modo quo superius contulimus scientiam Adami cum scientia Christi. Ibi enim multipliciter agnovimus superioritatem scientiae Christi, sine ullo adspectu inferioritatis. Non ita autem heic. Ratio petenda est in defectibus quos Christus pro nobis ultro assumpsit, ut vere posset esse mediator. Iam vero nulla imperfectio partis intellectivae huic operi mediationis poterat prodesse; multipliciter autem defectus in parte sensitiva. Passibilis enim et mortalis mediator debebat morti destinatos morte sua ad

[1] « Les puissances élevées, ait cl. P. Janvier, parfois demeurent dans le repos « et la sérénité, alors que les facultés inférieures sont violemment émues par la pas- « sion; c'est pourquoi Jésus-Christ, au jardin des Oliviers, était en proie aux angoisses « de la crainte, du dégoût, de la douleur, maintenant son esprit dans la vision et sa « volonté dans la béatitude » (Ibid., p. 24, sq.).

Quod est magnorum animorum privilegium, in quo non parva virtutis perfectio continetur. « Ita mens, ait Augustinus, * ubi fixa est ista sententia (servandae iusti- « tiae) nullas perturbationes, etsi accidant inferioribus animi partibus, in se contra « rationem prevalere permittit: quin imo eis ipsa dominatur, eisque non consentiendo, « sed potius resistendo regnum virtutis exercet. Talem describit etiam Virgilius « Aeneam:

« *Mens immota manet, lacrymae volvuntur inanes* ».**

* *De Civ. Dei,* l. IX, c. 4, n. 3. – *P. L.,* t. XLI, col. 260. In sequentibus Augustinus conatur conciliare peripateticos, Platonicos et stoicos, quatenus alii virtutes vocant propassiones imperio rationis subiectas, alii vitia passiones proprie dictas, quae regunt rationem, à qua regi deberent (cap. 5).

** *Aeneid.,* l. IV, vers. 449.

suam trahere immortalitatem. Pulcherrime Augustinus Christum mediatorem, « quem neque non fieri mortalem oportebat, neque permanere mortalem », ita describit: « Mortalis quippe factus est, non infirmata Verbi divinitate, sed carnis infirmitate suscepta; non autem permansit in ipsa carne mortalis, quam resuscitavit a mortuis: quoniam ipse fructus est mediationis eius, ut nec ipsi, propter quos liberandos mediator effectus est, in perpetua vel carnis morte remanerent. Proinde mediatorem inter nos et Deum, et immortalitatem habere oportuit transeuntem, et beatitudinem permanentem: ut per id quod transit, congrueret morituris, et ad id quod permanet, transferret ex mortuis ».[1] Nil mirum proin Christum quoad passiones fuisse partim Adamo innocenti, partim Adamo lapso similem; dum quoad scientiam Adamum innocentem simpliciter constanterque superavit.

Corollarium II. - Quum sedes immediata et directa passionum sit pars sensitiva, quae connubium supponit inter corpus et animam, sequitur 1) passiones esse proprias et quidem exclusive hominis. Ut Deum taceam, cuius immutabilitas et perfectissima simplicitas ac spiritualitas nullam, nisi figurative,[2] passionem admittunt, Angelus passiones proprie dictas ignorat, quia caret parte sensitiva;[3] brutum quoque

[1] *De Civ. Dei*, l. IX, c. 15, n. 1. - Ibid. col. 268. - Liceat huic egregiae sententiae S. Augustini adnectere sapientissimum monitum Bossuetii: « Quiconque veut devenir « un habile théologien et un solide interprète (des Ecritures), qu'il lise et relise les « Pères. S'il trouve dans les modernes quelquefois plus de minuties, il trouvera très « souvent dans un seul livre des Pères plus de principes, plus de cette première « sève du christianisme, que dans beaucoup de volumes des interprètes nouveaux, et « la substance qu'il y sucera des anciennes traditions le récompensera très abondamment de tout le temps qu'il aura donné à cette lecture ». * Quod apprime verum est de operibus summi Augustini, ad quem proin saepius recurrimus.

[2] Hinc vides, quam iniustum sit tamquam anthropomorphisticam doctrinam redolentes agnoscere expressiones quae non sunt nisi figurative intelligendae; quemadmodum ipse Bossuetius non veretur vocare « émotion véhémente » zelum quo Deus animarum salutem prosequitur (*Méditation sur la félicité des Saints*).

[3] Pulchre hanc quaestionem ita ponit S. Augustinus: « Sed adhuc merito quaeri « potest, utrum ad vitae praesentis pertineat infirmitatem, etiam in quibusque bonis « officiis huiusmodi perpeti affectus: sancti vero Angeli et sine ira puniant quos « accipiunt aeterna Dei lege puniendos, et miseris sine miseriae compassione sub-

* *Défense de la Tradition et des Saints Pères*, 1e Partie, l. IV, chap. XVIII.

nonnisi inchoative veras passiones sentit, quia sensitivi motus non habent intellectualem ad quam assurgant animam.

Sequitur 2) passiones ardentes et promptas in parte sensitiva esse perfectionem, quum hanc compositi humani partem demonstrent bene evolutam atque subtiliter constitutam. Nec refert, easdem per se, si maiores sint, facilius campum invadere rationis. Ad rationem enim spectabit eas continere. Secus dicendum esset, perfectiorem esse hominem qui sensum tactus non habet bene acutum, quia tum blanditiis huius sensus minus facile cedet, tum minores incurret patiendos dolores.

Sequitur 3) passiones esse nobis pretiosa virtutum instrumenta, si eis bene utamur, nec unquam rationi, maxime contra Dei legem, eas dominari sinamus. Optime rursus Augustinus: « Non est nunc necesse copiose ac diligenter ostendere, quid de istis passionibus doceat Scriptura divina, qua « christiana eruditio continetur. Deo quippe illam ipsa mentem subiicit regendam et iuvandam, mentique passiones ita « moderandas atque frenandas, ut in usus iustitiae conver- « tantur ». Unde principium fundamentale ponit, exemplisque illustrat. « In disciplina nostra non tam quaeritur utrum « pius animus irascatur, sed quare irascatur; nec utrum sit « tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed quid « timeat. Irasci enim peccanti, ut corrigatur; contristari pro « afflicto, ut liberetur; timere periclitanti ne pareat; nescio « utrum quisquam sana consideratione reprehendat ». Et lepide addit: « Nam et misericordiam stoicorum est solere « culpare; [1] sed quanto honestius ille stoicus misericor-

« veniant, et periclitantibus eis quos diligunt, sine timore opitulentur; et tamen « istarum nomina passionum consuetudine locutionis humanae etiam in eos usur- « pentur, propter quamdam operum similitudinem, non propter affectuum infirmi- « tatem: sicut ipse Deus secundum Scripturas irascitur, nec tamen ulla passione « turbatur » (Ibid., c. 5, col. 261).

Quae quaestio tempore Augustini erat subtilius ventilanda, tum quia ethnici philosophi falsos habebant conceptus de daemonibus uti medios inter deos et homines; tum etiam quia, uti loco suo fusius exposuimus, nec ipsi scriptores christiani absolutam Angelorum spiritualitatem omnes nitide agnoscebant.

[1] Stoicos antiquos in hoc longe superant moderni admiratores τοῦ *Übermensch*, quippe qui nihil maiori odio prosequuntur quam christianam compassionem, seu misericordiam. Nec modo stoici, sive antiqui sive moderni, sed et idealistae compassionem praefocare solent, specie dubii de vero eiusdem obiecto. Contra quos

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« dia perturbaretur hominis liberandi, quam timore nau-
« fragii! » [1]

Dissertatio
de originali integritate et de sensu pudoris.[2]

Vidimus, S. Thomam conditionem gratiae originalis, in qua conditus est primus homo, partim demonstrare ex inte-

Téodor de Wyzewa, in suis *Contes Chrétiens,* sub nomine Valerii Slavi haec verba in ore Christi ponit: « Malheur à ceux qui, lorsqu'ils entendent se plaindre une créa-
« ture, se demanderont si elle existe, avant de la secourir! Malheur à ceux qui, pour
« ne pas entendre la plainte des créatures, se réfugieront dans la rêve où ils se
« croient dieux! ».

Ethnici stoicismi nuper exemplum dedit, - lugendum dicam an providum? - infelix ille Robertus Ardigò, violentam sibi mortem inferre conatus. Sed quanto fortius vitae taedium superasset generose vivendo, quam mortis desiderio exclamando: « Cuinam inservit vita bono? ». - Poenitentiae, si Deus dederit.

Quam serena e regione stat ille senex, et ipse nonagenarius, Illmus Baunard, rector olim catholici instituti Insulensis, cuius foecundum ingenium tot libros optimo stylo conscriptos edidit. Dum Robertus Ardigò, a sacerdotio apostata, desperationis gestu vitam sibi adimere conabatur, fidelis piusque sacerdos Gallus hoc carmen dulcissima spe repletum eructabat.

J'ai quatre-vingt-neuf ans; c'est mon jour qui s'achève,
C'en est plus que le soir, c'en est presque la nuit!
Mais sur mon front voici qu'à l'Orient se lève
L'aube d'un jour plus beau: salut, salut à lui!
De votre face, ô Christ, c'est la blanche lumière
Qui dans mon triste cœur allume un grand espoir;
Descends, rayon du ciel! Apparaisses, mon Frère,
Jésus, il est temps de nous voir!

Caeterum atheismum quasi fatali pondere ad desperationem adducere, quin ad suicidium, demonstrant haec verba Mazzini notatu dignissima: « A me l'ateismo
« riesce inintelligibile, e parmi un avvelenamento parziale dell'intelletto, che ha
« dentro di sè tutti gli elementi della nozione di Dio e che non potrebbe averle se
« Dio non fosse. Senza Dio non intendo Progresso, Dovere, Martirio. Senza Dio non
« avrei avuto ombra di fede nell'opera mia e l'avrei interrotta, forse, col suicidio ».*

Concordant verba quibus Paulus Claudel animi sui ante conversionem statum depingit: « La forte idée de l'individuel et du concret était obscurcie en moi. J'ac-
« ceptais l'hypothèse moniste et mécaniste dans toute sa rigueur, je croyais que tout
« était soumis aux lois et que le monde était un enchaînement dur d'effets et de
« causes, que la science allait arriver après-demain à débrouiller parfaitement. Tout
« cela me semblait d'ailleurs fort triste et fort ennuyeux... La pensée de la mort ne
« me quittait pas. J'avais complètement oublié la religion et j'étais à son égard
« dans une ignorance de sauvage ».**

[1] Ibid., c. 5, col. 260.

[2] De dono integritatis inter recentiores praeclare disputant PALMIERI (op. cit., th. XLIV-XLIX) et Card. MAZZELLA (op. cit., art. IV).

* *Epist. ad Stefanoni.*

** *Revue de la Jeunesse,* oct. 1913.

gritate originali, quam per peccatum Adamus amisit. Ob singulare huius argumenti momentum utile duximus parumper fusius de eodem disserere. Itaque in prima parte huius dissertatiunculae agemus de ipsa originali integritate, in altera de pudoris sensu, qui post amissam hanc integritatem, testante Scriptura erumpentem concupiscentiam illico secutus est.

I.

Integritas originalis est beatus ille harmoniae sive rectitudinis status, quo ratio inferior subdebatur rationi superiori et caro spiritui, quia ipsa anima, gratiae donis ornata, subdebatur Deo. Optime S. Augustinus hunc statum his verbis illustrat. « Quamvis corpus animale (protoparentes) gesta-« rent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentie-« bant. Faciebat quippe hoc ordo iustitiae, ut, quia eorum « anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa « eidem Domino suo, ita illi corpus obediret, atque exhibe-« ret vitae illi congruum sine ulla resistentia famulatum; « hinc et nudi erant et non confundebantur ».[1] Mors quippe animae mutavit et corpus in corpus mortis, iuxta eloquentem expressionem S. Pauli.[2] Talem fuisse protoparentum statum, verba *Geneseos* modo allata extra omnem controversiam ponunt,[3] nec dubitare sinit tota traditio catholica. Hunc integritatis statum ita definit cl. Laminne: « L'état surnaturel « dans lequel le premier homme a été créé... comprenait..., « outre les dons de la grâce, des dispositions d'ordre orga-« nique. Parmi ces dernières la principale et la plus direc-« tement en rapport avec la grâce sanctifiante était le don « d'intégrité qui comprenait des prérogatives de l'intelligence

[1] *De pecc. merit. et remiss.*, l. II, c. 22, n. 36. – *P. L.*, t. XLIV, col. 172.

[2] Hunc Pauli locum (ROM., VII, 24) ita bene evolvit S. Alphonsus: « Vedendomi « esiliato in questa valle vorrei almeno sempre pensare a voi, mio Dio, e godere « del gaudio infinito che voi godete; ma gli appetiti malvagi de' sensi gridano spesso « entro di me e mi disturbano. Vorrei tener sempre occupati gli affetti miei in « amarvi e ringraziarvi, ma la carne mi tira a compiacermi de' diletti sensuali; « onde son costretto ad esclamarmi con S. Paolo: " Infelix ego homo, quis me libe-« rabit de corpore mortis huius „ ».*

[3] Praesertim si attendatur consimilis versus cap. III. Cfr. CALMET (hoc loco).

* *Via della salute*, p. II, § 45.

« et de la volonté dépendant de conditions organiques par-
« ticulières et surnaturelles ».[1]

De hac integritate, praesertim de harmoniosa habitudine corporis ad animam, sive de efficaci imperio spiritus in carnem, praesertim hic agemus, imprimis solliciti de investigando 1) quomodo haec integritas se habeat tum ad naturam presse sumptam, tum ad gratiam presse supernaturalem; 2) quomodo hoc imperium spiritus in carnem sit explicandum; 3) quosnam effectus produxerit.

*
* *

I) Uti iam superius diximus, ubi agitur de habitudine ponderanda inter integritatem originalem et naturam, cavendum est a defectu et ab excessu.

a) Pelagius, utpote dogmatis peccati originalis denegator, peccat defectu. Concupiscentiam enim carnis affirmat esse simpliciter naturalem, absque ulla relatione intima ad peccatum.[2] Sed hoc assertum esse falsum, demonstrat ipsa *Geneseos* narratio. Vix enim Adam peccatum consummavit, « aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse « nudos, etc. ». Rectissime proin Concilium Tridentinum, iuxta Patrum doctrinam, declarat concupiscentiam carnis esse « ex « peccato ».[3]

b) Ex altera parte excedunt quotquot negant,[4] immunitatem a concupiscentia, sive integritatem carnis excedere

[1] Op. cit., ch. IV, n. 105, sq.

[2] Imo Pelagius hanc concupiscentiam, utpote in natura fundatam, considerabat uti speciale Creatoris donum. In quo sane excedebat. Etenim non solum hic concupiscentiae fomes non meretur hoc nomine appellari, sed neque dici debet actualis concupiscentiae motus Deum habere auctorem. Est enim potius naturae inhaerens deficientia. Quare ab Augustino, Paulo duce, intime coniungitur corpus concupiscentiae obnoxium cum corpore mortali. « Imperfectiones naturae earumque sequelae « non sunt a Deo, qui eas modo enasci sinit et subsistere. Artifici qui artis opus e « ferro confecit non imputanda est possibilitas et necessitas aeruginis quae ex indole « materiae resultat ».* – Hoc sensu bene dicit Franciscus Coppée: « Chaque volupté, « immédiatement punie d'ailleurs par la tristesse de la chair asservie, est un pas vers « notre destruction ».**

[3] Sess. V, can. 5. De concupiscentia, uti peccati originalis poena, plurà mox dicemus, agentes de conditione hominis lapsi.

[4] Uti Lutherus, Baius, Jansenius, aliique.

* SCHEEBEN, op. cit., n. 558. Lege totam hanc expositionem a n. 548.

** *La bonne souffrance,* 143e édit., Paris, Alphonse Lemerre, p. 160.

debitum naturae etiam innocentis, at suis propriis viribus relictae.[1] Optime Suarez: « Si natura hominis pure, et secun-
« dum se consideretur, etiamsi potentias habeat naturalibus
« viribus perfectas et ornatas, pugnae et rebellioni carnis
« contra spiritum obnoxia est. Quae duplex habet genus con-
« ditionis, sensitivae et intellectualis, et duos appetitus elici-
« tivos, scilicet sentientem et voluntatem. Inter quas facultа-
« tes naturalis ordo est, ut cognitio incipiat a sensu, et ideo
« possit rationem immutare, priusquam voluntas operetur,
« atque eadem ratione, ut prius etiam excitet appetitum
« sensitivum, quam voluntas et ratio perfecto possint delibe-
« rare ».[2]

Unde concludit Bellarminus: « Nos vero existimamus, recti-
« tudinem illam etiam partis inferioris, fuisse donum super-
« naturale, et quidem per se, non per accidens, ita ut neque
« ex naturae principiis fluxerit, neque potuerit fluere. Et quia
« donum illud supernaturale erat, ... eo remoto, natura humana
« sibi relicta, pugnam illam experiri coepit partis inferioris
« cum superiore, quae naturalis futura erat, id est ex cond
« tione materiae secutura, nisi Deus iustitiae donum homin
« addidisset ».[3] Quare, iuxta eiusdem scriptoris expres-

[1] Praeternaturalem indolem doni integritatis Vondel pulcherrime celebrat. Angelos inducit Adamum et Evam in nuptiali festo ita admirantes.

Wie kan zijn gretig oog verzaden
Aan't paar, ter bruiloftsfeest bereid,
Bekleed met zuivere gewaden
Van hemelsche Erfrechtvaardigheid?
Gewaden, niet van vrouw Nature
Gewrocht, neen zeker, neen, ô neen:
De stof van't kleed is veel te pure,
En niet te vinden daar we treên.
Dit kleed viel hun ten deel van boven,
De Godheid schonk dien bruiloftsschat
*Hun beiden uit liefde in d'aardsche hoven.**

Unde diserte proclamat naturam ad hoc donum esse impotentem.

Verloor de mensch deez' gaaf, dit lot,
En most hij bij zijn kracht volharden,
*Natuur kon hem niet houden staan.***

[2] Op. cit., c. 12, n. 1; cf. et n. 10.
[3] Loc. cit., cap. 5.

* Op. cit., II, v. 477-486.
** Ibid., v. 512-514.

sionem iam superius allatam, inter statum naturae lapsae et naturae purae non est aliud, quoad hoc, discrimen quam inter spoliatum et nudum.[1] Et sane, ut cl. Laminne verbis utar: « Dans la partie inférieure de son être l'homme « ressemble à l'animal. Il faut s'attendre dès lors à ce « que les tendances de sa sensibilité ne soient pas tou- « jours en harmonie avec la loi morale qui s'adresse à sa « raison ».[2]

S. Thomas pluries hanc doctrinam exhibet. Audiatur in Comm. Sentent.[3] haec scribens: « Deus humanae naturae « in sui principio supra conditionem suorum principiorum « contulerat ut esset in ratione rectitudo quaedam originali « iustitiae, quam sine aliqua resistentia imprimere posset « inferioribus viribus. Quia hoc gratis collatum fuerat, ideo « iuste per ingratitudinem inobedientiae substractum est. « Unde factum est, ut primo homine peccante, natura hu- « mana quae in ipso erat, sibi ipsi relinqueretur, ut consi- « steret secundum conditionem suorum principiorum ».[4] Nexum hunc inter peccatum et amissam integritatem pulchre exprimit S. Anselmus: « Totum quod erat, infirmatum et « corruptum est. Corpus quidem, quia tale post peccatum « fuit, qualia sunt brutorum animalium, corruptioni et car- « nalibus appetitibus subiacentia; anima vero, quia ex cor- « ruptione corporis et eiusdem appetitibus, atque ex indi- « gentia bonorum quae perdidit, carnalibus affectibus infecta « est ».[5] Quemadmodum instrumenta ad volandum, utpote ex sese aëre graviora, si frangantur alae, aut desinat vis motrix, proprio pondere in terram praecipitantur; ita homo, amissa gratia, ruptoque rectitudinis freno, pondus carnale corporis sui, quod antea in altiora sublevatus nec suspicabatur, cum horrore ac rubore experiri coepit.

[1] De rigore huius comparationis plura infra.

[2] Op. cit., ch. I, p. 5, sq.

[3] II Sent., Dist. XXXI, q. 1, a. 1. Et alibi pulchre ait: « Non erat ex natura ani- « mae quod vires etiam sensibiles absque repugnantia rationi subiicerentur; cum « vires sensibiles naturaliter moveantur in ea, quae sunt delectabilia secundum sen- « sum, quae multoties rationi repugnant » (*Compend. Theol.*, c. 183).

[4] Idem prorsus docent Aquinatis interpretes passim: Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, etc. etc.

[5] *De conceptu Virgin. et pecc. orig.*, c. 2.

Inde Scriptura amissam hanc originalem immunitatem a concupiscentia tam intime ad amissam gratiam refert, ut manifesto doceat, eamdem integritatem, utpote naturam nudam prorsus excedentem, dotibus supernaturalibus, aut saltem praeternaturalibus esse adscribendam. Id fortiter S. Augustinus hisce verbis expressit: « Gratia quippe Dei « magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem « libidinem non habebat ».[1] Et S. Ambrosius: « Opertus erat « Adam virtutum velamine priusquam praevaricaretur, sed « tamquam exutus praevaricatione, vidit se esse nudum, « quia indumentum quod habebat, amiserat ».[2]

Iure proin optimo Ecclesia proscripsit non solum illas haereticorum propositiones superius allatas, quae elevationem protoparentum ad statum supernaturalem seu gratiae impugnant, sed et sequentem quae integritatis donum directe negat: « Integritas primae creationis non fuit indebita hu- « manae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio ».[3] Unde concupiscentia non est stricte peccatum, nec naturae vitium, sed, iuxta locutionem Conc. Tridentini, *a* peccato et *ad* peccatum.

Quare excedere hac in parte dicendus est Dr. Kuhn, quando « naturale dominium spiritus super carnem » exhibet « veluti « rigorosum debitum in natura humana fundatum ».[4]

c) Ex hac doctrina sequitur, potuisse Deum ita creare hominem innocentem, ut tamen non esset huius concupiscentiae expers.[5] Huc spectat damnata prop. 55 Baii: « Deus « non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc « nascitur ».[6]

[1] *Contra Iulian.*, l. I, c. 16. – *P. L.*, t. XLIV, col. 781.

[2] *De Elia et Ieiun.*, c. 4. – *P. L.*, t. XIV, col. 701.

[3] Prop. 26 Baii. Cfr. DENZINGER, *Enchiridion*, n. 906. Cfr. et ultimam sententiam superius allatam schematis pro Conc. Vatic. delecti, in qua integritas, haud secus ac immortalitas, vocatur donum naturae indebitum.

[4] *Die Christliche Lehre der Gnade* (1868), p. 107, sq.; p. 345. Cfr. Card. KATSCHTHALER, op. cit., p. 504. Quousque dici possit in natura humana fundatum ut haec *optime* sit, uti rationalis, mox investigabimus.

[5] De possibilitate status naturae purae, fuse disserit Card. de Aguirre (*S. Anselmi Theologia Commentar. illustrat.*, t. III, Disput. XV).

[6] *Enchirid.*, n. 935. Haec propositio, sicuti et prop. 78ª, non invenitur quidem in Baii libris editis, sed desumpta est ex eius doctrina viva voce tradita aut discipulis dictata (Cf. RIPALDA *In Baium*, disp. I, n. 18; *De Ente Supern. disp. theol.*

Disertissime id affirmat S. Thomas his verbis: « Possi-« bile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus ».[1] Et: « Poterat Deus a principio quando hominem condidit, « etiam alium hominem ex limo terrae formare, quem in « conditione suae naturae relinqueret, ut scilicet mortalis et « passibilis esset, et pugnam concupiscentiae ad rationem « sentiens: in quo nihil humanae naturae derogatur, quia « hoc in principiis naturae consequitur ».[2]

Optime hac in re doctrinam catholicam exprimit tertia propositio Ruardi Tapperi: « Universa haec mala[3] potuissent « esse naturales hominis conditiones, et proprietates, ut si « homines creasset sine gratia et iustitia originali, quae sola « impediebat, ne haec mala essent in homine, sine qua secuta « fuissent principia naturalia, sicut et nunc sequuntur natu-« ram ea destitutam, quemadmodum earum plurimae sunt « in caeteris animalibus ».

Optime S. Alphonsus a Liguori: « Fu già errore certa-« mente di Pelagio il dire che Iddio ha creato in fatti l'uomo « nello stato della natura pura. All'incontro fu anche errore « di Lutero il dire che lo stato della natura pura ripugna « al diritto che ha l'uomo alla grazia. Ma questo errore fu « adottato da Baio: poichè non era certamente per diritto « di natura necessario essere creato l'uomo nello stato « della giustizia originale, atteso il diritto della natura « umana ».[4]

Quare Card. de Aguirre iure corripit illos theologos qui contendebant, conciliari posse impossibilitatem status naturae purae cum damnatione allatae propositionis Baianae. Audiatur Macarius Havermans thesim sequentem formulans: « Ne umbra quidem apparentiae est, quod sententia « negans potuisse Deum creare hominem in statu purae « naturae, condemnata sit per reprobationem huius: Deus

Ed. Paris, 1870, III. p. 8). Cfr. et prop. 16ª Synodi Pistoriensis a Pio VI damnata (Ibid., n. 1379). De possibilitate creationis hominis in statu naturae purae, cf. PALMIERI (op. cit., th. XLVII), Card. MAZZELLA (op. cit., prop. XXVII), etc., etc.

[1] *Quodlib. I*, art. 8.

[2] II, Dist. XXXI, q. 1, a. 2 ad 3.

[3] Enumerata scilicet in propositione secunda mox adducenda.

[4] *Storia delle eresie,* Confutazione XII, n. 6. Quomodo Baius primo errores suos retractaverit coram Mabillonio, lege ibidem, n. 155.

« non potuisset ab initio creare hominem, qualis nunc « nascitur ».[1]

d) Nihilominus natura hominis, ut sit plene harmoniosa et in tali conditione qualis rationali creaturae convenit ut sit optima, integritatem sive immunitatem a concupiscentia, etsi non exigit, quasi tamen appellat.[2] Etenim, uti bene monet

[1] Thes. 15. 12 et 13 iulii 1672, ap. AGUIRRE (loc. cit., sect. 2, n. 24). Similia leguntur apud alios theologos, ibidem citatos.

[2] Harmoniam, inter duas partes veluti oppositas, per donum integritatis productam, pulcherrime Vondel ita decantat.

De mensch, uit lijf en ziel bestaande,
Twee deelen, ongelijk van aard,
Gevoelt geen strijd, geen overslaande
Gewicht: want elk van bei bewaart
Den evenaar. d'Een wil als d'ander,
De reden onderwerpt zich God,
Het lijf de ziele, wijs en schrander. *

Est quippe vinculum duas veluti naturas coniungens:

Eén band verbindt de twee naturen. **

Est proin integritas medium divina bonitate excogitatum, ut in homine elementum angelicum cum elemento animali pacifice cohabitaret.

Engelscheid en dierschheid mengen ***
In den mensch sich ondereen.
Om deze overeen te brengen
Wou de Vader hier beneên
Met een handvest hem verrijken,
Die den ongelijken trek
Van de worstlende ongelijken
Vreedzaam houdt in hun bestek. ****

Unde per hoc donum celebratur inter animam et corpus veluti sponsalis unio, quam eleganter poëta confert cum harmonioso concentu vocem inter et cytharam consonis chordis aptatam.

Gelijk de keel en harpesnaren
Gespannen op een' zelfden toon,
Een schoon geluid in d'ooren baren
Dat englen trekt uit hunnen troon,

* Ibid., v. 505-511.

** Ibid., v. 532.

*** Hoc sensu cl. Laminne ait: Deus « avait corrigé par des dons surnaturels « les imperfections que comporte la nature de l'être complexe qu'il venait de créer, « à la fois corporel et spirituel, réunissant en lui les tendances de l'ange et de la « brute » (op. cit., ch. IV, p. 120).

**** Ibid., v. 533-540.

Angelicus, si quis recte considerat, « satis probabiliter pote-
« rit aestimare, divina providentia supposita, quae singulis
« perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quod Deus
« superiorem naturam inferiori ad hoc coniunxit ut ei domi-
« naretur, et, si quod huius dominii impedimentum ex defe-
« ctu naturae contingeret, eius speciali et supernaturali bene-
« ficio tolleretur ».[1] Et alibi: « Erat igitur hoc (scil. originalis
« integritatis beneficium) ex ratione superiori, scilicet Deo,
« qui, sicut animam rationalem corpori coniunxit, omnem
« proportionem corporis et corporearum virtutum, cuius-
« modi sunt vires sensibiles, transcendentem, ita dedit animae
« rationali virtutem, ut supra conditionem corporis ipsum
« continere posset, et vires sensibiles, secundum quod ratio-
« nali animae competebat ».[2]

Hoc sensu intelligendus est S. Augustinus quando tam fortibus expressionibus utitur, ut censisse videatur, integritatem, per peccatum amissam, ad ipsam hominis naturam pertinuisse. Disputans contra Iulianum ait: « Cur non creditis
« tantum saltem valuisse illud primi hominis ineffabiliter
« grande peccatum, ut eo vitiaretur humana natura universa,
« quantum valet nunc in homine uno secunda natura? ».[3] Et alibi: « Approbare falsa pro veris ut erret invitus, et resi-

Zoo baart d'eenstemmigheid, in 't paren
Van lijf en ziele, aaneen getrouwd,
Een lieflijkheid, die door alle aâren
De geesten streelt en onderhoudt. *

Vix autem commisso peccato, ecce rupta harmonia vertitur in dissolventem pugnam:

Ik voele en voere alree een oorlog in mijn leden.
Het vleesch wil anders dan de geest. Verstand, en reden,
En wil, geteisterd van dien onverwachten smak,
Gevoelen al te spade een' vreeselijken krak.
'k Gevoel de jammeren van buiten en van binnen.
Hoe kan men zulk een schaâ herhalen en verwinnen! **

[1] *Contra Gent.*, l. IV, c. 52.

[2] *Compend. theol.*, c. 186.

[3] Lib. I, c. 5. Hoc quoque sensu intelligenda est vox « naturalis » in secunda propositione Ruardi Tapperi: « Fide firma et infallibili credendum est, quod virium « rebellio, et motiones inordinatae, ignorantia, infirmitates, mors, et universae mise-

* Ibid., v. 519-526.

** Op. cit., V, v. 1454-1459.

« stente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse « a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti « hominis, sed poena damnati ».[1]

Caute proin sunt huiusmodi considerationes exponendae, ne elevatio ad statum integritatis tam consona praedicetur conditioni animae rationali, ut Deus, nisi eam naturae nudae hominis addidisset, dicendus esset insipienter monstrum produxisse. Ab hoc excessu non satis cavit Macarius Havermans, quando scripsit: « Licet aliquis teneret, hominem ante « peccatum non potuisse produci sine gratia sanctificante, « tamen (salvo meliori iudicio) non ita clarum est, quod « talis incurreret censuram.[2] Videtur enim ista duo bene « posse consistere, hominem non potuisse sine gratia pro- « duci, et tamen illam gratiam esse indebitam naturae huma- « nae exaltationem, et supernaturalem eius conditionem: « quia gratia illa non fuisset debita naturae, sed Providen- « tiae divinae: seu debitum illud, quo debuit natura plane « innocens in illa sententia habere illam gratiam, non se « tenuit ex parte creaturae, cum illi nudae secundum se con- « sideratae non debeatur illa gratia supernaturalis; sed ex « parte Providentiae, Bonitatis ac Sapientiae Dei, quae iuxta « Richardum de S. Victore,[3] " nihil nisi quod decet, facere « potest „. Nam teste Anselmo:[4] " in Deo quantum libet pa- « rum inconveniens, sequitur impossibilitas „ ».[5] Sed aliud est, decentissimum fuisse primum hominem exaltari ad statum supernaturalem, aliud, indecens fuisse eum in statu naturae purae creari.

« riae quas patiuntur homines, sunt poena peccati et non naturales hominis condi- « tiones ».*

Quantopere autem tempore controversiae Baianae, quae Lovanii maxime efferbuit, similibus Augustini locutionibus abusi sint quotquot hisce excessibus fuerint plus minusve capti, demonstrat haec altera thesis 15ª anno 1676 a Hrosnata Van Saftingen propugnata: « Statum in quo, adhuc nullo admisso peccato, aeque ac modo « bellum indiceret concupiscentia, in sententia Augustini esse impossibilem, est nimis « quam manifestum ». Sed de his plura inferius.

[1] *De lib. arbitr.*, l. III, c. 18.

[2] Latam in Bulla Pii V.

[3] *De stat. inter. homin.*, p. 1, c. 23.

[4] *Cur Deus homo*, l. I, c. 10.

[5] *Tyrocinium*, tract. II, c. 7, § unic., n. 19.

* Hunc sensum orthodoxum, adiuncto sensu conditionis originalis, exigit prorsus propositio tertia superius allata.

Ex dictis patet non a quovis excessu immunia esse sequentia verba Berti: « Quid obsecro docent Augustinenses « theologi, dum aiunt statum purae naturae impossibilem, « nisi creaturae rationalis finem ultimum esse Deum, huius- « que intuitivam visionem...; absque tali consecutione crea- « turas ratione praeditas fore miserrimas...; ideoque naturae « integrae nulloque peccato curruptae supernaturalia gratiae « auxilia conferenda fuisse, ut posset finem suum adipisci, « non quod huiusmodi auxilia sint naturalia pertineantque « ad naturae constitutionem, sed potius quia ad finem suum « consequendum rationales creaturae egent adminiculis natu- « rae ordinem excedentibus; et quae propterea ipsis quodam- « modo debeantur, quae nulli denegat media necessaria ad « finem assequendum, ut contendit Fulgentius Bellelli; sive « decentia Creatoris, ut docuit Norisius: Quid, inquam, aliud « scribunt, docentque theologi Augustinenses? ».[1]

Modestius e contra de hac quaestione ita scribit Perrone: « Circa subiectionem concupiscentiae, seu, ut vocant, *donum* « *integritatis,* nonnulli theologi catholici, licet fateantur cum « doctrina exposita, eiusdem subiectionem non esse *exigen-* « *tiam naturae,* nec proinde *debitum* humanae naturae, ac « donum esse gratuitum, contendunt tamen *ex aliqua decen-* « *tiae ratione* iuxta providentiam *ordinatam* Deum non po- « tuisse sine subiectione concupiscentiae hominem condere, « non secus ac absque elevatione ad ordinem supernatura- « lem.[2] Alii praeterea adiiciunt praesentem statum naturae « lapsae deteriorem in accidentibus effectum esse, prout foret « si Deus hominem in puris naturalibus condidisset. Esto, « ipsi viderint. Neque enim hic intendimus quaestionem dome- « sticam attingere, quam quisque, salva catholica doctrina, « defendere pro suo sensu potest ».[3]

Sed de hoc argumenti adspectu sermo mox redibit, ubi nobis erit disserendum de originali hominis immortalitate,

[1] *August. Syst. Vindic.,* diss. 2, c. 1, § 6, n. 8. Cf. Card. Noris (*Vindic. S. August.,* c. 3, § 3), Bellelius (*Mens. August.,* p. I, l. III, c. 23 ad 3). De hoc bene disputat Card. Mazzella (op. cit., art. 8, n. 885 sqq.).

[2] Nescio utrum feliciter haec duo valde distincta in eadem veluti linea ponantur. Elevatio enim spectat ad maiorem dignitatem, donum vero integritatis ad maiorem decentiam.

[3] Op. cit., P. 3, c. 2, prop. 3, n. 249.

et ponderandum argumentum a scriptoribus sacris, imprimis ab Augustino,[1] ex miseriis tum physicis, tum moralibus praesentis vitae deductum ad peccati originalis existentiam demonstrandam, aut saltem suadendam.

e) Ex hac habitudine inter naturam puram, naturam integram et naturam ad supernaturalem iustitiam elevatam, sequitur nullatenus repugnare ut homo a Christo reparatus, interna gratia sanctificetur et ad filiorum Dei adoptionem eleveretur, quin tamen primaeva illa integritas ipsi sit restituta. Imo iam potuisset Deus protoparentes ad statum naturalem adoptionis elevare, quin ipsis plenam integritatem contulisset, aut hanc eis integritatem dare sine gratia supernaturali;[2] quatenus, sicuti natura potest stare innocens sine dotibus praeternaturalibus, ita quoque sine eisdem potest supernaturalibus dotibus adornari. Inde iure merito damnata est propositio 21ª Baii: « Humanae naturae sublimatio « et exaltatio in consortium divinae naturae, debita fuit in- « tegritati primae conditionis, ac proinde naturalis dicenda « est, non supernaturalis ». Nihilominus gratia, si plenam suam virtutem exerceat, naturam praeternaturalibus quoque dotibus veluti perfundit.

f) Quare et ipsum hominis corpus, hisce donis perfusum, non erat amplius nudum, iuxta belle dictum S. Ambrosii: « Nec Adam nudus erat, quando eum innocentem vestiebat ».[3] Imo « sic dispoliatus Adam nudus inventus est ».[4] Unde nil mirum, si de nuditate sua vir et mulier non erubuerint, quippe quam prius gratiae fulgore veluti vestitam vidissent.[5]

[1] Cf. v. gr. *Ctr. Iulian.*, l. IV, c. 16, n. 79.

[2] Bene hoc ita exprimit Palmieri: « Quamvis immunitas triplex a concupiscentia, a morte, ab aerumnis, non sit « ex natura sua necessario nexa cum gratia « sanctificante, neque haec cum illa; tamen ex institutione Creatoris ita gratia san- « ctificans in creatione collata et ea triplex immunitas vinciebantur, ut haec triplex « immunitas a gratia sanctificante penderet atque cum ea cohaereret ». *

[3] *Lib. de Isaac et anima*, c. 5.

[4] *De Iacob et beata vita*, l. II, c. 5.

[5] Ambos in hoc statu innocentiae ita pulchre depingit Milton:

God-like erect, with native honour clad
In naked majesty, seemed lords of all,
And worthy seemed. **

* Op. cit., Th. XIV.

** *Paradise lost*, l. IV.

Etenim, uti ait S. Ioannes Chrysostomus: « Gloria quae « superne venerat, vestiti erant »; [1] et S. Cyrillus: « Parti- « cipatione luminis splendet supra naturam suam glorificantis « Dei gratia ». [2] Non quidem splendore sensibili, quali legimus S. Agnetem aliasque Christi virgines fuisse a violatione protectas; neque gloria, qua refulgent corpora beatorum in caelis; - hic fuit excessus Isidorii Clarii; - sed tanta integritatis claritate, quae nullum relinqueret concupiscentiae locum. Castitatis enim nitor, dum pulchritudinem duplicabat, [3] omnem ab ea carnalem illecebram auferebat. [4]

In modo tamen quo idem poëta amorem utriusque ad invicem describit, parum sibi constans, excessum aliquem sensualitatis admittit. Etenim denarrans quomodo uxorem suam primo vespere in tugurium nuptiale introduxerit, ad Angelum Raphaëlem, quem Deus ad eum de immensi periculo monendum miserat, Adam ait:

To the nuptial bower
*I led her blushing like the Morn.**

Imo nimiam suam passionem erga uxorem fatetur:

Here passion first I felt,
Commotion strange, in all enjoyments else
Superior and unmoved, here only weak
*Against the charm of beauty's powerful glance.***

Unde Raphaël eum monet, ut voluptatem tactus a coniugali commercio inseparabilem minoris faciat, spiritualique potius amoris gaudio, longe nobiliori, adhaereat.*** Quae sane omnia non solum pugnant cum plenitudine rectitudinis innocentiae originalis, sed imo, si urgeantur, cum ipso dono integritatis. - Nihil huiusmodi apud Vondel, quippe qui, utpote pius catholicus, longe magis castum habet de originali statu conceptum.

[1] *In Gen.*, homil. XV.

[2] *In Ioann.*, l. I, c. 9.

[3] Poëtice Vondel hanc innocentiae vestem confert cum rore matutino, per quem orientis solis claritas non fulget modo, sed et novum acquirit splendorem.

gekleed in witte zijde
Van erfrechtvaardigheid, geslingerd om hun leên,
En ook zoo fijn van droad, dat door de zijde heen
De schoonheid van het lijf uitschijnen kan, en gloeien:
*Gelijk we door den dauw het rijzend licht zien groeien.*****

[4] Simili modo, imo si titulum inspicias, longe magis pulchritudo Christi ad castimoniam contuentes excitaverit. Quod et de B. V. Maria, Christi Matre Immaculata, pie censendum est; quin et non semel in Sanctis contigisse legitur.

* Op. cit., l. VIII.

** Ibid.

*** Ibid.

**** Op. cit., I, v. 106-110.

Ex dictis hucusque collige, quo nexu reciproco haec dona supernaturalia et praeternaturalia sese ad invicem appellent,[1] ita ut, ex gratia stricte supernaturali Adamo collata concludere liceat ad donum integritatis eidem concessum, ut harmoniose eam possideret; et ex hoc integritatis dono valeat illatio ad maius donum gratiae. Nec ibi datur vitiosa circulatio: gratiam enim non unice ex integritate, nec integritatem unice ex gratia deducimus; sed utramque specialibus argumentis stabilimus. Iure proin egregius Aquinatis assecla Ant. Massoulié, in opere cui titulus: « Divus Tho- « mas sui interpres de divina motione et libertate creata »,[2] sibi demonstrandum assumit, « ex variis innocentiae et san- « ctitatis privilegiis collatam fuisse Adamo efficacem per se « gratiam ».[3]

Quare facile intelligitur quomodo iustitia et integritas, etsi separabiles, – uti ex ordine reparationis apparet, – nihilominus in originali divina intentione tam intime connecterentur, ut veluti unum totum efformarent ipsi composito humano optime aptatum: gratia iustitiae se habente ad modum formae, dono integritatis ad modum materiae. Quae habitudo et in peccato originali servabitur, in quo, uti infra patebit, privatio iustitiae originalis se habet ad modum formae, privatio integritatis ad modum materiae. Insuper quemadmodum animae multiplicantur per corporalem generationem cui adnectitur animae infusio, ita quoque generatio

[1] De nexu inter iustitiam originalem et gratiam haec habet Scotus: *Oxon.*, II, « D. 21, q. 2, n. 47. « Iustitia originalis se habet ad gratiam, quae est princi- « pium merendi, sicut excedens et excessum. Excedens quidem, quia fini ultimo « firmius voluntatem coniunxit quam gratia. Et profecto ita coniunxit, ut secun- « dum aliquos ea praediti non poterant labi in aliquod peccatum veniale: quae « tamen peccata stant simul cum charitate. Vel ab hac controversia abstrahendo, « saltem ita coniunxit, ut delectabilius, et facilius erat illis affici aliqua tristitia « penes partem inferiorem animae, quam ipsius delectationi acquiescere, ob quam « recedendum foret ab ultimo fine. Quam sane facilitatem non inducit gratia, cum « qua stat pronitas in malum et difficultas ad bonum. Sed in eo exceditur iustitia « originalis a gratia, quod haec coniungit ut bono supernaturali, et per merita de « principio supernaturali, provenientia attingendo. Hoc non praestolat iustitia ori- « ginalis, sed tantum coniungebat illi bono, ut convenienti, et delectabili ».

[2] De hoc opere sermo uberior redibit, ubi de hac questione plura dicemus in ipso tractatu de gratia.

[3] Dissert. IV, *De gratia Adami,* Quaest. 2. In exordio huius Quaestionis auctor statum originalem Adami magnificis verbis extollit.

integritate primaeva destituta, seu concupiscentiâ infecta, est medium transmissionis peccati originalis. Hunc nexum bene exponit Cl. Laminne: « La perfection surnaturelle d'ordre « organique complétait dans l'homme créé par Dieu, les « dons de la grâce et les prérogatives intellectuelles et « morales. Tous ces privilèges étaient associés dans l'inten- « tion divine et formaient une œuvre unique. ... La subordi- « nation parfaite de l'homme à Dieu, son union avec lui par « toute sa nature comprenait à la fois la grâce sanctifiante « et le don d'intégrité. Suivant les intentions du Créateur, « tous les dons de l'état d'innocence devaient être possédés ou « perdus à la fois ».[1]

*
* *

II) Si iam quaeras, quomodo haec immunitas a concupiscentia obtineri potuerit in corpore nondum glorificato,[2] respondendum videtur, immunitatem a concupiscentia obtineri potuisse concursu triplicis alimenti:

a) Corpus fuit felicius praedispositum ut ad ea quae concupiscentiam excitant, nonnisi ordinate inclinaretur. – *b*) Insuper maior fuit animae vigor, ex gratia imprimis derivatus, quo anima inferiores vires cohibebat.[3] – *c*) Singularis demum Providentia totum gubernabat hominem, necnon externa quae in eum agere poterant. Duo priora, – non utique excluso tertio, – S. Augustinus exprimit his verbis, loquens de partibus irae et libidinis: « Hae partes in paradiso ante pecca- « tum vitiosae non erant. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid movebantur, unde necesse esset eas ratione « tamquam frenis agentibus abstinere. Nam quod nunc ita « moventur, et ab eis qui temperantur ac iuste et pie vivunt, « alias facilius, alias difficilius, tamen cohibendo et refre- « nando modificantur, non est utique sanitas ex natura, sed « languor ex culpâ ».[4]

[1] Op. cit., ch. IV, p. 106.

[2] Fuse de hoc disserit Suarez (loc. cit.).

[3] Huc facit ingeniosa sententia Lacordaire: « La science humaine a posé cet « axiome: Les corps sont impénétrables, c'est à dire que deux corps ne peuvent « pas être l'un dans l'autre. La science divine, au contraire, a posé cet axiome: « Les êtres inférieurs sont pénétrables par les supérieurs ».*

[4] *De Civ. Dei*, l, XIV, c. 19. – *P. L.*, t. XLI, col. 427.

* *60e Confér.*

Optime S. Thomas totum ita contrahit: « Secundum doctri-
« nam fidei ponimus hominem a principio taliter esse insti-
« tutum, quod quamdiu ratio hominis Deo esset subiecta, et
« inferiores vires ei sine impedimento deservirent, et corpus
« ab eius subiectione impediri non posset per aliquod impe-
« dimentum corporale, et Deo et sua gratia supplente quod
« ad hoc perficiendum natura minus habebat ».[1]

Elementum primum, – cuius momentum infra magis apparebit, ubi de concupiscentia agetur uti elemento materiali et medio transfusionis peccati originalis, – cl. Laminne ita describit: « C'est ce que l'on entend proprement par le don d'inté-
« grité. Une perfection si grande de la nature de l'homme
« comprenait nécessairement des dispositions multiples, aussi
« bien des facultés organiques que des facultés supérieures;
« et comme elles dépendent dans leur fonctionnement, les
« unes directement, les autres indirectement, du système
« nerveux, c'est celui-ci que nous considérons comme le
« siège matériel de cette prérogative. Il est évidemment
« impossible de déterminer les particularités de structure
« qui rendaient le cerveau apte à remplir ce rôle, mais il
« ne paraît pas invraisemblable, étant données les con-
« naissances que nous possédons sur l'organisation des cen-
« tres nerveux, que le privilège de l'intégrité exigeait un déve-
« loppement considérable de certains centres d'association
« dont le fonctionnement est en rapport intime avec les facul-
« tés supérieures, l'intelligence et la volonté ».[2] Quae sane non intelligenda sunt ad exclusionem prerogativae ac providentiae praeternaturalis.

Quare iustitia originalis concipitur tamquam frenum ipsos concupiscentiae irruentes motus cohibens. Genus humanum, ait Catechismus Romanus, « bono iustitiae auctum
« ornatumque fuerat.... Ut semel primus homo iustitiam
« originalem, qua tamquam freno quodam cupiditates rege-
« bantur, amisit, minime eas postea ratio ita continere
« potuit in officio, ut ea non appeterent quae etiam rationi
« repugnant ».[3]

[1] *Ctr. Gent.*, l. IV, c. 52.
[2] Op. cit., ch. III, p. 45.
[3] P. IV, c. 12, q. 3 et 5.

***

III) Si iam consideramus effectus huius radicalis integritatis primo homini collatae, ad haec tria reduci posse videntur.[1]

a) Et primo quidem inde sequebatur magna tranquillitas animae, ob pacificam omnium facultatum harmoniam. Aberat enim istud duellum inter carnem et spiritum ab Apostolo tam tragice descriptum;[2] caro, in se ordinata, non conspirabat contra spiritum; in ipso spiritu ratio inferior non preoccupabat dominium rationis superioris; quae suum dominium servabat subordinate, ad servandum dominium Dei. Quare sicut aberat deficiens incurvatio ob plenitudinem rectitudinis, ita aderat tranquillitas summa ob pacis ordinem in omnibus servatum. Ad quam amissam requiem anhelat mystica anima dum suspirat: « Quis mihi det pennas sicut « columbae, et volabo et requiescam? ».

Hanc tranquillitatem bene describit Scotus: « Potest dici « ergo quod, originalis iustitia habuit illum effectum, facere « scilicet perfectam tranquillitatem in anima, quantum ad « omnes potentias, ita quod natura inferior non inclinaretur « quantum est ex se, posset tamen ordinari et regulari sine « difficultate superioris, et sine tristitia inferioris; cum hoc « non habuerit potentia facta in puris naturalibus, necesse « est ipsum ponere donum supernaturale, quod sit illa tran« quillitas perfecta in anima ».[3]

Et brevius S. Thomas: « In subiectione inferiorum virium « ad rationem erat in homine omnimoda mentis tranquilli« tas: quia ratio humana nullis inordinatis passionibus tur« babatur ».[4]

De hac mentis tranquillitate bene scribit S. Alphonsus: « La nostra felicità naturale non consiste nei piaceri del « corpo, ma nella tranquillità dell'anima che vive sciolta dai « vizi e dagli attacchi sregolati. Questa tranquillità poi nasce

[1] Cf. laud. Caes. Manzoni (op. cit., n. 552, *Integrit. Coroll.*).

[2] Simile duellum inspiravit Anglico poëtae Pope lyricum carmen iure famosum, cui titulus: *Eloisa to Abelard.*

[3] II *Sent.*, Dist. xxxix, q. unic.

[4] *Compend. Theol.*, c. 186.

« dal concerto dei nostri buoni desideri e buoni portamenti », Quod evolvit exemplo sumpto ex organismo corporis, quod. ut bene valeat, humores requirit harmoniose concordes. « Sic- « chè per ottenere la vera pace, bisogna tenere l'anima in « concerto con Dio, cogli uomini e con noi stessi per mezzo « delle sante virtù: esercitando con Dio l'amore e l'ubbidienza « a tutti i suoi precetti e consigli; cogli uomini la carità e « la mansuetudine; con noi stessi la mortificazione delle pas- « sioni ed annegazione dell'amor proprio ».[1]

Optime Laminne totum his comprehendit: « La grâce « sanctifiante et l'intégrité se complètent donc l'une l'autre, « la première assurant la subordination de la volonté à Dieu, « la seconde procurant la subordination des sens à la volonté, « celle-ci réalisant l'ordre et la paix dans l'homme, celle-là « établissant la paix de l'homme avec Dieu ».[2]

b) Huius tranquillitatis alter effectus erat libertas a peccatis, quae ab ipsis concupiscentiae motibus provocantur, sicuti sunt peccata luxuriae et irae, necnon gulae. De quo status integritatis adspectu sermo recurret inferius, ubi de indole peccati protoparentum disseremus. Interim satis sit afferre verba S. Thomae: « Sic homo erat in statu inno- « centiae institutus, ut nulla esset rebellio carnis ad spi- « ritum. Unde non potuit esse prima inordinatio appetitus « humani ex hoc quod appetierit aliquod sensibile bonum, « in quod carnis concupiscentia tendit praeter ordinem ra- « tionis ».[3]

c) Consequens inde sequitur tertium. Tanta erat in hoc statu libertas rationis ab influxu virium inferiorum, et tantum imperium rationis superioris in rationem inferiorem, ut in innocentiae statu non fuisset locus peccato veniali, sed tantum rebellioni in debitum ordinem ad finem, quae invol-

[1] *Riflessioni sulla verità della divina rivelazione*, c. 2, n. 24. Hanc tranquillitatem esse fontem pleni gaudii prope divini bene ita exprimit Vondel:

Dus leeft de mensch gerust op d'aarde,
*Gelijk een God in volle vreugd.**

[2] Op. cit., ch. III, p. 50.
[3] II Q. CLXIII, a. 1.

* Op. cit., v. 526 sq.

vit peccatum mortale. Quod pariter fusius illustrabimus ubi de Adami peccato erit disputandum.[1]

Concludamus ex dictis, donum integritatis contulisse homini aliquam dignitatem naturae angelicae appropinquantem. Unde harmoniose conspirat cum illa initiali intellectus illustratione, de qua in Quaestione praecedenti disputavimus, et quae erat quaedam participatio cognitionis angelicae; salva tamen utrimque natura humana, cui illa initialis elevatio maiorem nobilitatem conferebat, nullam autem inferebat violentiam.

Nil mirum proin si originalis integritas carnis cum eiusdem immortalitate tam intimo nexu fuerit coniuncta, ut, ob irruentem concupiscentiae legem et luctam inter duplicem in se hominem, S. Paulus exclamet: « Infelix ego homo, « quis me liberabit de corpore mortis huius? ». Utrumque S. Augustinus hac pulchra sententia coniunxit:[2] « Hoc ergo « amisso statu », (quem cum angelico contulerat), « corpus « eorum duxit morbidam et mortiferam qualitatem, quae « inest etiam pecorum carni, ac per hoc etiam eumdem « motum, quo fit in pecoribus concupiscendi appetitus, ut « succedant nascentes morientibus ».[3]

Inde illud S. Petri monitum, in quo magna pars christianae disciplinae, imo et asceseos consistit: « Carissimi, obsecro « vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carna« libus desideriis, quae militant adversus animam ». Imo haec lucta quae, implacabilis et constans, sese imponit cuivis homini, intima ratio est, ob quam doctrina christiana,

[1] Cfr. *S. Th.*, I-II, Q. LXXXIX, a. 3. – Cfr. AUG. REDING, O. S. B. *Theol. Scholast.*, t. II, Q. XIV, art. 2, concl. 1. – Noli confundere hanc quaestionem cum alia controversia, utrum in praesenti statu possit peccatum originale stare cum solo peccato veniali (Cf. eumdem auctorem, ibid. concl. 2).

[2] ROM. VII, 24. Huic duello potest et applicari sententia Iob: « Quare posuisti « me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? » * De hac lucta inter duplicem hominem, sciscitanti quid per totum probationis stadium egisset, celeber orator de Ravignan, S. I., respondisse fertur: « Vous me demandez ce que j'ai fait pen« dant mon noviciat? Nous étions deux, j'en ai jeté un par la fenêtre, et je suis resté « seul ». At quoties accidit ut, per unam fenestram proiectus, per ianuam aliamve fenestram revertatur!

[3] De *Gen. ad litt.*, l. XI, c. 31.

* IOB., VII, 28.

etsi tantae celsitudinis, tantique solaminis et gaudii, tot nihilominus habet mentis sibi infensas et a multis derelinquitur, iuxta illud turbae: « Durus est hic sermo ».[1] Rectissime, post humilem propriae vitae confessionem, id exprimit Franciscus Coppée: « Bien des hommes... conviendraient, s'ils « étaient sincères, que ce qui les éloigna d'abord de la reli- « gion, ce fut la règle sévère qu'elle impose à tous au point « de vue des sens, et qu'ils n'ont demandé que plus tard à la « raison et à la science des arguments métaphysiques qui « leur permettent de ne plus se gêner ».[2]

II.

Sed est alius nexus, de quo in hac dissertatiuncula pauca verba sunt addenda, nexus scilicet inter amissam carnis integritatem et sensum pudoris. Hunc nexum egregie illustrant sequentia verba quibus Augustinus prosequitur. « Sed « tamen in ipsa iam poena... anima rationalis bestialem mo- « tum in membris suae carnis erubuit eique incussit pudo- « rem, non solum quia hoc ibi sentiebat, ubi nunquam tale « aliquid senserat, verum etiam quia ille pudendus motus « de praecepti transgressione veniebat. Ibi enim sensit qua « prius gratia vestiretur, quando in sua nuditate nihil inde- « cens patiebatur ».[3]

Et sane theologo catholico nullus hic datur haesitationi locus. Nimis enim manifesta est Scripturae narratio, quam ut dubio spatium relinquat.[4] Pluries enim sacer narrator hoc argumentum tangit, utpote in hominis conditione, imo in tota humani consortii oeconomia summi et arcani momenti. In fine capitis secundi, Eva ab ipso Deo adducta ad Adamum, additur: « Erat autem uterque nudus, et non erubescebant ». En in statu innocentiae pudoris absentia. – Vix ab utroque consummato peccato, integritatis donum cum ipsa innocen-

[1] IOANN., VI, 61.

[2] *La bonne Souffrance*. Préface.

[3] Ibid.

[4] In responso tertio decret. Pontif. Commis. Bibl. 30 iunii 1909, legitur, in sensu litterali historico accipienda esse, inter alia, « originalem protoparentum felicitatem « in statu iustitiae, *integritatis* et immortalitatis ».

tia amittitur. « Et aperti sunt oculi amborum: cumque cogno-« vissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt « sibi perizomata ».[1] En rebellio carnis, hucusque ignota, et remedium pudoris, tegumentum illarum corporis partium quae sunt princeps huius concupiscentiae sedes et argumentum.

Tanta autem est in homine et muliere per amissam integritatem provocata mutatio, ut, licet aliqualiter iam nuditate tecta, se non audeant sistere coram Deo se vocante: « Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso « ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor eius « a facie Domini Dei in medio ligni paradisi ». Roganti Deo Adam fatetur suam de propria nuditate erubescentiam: « Timui (ruboris scilicet verecundia) eo quod nudus essem, « et abscondi me ». - Ipse Deus declarat rationem erumpentis concupiscentiae hucusque ignoratae: « Quis enim indi-« cavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo « praeceperam tibi ne comederes, comedisti? » - Unde antequam praevaricatores de paradiso expellat, ipse pariter Deus, pudorem veluti inculcat et sacrat: « Fecit quoque

[1] Pulchre Milton opponit ad invicem protoparentum oculos apertos et mentes obtenebratas:

Soon found their eyes how opened, and their minds
How darkened. Innocence that as a veil
Had shadowed them from knowing ill, was gone;
Just confidence, and native righteousness,
And honour, from about them, naked left
To guilty shame: he covered, but his robe
Uncovered more. *

Unde, pulcherrimo sane conceptu, quando Filius Dei, a Patre missus, in Paradiso mite iudicat quos erat redempturus, opertam pellibus nuditatem exhibet uti symbolum vestis gratiae, qua esset spiritualem eorum egestatem ab oculis Patris operturus.

Not he their outward only with the skins
Of beasts, but inward nakedness, much more
Opprobrious, with his robe of righteousness
Arraying, covered from his Father's sight. **

* Op. cit., l. IX.

** Ibid., l. X. - Sed in hac locutione, quae et alibi recurrit, habetur velata allusio ad doctrinam Lutheranam de iustificatione extrinseca per iustitiam imputatam Christi.

« Dominus Deus Adae et uxori eius tunicas pelliceas et « induit eos ».[1]

Ex ipso huius narrationis nexu, necnon ex insistentia qua scriptor sacer de erumpente et ruborem hucusque ignotum incutiente concupiscentia loquitur, apparet non admitti interpretationem mere allegoricam. Quare reiicienda est prorsus opinio Wellhausen, qui censet, per nuditatem designari primum humani generis stadium barbariae, a quo stadio ad culturam movetur transitus; qui transitus involvit imminutum sensum religiosum, iuxta praeiudicium Moysis religionem et culturam sibi invicem opponentis.[2] - Dillmann contendit, sub narrationis velamine nihil aliud ab auctore intendi quam solutionem problematis de origine tot malorum quae in hominis vitam et felicitatem conspirant.[3] Utique partim huc tendit narrator sacer, sed veram narrando historiam, non allegoriam adducendo sive mythum.

Reiicienda pariter est, utpote ab historicitate narrationis recedens, sententia Gunkel,[4] qui existimat in hac narratione describi veluti per unum instans completum, quod in singulis hominibus aetatis decursu obtinetur.[5] In primo stadio ignoratur sensus et scopus discriminis sexualis, unde nulla de nuditate erubescentia; in altero, per experientiam dignoscitur. Etenim comestio fructus arboris scientiae boni et mali significat ipsam experimentalem cognitionem commercii sexualis.[6] Unde et asserit, mulierem, quae peccato suum

[1] Cap. III, 7, 8, 10, 11, 21. Bene Hoberg: « Die Kleidung der ersten Menschen war « primitiv ihrem Stoff und Umfange nach, genau so, wie sie heutzutage bei vielen « Naturvölkern beschaffen ist. Sie genügte aber ihrem Zwecke, Hüterin der Scham- « haftigkeit zu sein, vollständig, ja besser als manche verräterische Kostüme zivi- « lierter Moden ». *

[2] *Prolegom.*, p. 306 sq.

[3] *Die Genesis*, p. 45 sq.

[4] *De Genesis*, p. 24-26.

[5] Hanc allegoriam, sed latiori sensu, admiserunt Rosenmuller** et Reuss, *** Moysen scilicet in hac parte suae narrationis, sub forma allegorica, descripsisse transitum a statu innocentiae ad statum discretionis ac maturitatis (Cfr. Murillo, op. cit., p. 312 sq.). Idem sentit H. J. Dunkenfield Astley (*Praehistoric Archaeology*, p. 236).

[6] De hoc adspectu huius sententiae sermo infra recurret, ubi de arbore scientiae boni et mali agemus.

* Op. cit., p. 47.

** *Scholia in Gen.*, c. 3.

*** *Geschichte des Alt. Test.*, 373.

sexum cognoverat, in poenam alligari vitae sexuali. Quot in hac sententia confusiones sint, primo intuitu patet. Non servat indolem historicam ipsius narrationis; offendit in institutionem divinam commercii coniugalis; non dat rationem intimam sensus pudoris, quum iste sensus experimentum sexualis commercii nullatenus supponat; absurde reponit poenam in protractionem ipsius originalis peccati.[1]

Ab interpretatione allegorica Gunkel non satis recedit Gulielmus Schmidt, qui absentiam erubescentiae explicat per ignorantiam in qua Adamus et Eva erant ab initio de ratione et finalitate discretionis sexualis. Etenim physice erant quidem adulti, non autem moraliter; ac proin paulatim a Deo educandi. Id enim significant verba: « Erant autem uter-« que nudus, Adam scilicet et uxor eius... et non erube-« scebant ».[2] Quando autem contra Dei mandatum de ligno scientiae boni et mali gustarunt, tunc praemature et inordinate haec cognitio tam violentum provocavit concupiscentiae motum ut ruborem excusserit. En sensus verborum: « Et « aperti sunt oculi amborum... ».[3]

Sed haec sunt leviter et arbitrarie dicta; imo offendunt in ipsum Scripturae textum. Sane obvia lectione verba ab Adamo de somno evigilante prolata, extendenda sunt usque ad versum 24m inclusive. Tunc solum habent illam profunditatem quae huic narrationi convenit, ut Adamus non

[1] Ob hoc vitium haec sententia offendit pariter in doctrinam in altera parte huius dissertationis exponendam.

[2] « Als wenn gesagt werden sollte: Was aber Adam und sein Weib angeht, so « lebten diese vorderhand in kindlicher Unschuld, in rein geistiger Lebensgemein-« schaft dahin und hatten noch nicht die Erkenntnis von dem physischen End-« zweck derselben. Dazu sollten sie noch erst heranreifen, nicht physisch, denn « körperlich waren sie keine Kinder mehr, aber wohl geistig, unter Gottes steter « Führung » (Op. cit. in hunc *Genesis* locum). Quae sequuntur p. 400, sunt minus reprehendenda.

[3] « Vorzeitig und deshalb in übermächtiger Sinnlichkeit wurde ihnen vielleicht « (hoc " forsan „ mitigat parumper assertum) die Erkenntnis des physischen Zwe-« ckes des Geschlechtsunterschiedes zuteil: die daraus emporsteigende Begier er-« schütterte die bis dahin feste Herrschaft ihres Willens, und darob erhob sich die « bremende Scham » (Ibid.). Fatendum tamen est, in analysi sensus pudoris auctorem vix a recta sententia recedere. Quare in hac et non in altera parte huius tractationis de eo agemus. Si ergo haec sententia confertur cum modo allata sententia Gunkel, triplici ex capite est mitius iudicanda: 1) minus recedit ab historica narrationis interpretatione; 2) minus errat quoad significationem ligni scientiae boni et mali; 3) minus recedit a genuina analysi sensus pudoris.

solum intellexerit Evam esse de proprio suo corpore formatam, sed etiam huius originis sensum ac symbolum, qualia a Christo et a sancto Paulo illustrantur.[1] Quare Patres passim et Concilium Tridentinum expresse ea verba ponunt in ore Adami.[2] Iam vero, si ita est, Adamus in instanti quo Evam vidit, nuptialis coniugii rationem introspexit. Quare miror certitudinem qua auctor affirmat, haec verba non amplius esse ab Adamo, sed vel a Deo prolata, vel ab auctore inspirato adiuncta.[3] At, nisi hoc diceret, totum eius systema corrueret.

Porro quaenam plausibilis ratio afferri potest, ut Adamus et uxor eius rationem et finalitatem sexualis discretionis ignorarint? Nonne hanc in animalibus omnibus cernebant? Quomodo potuisset Adam animalibus dare nomina sua, nisi scivisset quid interesset inter masculum et feminam?

[1] MATTH., XIX, 5; *Ephes.*, V, 31.

[2] Ita quoque Milton haec verba in ore Adami ponit:

I now see
Bone of my bone, flesh of my flesh, my Self
Before me. Woman is her name of Man
Extracted; for this cause he shall forgo
Father and Mother, and to his wife adhere,
And they shall be one flesh, one heart, one soul. *

Pariter in Eva ad Adamum adducta vates ponit iam nuptialis mysterii cognitionem:

... nor uninformed
Of nuptial sanctity and marriage rites. **

Imo, in hoc a traditione et ab obvio Scripturarum sensu recedens, Adamum et Evam ab ipso initio, ante tentationem, has nuptias celebrantes depingit. *** Nondum autem conceperant, quando a Paradiso sunt expulsi. ****

[3] « Aber das sind nicht die Worte Adams, sondern entweder die Worte Gottes « oder Hinzufügung des inspirierten Verfassers » (Ibid., p. 493).

* Op. cit., l. VIII.

** Ibid.

*** In hoc loco videtur nobis poëta, protestans contra

Whatever hypocrites austerely talk
Of purity, and peace, and innocence,
Deforming as impure what God declares
Pure, and commands to some, leaves free to all.

non solum illos intendisse qui nuptiarum divinam institutionem reiiciunt, sed et in catholicum coelibatum invehere voluisse.

**** Op. cit., l. X.

Haec prorsus infantilia procedunt a falso conceptu primaevae integritatis et originalis sanctitatis matrimonii. Nihil erat in coniugii cognitione quod tantopere esset pertimescendum ne praemature cognosceretur.[1] Sunt hae imaginationes e conditione nostra praesenti provenientes, quas omnino deponere debet, quisquis recte cupit de originali statu iudicare.

Quare scientia boni et mali non habet specialem relationem ad cognitionem commercii sexualis, quippe in quo, ante lapsum, non erat nisi ratio boni.

At si firmissime tenenda est traditionalis interpretatio, quae narrationem Mosaicam in sensu historico intelligit de amissa integritate, quam in se Adamus et Eva sunt experti, nihil impedit quominus haec oculorum aperitio ac cognita nuditas insuper, sicuti et ipsa mors, in sensu spirituali intelligantur. Quod egregie exponit Illmus Ullathorne, opponens primaevae rectitudini totali ruinam per peccatum productam: « Whilst sin is yet in progress, the inward pride from which it « springs goes on increasing; it swells, it inebriates, it blinds « the soul, and that with the constantly augmented appea- « rance of a greater good. But no sooner is the evil con- « summated than the eyes are opened and the delusion « vanishes. The soul has turned from God, and the spiri- « tual life has departed. Nature remains, but its happy « condition it changed into desorder, and is wounded to its « centre. Clothed heretofore in soul with God's grace, and « in body with innocence and purity, and having had no « experience of a worse state of existence; the eyes of the « human pair were opened to their past good by their pre- « sent evil, and they find themselves naked both in body « and soul. Having broken from the rule of God, their « bodies break away from the rule of there enfeebled and « discourdant souls. Shame covers them with confusion; « fear fills them with distress; the sickness of the soul in « her loss; the sadness of the spirit in its bereavement of « vital force; the sense of defilement: the hollowness of a

[1] Insuper quodnam esset et quonam spectaret hoc imperium (*feste Herrschaft*) in rem nondum cognitam?

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« life now first estranged from the life of God; and the « terror of death; shoot the keenest pangs, as of spiritual « dissolution, through the conscience into all their being ».[1]

Pulcherrime eodem sensu scribit Titus Fornari: « Tutti « questi mali avvertì confusamente Adamo, sì tosto ch'ebbe « consumato il delitto. E questo avvertire il male, questo « nuovo fatto che sperimentarono in sè egli e la donna, fu « quell'*aprirsi de' loro occhi,* secondo la lettura del *Genesi,* « aprirsi degli occhi il quale era stato loro promesso per « inganno dal diavolo, e bramato da essi per inganno arden- « temente. *Si apersero gli occhi d'amendue,* dice il testo, *e « conobbero che erano ignudi.* Non si dice che videro la loro « nudità, ma che la conobbero, nè che solamente conobbero « ignudo il corpo. Erasi dunque fatto ignudo il corpo e lo « spirito: il corpo fatto ignudo dalla grazia che gli veniva da « Dio. Finchè il corpo animale servì unicamente allo spirito, « specchiò lo spirito e così gli si mantenne unito, fu deco- « roso; ma ora che gli si è ribellato per la concupiscenza, « è deforme come una cosa fuori del suo sito. E lo spirito « finchè stette unito per amore a Dio, fu bello della grazia « che gli derivava da Dio; ma ora che per l'orgoglio si è « diviso da lui, è deforme per la stessa ragione del corpo. « Tanto è dunque che si conobbero ignudi, quanto che de- « formi nelle membra e nello spirito. E la cognizione di tale « deformità causò in loro la vergogna che non ebbero inno- « centi, come espressamente si nota nell'ultimo verso del « capitolo avanti. Per la quale vergogna cuoprono di foglie « di fico le membra, e vorrebbero coprire anche lo spirito; « cioè *nascondersi dal cospetto del Signore Iddio,* secondo « la frase di Mosè ».[2]

Porro quanti momenti sit haec pudoris lex, ostendit tum maledictio in Cham prolata a patre Noë, cuius nuditati irreverenter illuderat, tum reverentialis modestia quo duo alii filii, retro incedentes, eam pallio obtegendam curarunt.[3] Quanti

[1] Op. cit., lect. XI. *The fall of man in connection with the fall of the Angels and the redemption of Christ,* p. 295 sq.

[2] Op. cit., l. I, cap. 3, p. 198 sq.

[3] GEN. IX. S. Ambrosius hunc locum commentans, quo reverentia filiorum in parentes summopere commendatur, addit ex Cicerone (*Offic.,* l. I): « Unde etiam

autem momenti sit oculorum custodia, docet historia lapsus Davidis et seniorum quos Daniel confutavit. Verecundia quoque inculcatur per praescriptionem modesti vestitus quo sacerdotes gradus altaris ascendere iubebantur.[1]

Absonam autem esse interpretationem, quae vim Mosaicae narrationis illudere conatur dicendo, Adami et Evae post peccatum oculos fuisse apertos, quia caeci erant a Deo creati, ex sese et ex ipso textu est manifestum. Quid mirum esset si non erubuerint, quippe se invicem non videntes? Et cur non dixisset simpliciter Deus, ideo ambos se cognovisse nudos, quia antea fuerant caeci? Quomodo insuper Adamus nomina animalibus imposuisset, quae, utpote caecus, videre non potuisset? Quomodo, si caecus, Evam a Deo sibi oblatam ita salutasset? Et quomodo Eva potuisset agnoscere lignum esse « pulchrum oculis et adspectu delectabile? ». Imo quomodo dignovissent arborem, cuius fructus esset eis a Deo interdictus? Caeterum quo spectasset initialis illa caecitas? Quare S. Augustinus in loco superius allato, vehementer depellit absurdam hanc interpretationem verborum, « aperti « sunt oculi amborum ». « Neque enim, scribit, caeci creati « erant, ut imperitum vulgus opinatur; quandoquidem et ille « vidit animalia, quibus nomen imposuit, et de illa legitur: « " Vidit mulier quia bonum est lignum in escam, et quia « placet oculis ad videndum „. Patebant ergo oculi eorum.

« Romae vetus fuisse usus dicitur, ne filii cum parentibus, et maxime puberes intra- « rent lavacrum » (*Lib. de Noë,* c. 31).

[1] Hinc austerum Scripturae monitum: « Averte faciem tuam a muliere compta ». * Etenim, uti ait S. Bernardus: « Per oculos intrat in mentem sagitta impuri « amoris ». ** Inde Alexandro Magno non parcae laudi est factum in eius vita narratum. Quum, victoria in Darium relata, audivisset Regis filias esse pulchritudine celebres, triumphator, ne concupiscentia vinceretur, eas adspicere recusavit. Hinc philosophus quidam olim, non laudando sane excessu, sibi ademit oculos, ne amplius per impura visa sollicitaretur. Ad quae optime S. Alphonsus: « Nobis Christianis « non licet physice nosmetipsos excaecare, debemus tamen nos moraliter excaecare, « alio oculos vertendo, et personas quae tentare nos possunt, non adspiciendo ». *** Et brevius S. Gregorius M.: « Deprimendi sunt oculi, quasi raptores ad culpam ». ****

* Eccl., IX, 8.

** Serm. 13.

*** S. Alphonsus (*Instit. catechist.*, p. II, c. 4, n. 19).

**** *Moral.*, l. XXII, c. 2.

« Sed ad hoc non erant aperti, hoc est, non attenti ut cognoscerent quid eis indumento gratiae praestaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, ut poena reciproca inobedientia plecteretur, exstitit in motu corporis quaedam impudens novitas, unde esset indecens nuditas: et fecit attentos, reddiditque confusos ». [1]

Nulli ergo catholico theologo dubium esse potest, pudoris sensum, haud secus ac concupiscentiam, esse ex peccato, ac proin, utpote in veritate fundatum atque legitimum, reverenter esse servandum, ne excusso pudore ipsa morum modestia periclitetur. Et quum omnes homines oriantur ab illis protoparentibus, qui in poenam peccati erubescentiam pudoris sunt experti, in hominibus omnibus sensus pudoris est argumentum peccati originalis.

2) Quodsi quaeras, in quonam hic pudoris sensus consistat, respondendum est cum Augustino aliisque scriptoribus sacris, eum inde provenire quod lucta carnis adversus spiritum in his maxime manifestatur membris, [2] quae ad procreationem speciei ordinantur, [3] in quibus sensualium instinctus est ex una parte vehementior, et ex altera parte manifestatio eius-

[1] Allato explicatoque v. 25, c. II *Genes.* Calmet ait: « Ex quo plane noscimus, « crimen et criminis appendicem concupiscentiam in causa esse turbatae rerum oeconomiae, et carnis adversus spiritum rebellantis audaciae, ac tandem, quae inde « sequitur, erubescentiae ».

[2] Quum haec manifestatio sit magis apparens in corpore viri, hinc verenda maxime de virili membro intelliguntur. Quare non desunt tribus sylvestres apud quas mulieres incedunt minus vestitae quam viri.

[3] Huc enim spectat hic instinctus. Quare concupiscentia erga eiusdem sexus corpora impellens inordinationem habet monstruosam. Unde damnabilis est prorsus, imo execranda moderna illa theoria, quae hoc pessimum vitium excusare conatur, imo et legitimare dicendo, duplicis veluti indolis dari homines, quorum alii hoc instinctu feruntur in sexum diversum, alii in sexum eumdem.

De hoc pessimo vitio, quantopere fuerit apud Graecos et Romanos commune, * lege v. gr. Aug. Nicolas. ** Erat vitium philosophicum. Unde illud cynicum Luciani: « Non amant sese leones. Non enim philosophantur ». *** Nil mirum proin hoc vitium paganae renascentiae tempore fuisse instauratum, uti mox dicemus.

* Sane S. Paulus hoc vitium gentilibus improperat tamquam non paucos nec paucas commaculans (Rom. I, 24,26, 27). In antiqua Lege, tamquam abominatio, (Lev. XVIII, 22) morte plectebatur (Ibid. XX, 13).

** *Etudes religieuses,* l. I, ch. 6.

*** *Amores.*

dem instinctus est a rationis dominio sive imperante sive cohibente magis independens.[1] Quare in his membris animalis hominis conditio in spiritum rebellans totam suam violentiam exercet, ac vehementior lucta oritur inter rationem et carnem, unde ratio, si sapiat,[2] erubescat; et quidem eo magis quod inferior ratio hac in re contra rationem veluti conspirat; unde totus homo in contraria tam vehementer scinditur, ut nonnisi aegre se possit in rationis apice compotem sui servare. Quare in nulla re homo se sentit minus hominem, quam in ea ipsa, quae tamen habet aliquid tam augusti et imo sacri, quum sit transfundendae vitae humanae instrumentum;[3] unde exoritur et adhuc augetur, nisi homo dignitatem suam rationalem abdicarit,[4] erubescentia pudorisque sensus. Qui pudoris sensus, quum in procreationis instinctus radicetur, maxime provocatur erga alterum sexum. Unde legimus in narratione Mosaïca: « Erat *uterque* nudus, Adam « scilicet et uxor eius; et non erubescebant ». « Et aperti « sunt oculi *amborum* ». Quae ratio, saltem partialis, esse videtur, cur Eva ruborem non senserit ipso instante quo praeceptum Dei est transgressa; sed ambo simul, quando orbati gratia, se invicem conspexerunt integritate pariter orbatos.[5] Ad quae bene Cornelius a Lapide: « Gratiae et « iustitiae originalis tegumento per peccatum spoliati, adver- « terunt suam nuditatem, confusionem, verecundiam ex eo « quod sentirent in se motus concupiscentiae rebelles rationi,

[1] Haec independentia partim inde explicatur, quod procreationis functio pertinet ad vitam vegetativam, quae indole sua est maxime a rationis sive voluntatis dominio independens. In quo sapientissima Dei Providentia elucet, non in genere modo; sed specifice in his quae spectant ad generationem.

[2] Etenim experientia docet, in dementibus hunc instinctum esse vehementissimum, absque ulla erubescentia, quia deest pugna a parte rationis.

[3] Optime Scheeben: « Pudor quo usus etiam licitus horum organorum circum- « datur, profundam causam habere debet, non solum in reverentia dignitatis animae « violentia passionum in discrimine positae, sed etiam in religiosa admiratione quam « provocat distantia inter animalem executionem actus, ac sublimem eius finem » (op. cit., n. 486).

[4] Inde in maxime discolis pudoris sensus potest obliterari, quia in eis abdicavit ratio, et homo ad animalem sese conditionem deiecit. Cfr. concionem Bossuetii *Sur l'impureté*.

[5] « Mox ut praeceptum transgressi sunt, ait Augustimus, intrinsecus gratia « deserente, omnino nudati in sua corpora oculos iniecerunt » (Libr. II *de Gen.*, c. 13).

« praesertim libidinis ad invicem. Hi enim motus inhonesti « ita pudore afficiunt hominem ut ipsa membra sua in quibus « haec concupiscentia regnat, tegat et abscondat ». – Brevius Calmet: « Turbata passionum oeconomia, carnis a spi- « ritu defectio pudorem in illos induxit de probro, nudosque « se esse senserunt ».[1]

Sed et quaevis corporalis nuditas habet, ob eandem ruptam harmoniam, unde ruborem excitet, etiam in eodem sexu, quia tam pronus est concupiscentiae fomes et tam inordinatus, ut et in corpora eiusdem sexus provocet, ardorem, quemadmodum et Paulus Gentilibus improperat. Quin et pudorem unusquisque erga proprium corpus revereatur oportet. Modestia quippe oculorum est castimoniae custos; sicuti e contra incontinentiae stimulus est oculorum intemperantia. Hinc tanti momenti est, ut haec modestia a tenerrima aetate inculcetur.[2]

Multis in locis S. Augustinus, tractans de concupiscentia, ananalysim instituit sensus pudoris. Plura testimonia inferius afferemus. Citatis verbis in huius dissertationis exordio, et sequentia addere sufficiat: « Quid est, gustato cibo pro- « hibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum quod gratia « contegebat? Gratia quippe magna ibi erat, ubi terre- « num et animale corpus bestialem libidinem non habe- « bat. Qui ergo vestitus gratia, non habebat in suo cor- « pore quod puderet, spoliatus gratia sensit quod operire « deberet ».[3]

Et alibi: « Merito huius libidinis maxime pudet, merito « et ipsa membra quae suo quodam, ut ita dixerim, iure, « non omnimodo ad arbitrium nostrum movent aut non « movent pudenda dicuntur, quod ante peccatum hominis « non fuerunt. Nam, sicut scriptum est: "Nudi erant et non « confundebantur „. Non quod eis sua nuditas esset inco- « gnita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido « membra illa praeter arbitrium commovebat: nondum ad

[1] Hoc loco in v. 7, c. II *Genes.*

[2] In hac puerorum educatione utendum est sapienti prudentia, ut ex una parte pudoris et castitatis aestimatio nutriatur quam maxime, ex altera vero caveatur a quovis excessu, qui falsam conscientiam efformando peiorem saepe ruinam parat.

[3] *Ctr. Iulian.*, l. IV, c. ult.

« hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia « caro quodammodo testimonium perhibebat ».[1]

S. Anselmus pariter vitium concupiscentiae ex Adae transgressione secutae inde repetit: « quia tale corpus post « peccatum fuit qualia sunt brutorum animalium corruptioni « et carnalibus appetitibus subiacentia; anima vero, quia ex « corruptione corporis et eiusdem appetitibus atque indi- « gentia bonorum quae perdidit, carnalibus affectibus in- « fecta ».[2]

Audiatur et Abbas Rupertus: « Non erat hoc ignominiae, « sed honoris, quod nudi erant; non erat insipientiae, sed « securitatis, quod nuditatem suam non erubescebant. Quid « enim? Numquid hoc a factore suo accepit, quod confusi- « bilis et verenda esset factura Dei? Aut numquid confu- « sionem homini natura et non potius conscientia facit? Est « quidem quasi in naturam versum hoc tormentum confu- « sionis; verumtamen non ex conditione primaeva, sed ex « iuniore culpa origo eius pullulavit. Etenim idcirco nudi- « tatem nostram erubescimus, quia conscii nobis sumus, quan- « tam infirmitatem, imo quantam adversus nos rebellionem « carnis nostrae portemus... Siquidem concupiscentia carnis, « poena est peccati, qua praecedens punitur superbia mentis. « Deus, inquit Scriptura, fecit hominem rectum. Hoc plane « testimonium verum est, quia rectissimus Deus hominem « nonnisi rectum fecisse creditur. Rectitudo autem hominis « in eo est, ut carni spiritus, utpote inferiori superior praesit « et imperet, et haec illi iussa adsit atque obtemperet. Medius « namque inter Deum et carnem suam rationalis hominis « spiritus positus est, ut Deo pararet et carni imperaret. « Quem ordinem quia prior ille turbavit et rupit, abiiciendo « praeceptum Dei, subditus est qui erat superior, spiritus « infirmae carni, ut iusta poena inferiori subiiceat, qui supe- « riori recte subesse contempsit. Hinc illa confusio faciei de « conscentiae secretis ad publicos oculos prorumpens, et sub « misera velamentorum solatia poenalem ignominiam ire « compellens. Haec (inquam) infirmitas, vel rebellio carnis

[1] *De Civ. Dei*, l. XIV, 17.
[2] *De Conc. virg. et pecc. orig.*, c. 2.

« adversus spiritum nondum erat. Bene igitur nudus erat « uterque et non erubescebant, quia quod erubescerent non « habebant. Illa nuditatis securitate perdita nos ingemisci- « mus, eo quod gloria et honore spoliati, et panniculis invo- « luti sumus. Nam ita vestiti vere incedimus nudi, etiamsi « (quod impossibile est) sic vestiamur sicut vestiuntur lilia « agri ».[1]

Et infra[2] erumpentem concupiscentiam indeque erubescentiam peccatum secutam ita describit: « Statim namque « genitalis pars corporis utrumque peccatorem ob super- « biae meritum iniussis motibus similiter colaphizare incepit. « Ignominiam huius passionis pudendam esse sponte cogno- « scit, sine doctore intelligit, ultronea fuga confitetur. Cur « hoc? Quia rationali creaturae inesse non debuit, sed ab « offenso Deo, non intelligenti honorem suum imposita est, « ut compararetur iumentis...[3] Erubescit (ratio) in ipsis coniu- « gibus, et mutuum alterutro nuditatis refugit intuitum, sicut « et isti coniuges primi, qui, nondum habentes quos erube- « scerent nisi semetipsos, qui erant caro una, consuerunt « folia ficus, et fecerunt sibi perizomata, id est, succinctoria ». Et addit: « Quo exinde filii irae fuerimus, quia de pecca- « torum et ista peccatoris poena generati sumus ».[4]

Pulcherrime nexum inter amissam iustitiam et erumpentem concupiscentiam ita depingit Milton:

> *Nor those mysterious parts were then conceiled;*
> *Then was not guilty schame. Dishonest schame*
> *Of Nature's works, honour dishonourable,*
> *Sin-bred, how have ye troubled all mankind*
> *With shows instead, mere shows of seening pure,*
> *And banished from man's life his happiest life,*
> *Simplicity and spotless innocence!*[5]

[1] *Comment. in Gen.* hoc loco.

[2] Verba: « Aperti sunt oculi amborum » Rupertus duplici modo explicat, excluso sensu litterali de oculis hucusque caecitate clausis: 1) Sensu ironico, sicuti infra sunt verba Dei ad Adam: « Ecce unus ex nobis factus est ». 2) Sensu morali, de agnitione suae spoliationis ac nuditatis.

[3] Vide quam pulchre ad hanc protoparentum mutationem applicatur versus psalmi: « Homo cum in honore esset », innocentiae scilicet et integritatis originalis, « comparatus est iumentis insipientibus », per erumpentem carnis libidinem.

[4] Ad hunc versum.

[5] Op. cit., lib. IV.

2) Haec theologica simul ac philosophica explicatio sensus pudoris confirmatur per inefficaciam aliarum solutionum gravis huius problematis.

a) Et primo quidem reiicienda est illa explicatio radicalis, quae problema de medio tollere conatur, negando solidum pudoris fundamentum. Tales fuerunt olim cynici, necnon Adamitae, qui, ad originalem protoparentum conditionem perperam provocantes,[1] usum inducere conabantur incedendi absque ullis vestibus, idque promiscue, nullo attento sexuum discrimine. Sed ad quos turpes excessus haec inverecundia conduxerit, ipsa eorum historia abunde docet. E contra omnium populorum traditio conspirat in proclamandum pudoris sensum, cuius et apud maxime depressas tribus adhuc vestigia prostant.[2] Inde et antiquiora artis documenta, uti reperiuntur in Aegypto, indicant pudoris legem, v. gr. in vestitu servorum rudibus laboribus addictorum, usque servatam. Quare artis posterioris innovatio fuit, sane bonis moribus infensa, homines prorsus nudos repraesentandi. Quid autem mirum, ubi humana quaeque vitia deorum flagitiis mythologia sacrabat?

Prudenter hac de re scribit Calmet: « Est erubescentia « quaedam inanis prorsus et ratione destituta, quam inducit

[1] Ipse Plato in quodam loco recolit homines aurea aetate incessisse nudos; * et alibi testatur, recens inductum usum omnem vestitum deponendi ad corporalia exercitia Athenienses primo probro et risui vertisse, dein vero consuetudine invalescente adprobasse. ** Sed multum interest inter hunc modum corporalia exercitia peragendi, et liberiorem stoicorum et procacem cynicorum theoriam omni pudori infensam. Sane et nunc vidietur hac in re apud populos etiam Christianos maior minorve vigere libertas, quin tamen ipse pudoris sensus in dubium vocetur. Sed, ingravescente neo-paganismo materialistico ac sensuali, iam non desunt qui, aut imo quae, cynicorum doctrinam moresque instaurantes, hygienico aliove praetextu, quemvis pudorem deponant, christianaeque modestiae insultent.

[2] W. Schneider (*Die Naturvölker*, Paderborn., 1885, 2, 426-433). Cuius conclusio ita sonat: « Das Schamgefühl gehört zu den natürlichen Anlagen der Menschen- « natur ». Unde rursus vides catholicum dogma ex historia simul et psychologia intime confirmatum. Optime Hoberg: « Hiermit steht in Einklang die dogmatische « Darstellung über den Sündenfall und seine Folgen: das übernatürliche göttliche « Ebenbild im Menschen wurde durch die erste Sünde vernichtet, das natürliche « wurde geschwächt ». ***

* *In Polit.*

** *De Republ.*, l. 5.

*** Op. cit., p. 47.

« opinio, vanitas et perversa quaedam consuetudo; est et alia « ex ipsa rerum natura petenda, probro ducens res politiae, « pudori et rationi oppositas. Utramque illam erubescentiam « praepostere confundebant stoici et cynici; nec sane distin- « xisse satis videtur Plato. ... Nudo sane corpore incedere, « quidquid dixerit quispiam, erubescentiae habet aliquid, « quod recto ordini et rationi repugnet, quae utraque pro- « fecto neglexisse et calcasse oportet illos, qui omnium primi « modesti hominis fines ea in re transgredi ausi sunt ». [1]

Sane qui materialisticis placitis adhaeret, omnem adhibere debet conatum ut impugnet pudoris sensum, quippe qui est validum spiritualitatis indicium. Sed denegatio est impar obstaculo removendo. Quod imo obstaculum ex hoc suam legitimitatem vindicat quod, deposito pudore, – illo scilicet qui humanae dignitatis est indicium, – homines ad ima vitia descendere solent, quod non daretur, si pudor ille non esset nisi praeiudicium fundamento destitutum.

b) Transformistae materialistae conantur hunc pudorem inde explicare quod, quum homo sit brutum evolutum, erubescat de sua origine, quae in his quae huius sunt pudoris, maxime apparet.

Ratio quidem non omni caret specie. Est tamen futilis. Cur enim homo, si non esset nisi evolutum brutum, de hac origine non posset gloriari? Et cur pudorem ei iniiceret hic potius instinctus quam alii, puta cibi et potus, quos pariter habet cum brutis communes? Huius discriminis ratio non apparet, nisi quaeratur altior, quae iam totum evolutionismi materialistici systema subvertit. [2] Imo unde,

[1] Ad v. 25, c. II, *Genes.*

[2] Uti futilem satis sit in notula addere geminam rationem inde petitam * quod pudenda membra sint in hominis corpore magis apparentia ob ipsam hominis erectam staturam; ac insuper aliorum corporis membrorum harmonia destituantur et gratia, utpote ad meram utilitatem extructa. Ecquid forsan lascivae simiae aliquid de hoc pudore participant, quia saepius se erigunt ac alia bruta? Altera autem consideratio, si quid valeret, – quod prorsus nobis denegandum videtur, – explicaret aliqualiter cur haec membra diligentius obtegantur, non autem cur pudoris sensum incutiant. – Omitto pariter rationem ex alia depromptam naturae necessitate, quae necessitas suadet quidem ut, decentiae nitorisque causa, ei fiat secedendo satis; non autem explicat sensum pudoris, diversi prorsus generis,** de quo hic quaeritur.

* Huic geminae rationi nimium valorem Gutberlet tribuere videtur (op. cit.).

** Hanc distinctionem non satis attendit Tepe (Tract. VI, *De Deo creante*, prop. LXIX).

quaeso, in haec hypothesi homini oriretur inter utrumque hominem lucta?

Optime hanc rationem depellit Cl. Laminne: « Si l'homme « est issu des animaux, comment expliquer qu'il existe chez « lui des tendances opposées aux instincts qui seuls guident « l'animal? La lutte intestine qui déchire le cœur de l'homme, « la révolte des passions contre la raison ne trouve aucune « explication dans la théorie évolutionniste ».[1]

c) Validior longe est ratio a cl. Gutberlet inducta: « Pudoris « sensus tunc solum acquirit rationem pro omnibus casibus, « si admittitur, non quidem animam erubescere ob conscien- « tiam suarum functionum inferiorum, sed naturam ipsi hanc « erubescentiam inculcasse, ut, - contra effrenatum impul- « sum instinctus sexualis, - intra debitos limites constringat « exercitium istarum functionum tam principalium ad exi- « stentiam et progredientem evolutionem humani generis ».[2] Haec ille; et pergit evolvendo hunc conceptum, qui paucis verbis ita exprimi potest. Ex una parte instinctus sexualis limites nescit; ex altera vero parte sexualis unio non est licita nisi « solius cum sola ». Unde pudoris sensus est providentiale medium quo instinctus tam vehemens ad hunc unicum usum licitum contrahitur. Sed si haec ratio solida esset, cur Adam et Eva hunc pudorem ad invicem experti essent? nonne erat Adam solus cum sola, et quidem cum uxore ab ipso Deo sibi data? Iuvat sane pudor ad promiscuitatem cohibendam. Sed nec ab ipso legitimo matrimonii usu abest. Quare altius est petenda ratio, et agnoscenda illa quam, duce ipsa Scriptura, Patres passim exposuerunt, imprimis Augustinus.

Hanc quidem rationem Gutberlet non excludit; sed eam non censet plene sufficientem nisi pro protoparentibus, ob

[1] Op. cit., ch. v, p. 128. Et addit hoc sapientissimum et gravissimum monitum: « Il sera permis de faire observer à des auteurs qui se réclament du Christia- « nisme que les conceptions concernant la nature de l'homme et ses destinées futu- « res sont en étroite connexion avec l'idée qu'on se fait de son origine. Si l'homme « n'est pas autre chose qu'un produit de l'évolution de la vie terrestre, il semble « qu'il doive y être contenu tout entier, et on ne se figure pas bien en vertu de quoi « il la dépasserait. Il est d'autant plus étonnant que l'on admette à la légère relati- « vement à son origine, une affirmation qui n'a aucun droit à se donner comme une « conclusion scientifique » (Ibid., p. 127, sq.).

[2] Op. cit., cap. vi, § 2, n. 1. Translatum a versione italica.

subitaneam mutationem quam ipsi in seipsis experti erant. [1] Nec sane placet quod addit: « Absque dubio pudor erat natu-« ralis etiam homini nondum lapso; sed ob perfectum domi-« nium rationis et ob harmoniam quo totus constabat, clare « sciebat nihil adesse unde erubesceret; et hoc tempore talis « sensus nondum erat teleologice tam necessarius ac est « aetate nostra, in qua debet supplere defectui iudicii et « moralitatis ».

Si pudor intelligitur in sensu stricto, haec verba probanda non sunt; nam pudor habet fundamentum in erubescentia, ac proin deerat formaliter in statu originalis integritatis.

Quare longe melius est ut erubescentia intime connectatur cum amissa integritate et erumpente concupiscentia, quae maxime se manifestat in instinctu sexuali, cuius sedes sunt illa membra in quibus concupiscentia contra rationem dominatur. Inde pudor se extendit ad hominem totum, quatenus totus homo se sentit in sensualia proclivem. Quare quo magis anima sapit spiritualia, eo ingeniosius et fortius excolit verecundiam, quae non est dumtaxat consequens concupiscentiae iam erumpentis, sed mirabili quodam modo eiusdem praeveniens ne erumpat. [2]

d) Si quis sibi lector in rationibus longissime petitis complaceat, audiat explicationem sensus pudoris a R. Hohenemser suggestam: « Sexualis instinctus expleri nequit nisi « unione cum individuo alterius sexus. Talis unio tunc modo « intentum obtinet, quando eam concomitatur sympathicus « affectus; et quum unio physica sit arctissima, ad casum « vere idealem exigimus hunc affectum in summo utrimque « gradu. ... Sed insimul exigimus absolutissimam quae fieri « possit deditionem sui, et, quod in idem incidit, plenissi-« mam quae obtineri possit explicationem vitae propriae per-« sonalitatis. Quando in satisfaciendo instinctui sexuali defi-« cientem sentimus hunc personalem affectum, et exinde

[1] Haec sententia cl. scriptoris non nobis videtur theologicae traditioni satis consentanea; nec plane efficax est notula qua mentem suam quoad hoc explicare conatur.

[2] Hoc sensu placet quod scribit Gutberlet: « Maxime pudicae virgines sunt istae. « quae nullam habent ideam rerum de quibus erubescunt; quin et pudoris sensus « eas impedit ne in illas inquirant »

« nihil nobis obiicitur nisi sensatio sexualis cum adnexo « voluptatis sensu, tunc oritur possibilitas pudoris ».[1] Igiturne nemo sensum pudoris cognoverit, nisi aliquod huiusmodi experimentum fecerit? Talia, dum subtilia videntur quibusdam, non sunt nisi absona et vere pudenda.

Quaeres. - Adfuissetne pudoris sensus in statu naturae purae? - Responsio ad hoc quaesitum pendet a responsione superius data quaestioni de possibilitate creationis hominis innocentis in statu naturae purae. Iam vero si, uti docet damnatio propositionis Baii, admitti debet, hominem potuisse a Deo creari quales nunc nascuntur, admitti quoque debet in statu naturae purae, nondum lapsae, lucta inter carnem et spiritum, ac proin fundamentum erubescentiae, sensusque pudoris. In quo nulla esset inordinatio. Optime Card. De Aguirre: « Non perturbaretur ordo naturae ex eo quod concupiscen- « tia excitaret motus adversus rationem: quoniam nimirum « ipsa natura hominis, quatenus defectuosa est, ex unione « corporis ignobilis cum anima rationali, eam imperfectio- « nem subiit, ut possit inferior appetitus fieri in bona sen- « sibilia inconcessa, tamquam sibi propria ».[2] Et: « Licet « concupiscentia homini data sit bona, et saepe inclinet in « bonum sensibile rationi conforme; defectuosa tamen est, « quatenus etiam inclinat ad actus libidinis rationi contra- « rios. Quare laudabilis est pudor, qui eam corrigit et con- « tinet in officio ante lapsum, ac post lapsum rubore afficit ».[3]

Ex quo rursus sequitur, quantopere conditio primaevae integritatis, licet exigentias viresque naturae humanae exsuperet, sit tamen maxime dignitati entis rationalis, ac proin ipsi homini consona ut optime sit? Quare iure coniici potest, et hanc adfuisse Creatori rationem ut hominem conderet a concupiscentia immunem, ne haberet in seipso unde erubesceret. Quod tantopere verum est ut Suarez hominem in ordine naturali perfectum describat concupiscentiae fomite immunem: « Posset Deus condere hominem perfectum intra ordi-

[1] *Versuch einer Analyse der Scham. - Archiv f. d. ges. Psychologie E. Meumann,* 1903, p. 299. Translatum e versione italica.

[2] Op. cit., disp. cv, sect. 10, n. 93.

[3] Ibid. Lege totam hanc expositionem prorsus egregiam.

« nem naturalem, et sine fomite vel rebellione inter carnem « et spiritum, absque aliis peculiaribus privilegiis datis Adae « in primo statu, et ille status sic conceptus vocatur inte- « gritatis naturae, qui separabilis est a statu gratiae, ut ex « dictis constat, et praeterea distingueretur a statu origi- « nalis iustitiae, quia non haberet adiuncta privilegia, vel « immortalitatis, vel indolentiae, vel praeservationis ab omni « errore vel defectu veniali ».[1]

Caeterum, – quod et de tota oeconomia status naturae purae dicendum est, – copiosa adfuissent providentiae divinae adiumenta quibus homo, licet in naturali conditione relictus, in Deum necnon in naturalem exacta mortali vita beatitudinem sese ordinaret. Ad rem Card. Franzelin: « Sine dubio « falluntur, qui praesentem ordinem providentiae cum statu « naturae ita comparant, ut statum praesentem conside- « rent detractis omnibus auxiliis supernaturalibus et nullis « substitutis aliis, quam quae nunc sunt, adiutoriis natura- « libus, tum talem fore statum purae naturae sibi persua- « dent ».[2]

Vicissim dona supernaturalia possunt locum tenere mediorum necessariorum, quibus homo conducitur ad finem naturalem. Optime cl. Laminne: « Les dons surnaturels tout en « élevant l'homme à un ordre supérieur à la nature peuvent « en même temps tenir lieu de certains moyens qui lui sont « nécessaires pour attendre sa fin naturelle ».[3]

Corollarium I. – Quum Scriptura ipsa nos doceat reverentiam debitam pudori, damnandus est prorsus abusus qui, artis specie, in ipsis ecclesiis et passim in sacris imaginibus sive sculptis sive depictis pudorem offendit. Si Christus vendentes et ementes flagellis expulit e templo, quia domum Dei converterant in speluncam latronum, quanto zelo purgandae essent ecclesiae istis imaginibus, quae, nedum devotionem nutriant, concupiscentiam potius instillant et ad peccata incautos inducunt! Qui abusus dupliciter est damnandus ubi, contra veritatem dogmaticam, hic pudor neque in hisce sce-

[1] Op. cit., l. III, c. 21, n. 46.
[2] *De habit. rationis humanae ad divinam fidem*, c. 4, § 3
[3] Op. cit., ch. III, p. 57.

nis servatur, in quibus ab ipso Deo inculcatur. [1] Neque excusatio inde petatur quod artificis intentio fuerit recta, ab omni seductione sensuali aliena; aut quod exhibeantur scenae vitae ultramundanae, in quibus nulla amplius corporum adhibebuntur velamina. [2] Attendenda enim est debili-

[1] Ita in Sixtino sacello Michaël Angelus Buonaroti protoparentes a Deo e paradiso eiectos adhuc repraesentat omnino nudos, quod narrationem sacram graviter offendit. Idem dic de scena cap. *Gen.* IX. Si textus sacer laudat verecundos filios, quia patris nuditatem operturi neque adspexerint, ecquid haec scena ita depingitur, ut ad ignobilem hanc nuditatem contemplandam spectatorem invitet?

[2] Ita in eodem sacello omnino excluso pudoris sensu iudicium ultimum representabatur.* Tales excessus, qui vix postea possunt emendari,** eo magis sunt lugendi, quo procacius neo-pagani liberiore gustu in ecclesias tempore dictae renascentiae ***

* Ferunt quemdam praelatum hanc nimiam libertatem animose reprobasse. Quem illico irascibilis artifex inter damnatos depinxit. Qua de re quum apud Pontificem conquereretur, Papa ad eum: « In quonam loco te posuit? – In inferno, Pater Sancte! – In purgatorio collocatum, te inde eruere possem. Nunc autem quid agam? In inferno enim nulla redemptio ».

** Exemplo sit muliebris illa statua ad pedes Pauli III in basilica Vaticana iacens, quae metallica dein veste iussu Urbani VIII induta tam morbida curiositate invisi et percuti solet, ut fideles ab orando ad Petri cathedram prope arceantur.

*** De duplici renascentia, altera falsa et pagana, altera vera et christiana, docte scripsit Ludov. Pastor, *Storia dei Papi*, t. I, p. 14 sqq. – trad. Mercati, Roma, Desclée, 1910. – Cf. I. B. DE ROSSI, *Bollettino di Archeol. cristiana*, 1890, p. 92 sqq. Quantopere pagani mores, antiquae artis specie, hac aetate grassarentur, ostendunt non solum scripta humanistica, – v. gr. Laurentii Vallae *De Voluptate, ac vero Bono*, Antonii Beccadelli, dicti Panormitani, *Hermaphrotidus*, Poggii Bracciolini *Facetiae*, sed pessimum Sodomae vitium, quod, peste quavis peius, tam nefande nonnullas Italicas urbes, uti Neapolim, Florentiam, Senas, Luccam, Venetias deturpabat, ut Concilium Constantiense gravem hac de re querelam moverit. Quid mirum, si haec artis antiquae aura impetu exclusivo insufflans, Christianae priscae artis sensum extinxerit?

De zelo prope vandalico quo, conquerentibus et Michaële Angelo et Raphaële Sanzio, venerabilis basilica in honorem principis Apostolorum a Constantino erecta et saeculorum decursu novo splendore cumulata, a Bramantio, Ruinantio a coaevis nuncupato, – delecta fuit, ut sumptuosae moli novae basilicae cederet, bene scripsit Lud. Pastor (*Storia dei Papi*, t. III). Cf. et iucundam satyram, forma dialogi inter S. Petrum et Bramantium, Mediolani anno 1517 editam, cui titulus *Simia*. Nec ipsi S. Petri sepulcro pepercisset peritus at irruens architectus, nisi Iulius II huic proposito totis viribus restitisset.

Qui aliqualem cupit habere ideam huius mirae aetatis, in qua christiana paganis, sacra discolis, trucibus blanda permiscebantur, legat v. gr. autobiographiam genialis illius sculptoris ac incisoris cui nomen Benvenuto Cellini. Quam, ipse sui temporis synthesis, ita pie exorditur:

Questa mia vita travagliata io scrivo
Per ringratiar lo Dio della Natura,
Che mi die' l'alma e poi ne ha 'huto cura;
Alte diverse 'mprese ha fatte e vivo.

tas conditionis praesentis, a qua non sunt exempti fideles artis opera conspecturi. [1] Quare, si in alterutrum excessum sit labendum, melius est, imprimis in arte sacra, nimia austeritate quam nimia libertate peccare.

Corollarium II. - Quod de arte diximus, et de vestitus modestia valet, praesertim fidelium in ipsis Ecclesiis. Quidquid ibi pudorem offendit, etiam levissime, aliquid secum fert sacrilegi. Unde iam ipse Apostolus hac de re monita scripsit. Quod maxime attendendum est in accedendo ad sacram synaxim, ne non solum aliorum fidelium oculi, sed

inducto solent abuti * ut, ope inverecundae artis in monumentis et in plateis ostentatae, paganos quoque mores insinuent. Caveant proin illi quibus munus rei publicae bono invigilandi incumbit; neque sinant specie fallacis theoriae *ars arti, l'art pour l'art,* – quasi quidquid quaevis ars tangit, veluti sacraret, ** – pudicitiae decus simul et vigorem in populi sinu praefocari.

* Ita nuper actum est Romae. Quum honesti cives protestarentur contra procaces nymphas quae fontem in platea ab Exedra dicta erectum deturpant, quarum maxime lascivia proximo templo B. M. Virginis Angelorum insultare videtur, defensores huius lupanareae artis ad opera depicta vel sculpta quae in Urbis ecclesiis cernuntur, falso quidem, ob paritatis defectum, sed non sine quadam veritatis specie appellarunt.

** Ait quidem Michaël Angelus, « omnem pulchritudinem esse religiosam, quum « omnis perfectio propius admovet Deo ». Sed quid, quaeso, verae pulchritudini commune cum huiusmodi arte luto ad lutum orta?

[1] Modeste idem iudicium de Sixtino sacello, caeteroquin mirabili, – iure auctorem salutavit Ariostes: « Michel più che mortal, Angel divino », – tulit Pastor: « Per « quanto questi nudi debbansi ammirare dal punto di vista meramente artistico, pure « in una cappella essi appaiono offensivi per qualche occhio ». * Longe severius alii scriptores non Christiani, uti Taine, sunt locuti. Ipse Byron confessus est, artis opera quae in italicis ecclesiis passim intuebantur, pessimum in suos mores exercuisse influxum.

In libro cuius titulus *Rome,* Francis Wey de Sixtino sacello haec scribit: « Elle « est tellement supérieure aux conceptions ordinaires, si victorieusement docte et « si impérieusement enseignante, que dans le domaine de l'art elle a changé la face « du monde en arrêtant tout net l'élan spiritualiste de l'Italie. Ainsi le même homme « qui dans la statuaire avait préparé l'apogée de l'esthétique moderne, qui l'avait « élevée à d'inaccessibles hauteurs par ses premières fresques, ce même génie subit « avant tous autres les dangers de ses doctrines; il inaugura l'ère de décadence par « une page immortelle: le *Jugement dernier,* manifeste et premier monument d'un « système qui mènera l'art à sa perte. » ** Rectissime quidem quoad conclusionem. Sed si propriis suis principiis Michaël Angelus ad hos excessus devenit, estne verum, huius ingenii initia artem ad tam sublime cacumen attulisse? Si formarum peritiam intendis, concedo; si spiritualem halitum, nego.

* Op. cit., t. III, 776 sq. iuxta versionem Mercati.

** Ch. XXVII, p. 645.

ipsius sacerdotis augustissimum Sacramentum porrigentis in tam sacro ministerio offendantur. [1]

Corollarium III. - Nexus qui ex intima primi hominis constitutione apparet inter servatum divinum praeceptum et servatam immunitatem a concupiscentia, ostendit quam fatali veluti consequentia ex rebellione mentis in Deum sequatur sensuum in spiritum rebellio et moralis deiectionis servitus. Optime id nuper evolvit doctus et pius Archiepiscopus Perusinus Ioannes Beda Cardinale O. S. B. « Imme« diata conseguenza dello stato di cose ora descritto » (locutus erat de ignorantia religiosa in dies magis magisque grassante) « è la corruzione dei costumi, altro male che dobbiamo « deplorare nella gioventù. Negata la sanzione soprannatu« rale con cui vengono punite le trasgressioni ai divini pre« cetti, cancellata quella legge eterna ed immutabile che, « data da Dio, è principio supremo e indefettibile di mora« lità, soffocato quel sentimento religioso che all'irrompere « violento delle passioni ed alle lusinghe dei sensi è freno « unico e validissimo; si comprende molto bene come il gio« vane, lasciato in balìa di se stesso, esposto ai pericoli più « gravi, impegnato in una lotta diuturna e formidabile, « cominci a scivolare nel cammino del vizio, dove fatti i « primi passi, si corre di abisso in abisso ». [2]

Hunc nexum iam expresserat Psalmista: « Dixit insi« piens in corde suo: non est Deus. Corrupti et abominabiles « facti sunt in studiis suis ». Et Paulus: « Quia cum cogno« vissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias « egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscu« ratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse « sapientes, stulti facti sunt. ... Propter quod tradidit illos « Deus in desideria cordis eorum, ... in passiones ignomi-

[1] Recte proin Illmus Nicolaus Monterisi in epistola pastorali cui titulus: *Benediciamo il Signore,* postquam minas Isaiae* adducit ad damnandam *la moda procace,* addit: « Isaia aggiungerebbe oggi che certa moda profana fino le Chiese ».**

[2] *Lettera pastorale per la S. Quaresima 1918.*

* Is., c. III.

** *Lettera Pastorale di Mons. Nicola Monterisi, vescovo di Monopoli al Clero e al Popolo della sua Diocesi per la Quaresima del 1907,* 6ª ediz. - Padova, stab. tip. del *Messaggero,* p. 13.

niae ».[1] Et pergit Romanae « culturae » pessima vitia enumerando. Ad quae iuste addit Cardinalis Mercier: « Cette « description morale de l'Apôtre équivaut à une loi. Dès « que l'homme se détourne de Dieu, il est bien près de « descendre dans la fange du vice ».[2]

ARTICULUS III.

UTRUM ADAM HABUERIT OMNES VIRTUTES.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Hoc interest inter passionem et virtutem, quod passio per se non dicit nec malum nec bonum; dum virtus sonat per se bonum. Potest tamen per accidens immisceri malo, quatenus exercetur circa obiectum quod non adesset, si virtutem exercens foret a malo liber. Inde huius quaesiti ratio et cum praecedenti articulo nexus.

2) Quare eiusdem solutio obtinetur conferendo obiectum virtutum cum bonis et malis de quibus ibidem egimus, necnon cum modo quo passiones sese in statu originalis iustitiae et integritatis circa utraque exercebant.[3] Aliis verbis: quidquid, iuxta schema superius expressum, in actu virtutum supponit malum praesens (*A*, 1°) vel bonum nondum habitum et cum tristitia expectatum (β), insuper luctam ne passiones proprie dictae exsurgant (*B*, 2°), demum quidquid ab inordinatione concupiscentiae provenit: haec omnia ab *actu* virtutum in innocentiae statu sunt excludenda, deficiente substrato.

3) Ideone quoad illa nihil prorsus virtutis erat in Adamo? Hic distingue inter actum et habitum, saltem implicitum et genericum, qui concipitur ad modum dispositionis habitualis, conditionalis; quatenus ex ipsa morali perfectione in qua subiectum constituitur, non posset in huiusmodi actus non prorumpere, si requisita ad hoc praesto essent: v. gr. non posset de anteactis malis non poeniteri, miseriae proximi non succurrere, in membris concupiscentiam non cohibere, etc.

[1] Ps. LII, 1, 2 – Rom., 21 sqq.
[2] *Mandament de Carême*, 1917.
[3] In *Corpore*, art. 2.

4) Haec patent de imperfectionibus quae sunt malae, ac proin statui integritatis repugnant. Quid iam de imperfectionibus quae involvunt quidem absentiam alicuius boni, non autem sunt malum perfectioni huius status repugnans? – Respondetur de illis vix movendam esse quaestionem. Etenim circa huiusmodi imperfectiones, tum in intellectu tum in voluntate, libere se exercere possunt, non solum habitus virtutum impliciti, sed et expliciti per actus specificos determinatos. Tales sunt actus fidei et spei, qui supponunt, nondum videri quae creduntur, nec possideri quae sperantur. Etenim vidimus, in art. 1° Quaest. praecedentis, et in art. 2° Quaest. praesentis, statum innocentiae non exigere visionem Dei, ac proin non refugere a fide et ab expectatione, omni experte tristitia, boni nondum acquisiti, sed tempore congruo aequa mensura acquirendi.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non considerat dicta in *Corp.* praec. art. quantum ad *B*), quasi de essentia passionum sit quod excedant. Inde discrimen inter refrenare et moderari. Indomitus equus indiget refrenari; iam domito sufficit moderamen.

2ª Obi. Duplici laborat vitio. *a*) Non distinguit inter virtutis exercitium circa malum quod est in altero, et circa malum quod est in ipso virtutem exercitante. Hoc repugnat in statu innocentiae, non autem illud. Quod ex malitia demonum satis constat, circa quam utique, eam detestando, Adam amorem Dei exercere poterat.

b) Insuper non distinguit inter virtutes quae se exercent unice circa passiones cum statu innocentiae incompossibiles, et virtutes quae, utpote latius habentes obiectum, sese exercent simul circa illas passiones et circa alias cum eodem statu compossibiles. Actus priorum passionum in hoc statu undequaque repugnant, eodem titulo quo passiones, quas uti obiectum unicum supponunt; non autem repugnant actus posteriorum, sub generica quippe ratione, quae complectitur quoque passiones quae possunt cum statu perfectionis componi.

3ª Obi. Non distinguit inter habitum virtutis et actum.

4ª Obi. Confundit in perseverantia illud quod est vir-

tutis habitus, et illud quod est eiusdem modus vel accidens.

5ª Obi. Arguit ac si visio beatifica nondum obtenta, esset malum; vel non distinguit inter aenigma in oppositione ad visionem, et in oppositione ad luciditatem mentis in statu originali. In priori sensu Adam cognovit in aenigmate; in altero vero sensu non. Iam vero fides est cognitio aenigmatica in sensu concesso. Ergo.

Sed contra est. Corroboratur praesens doctrina per argumenta quibus elevationem Adami ad statum supernaturalem probavimus. Quare oportuit ut in primo homine gratia esset coronata virtutibus; quamadmodum (salva proportione) Christus habuit virtutum plenitudinem; quemadmodum et nos quoque per Christum in omni virtute renovamur, non minus quam in gratia. Et sane cur non creavit Deus Adamum in statu confirmato, nisi ut hanc posset confirmationem obtinere per merita? Iam vero per quaenam merita, nisi per actus virtutum? - Quo spectabat mandatum a Deo indictum Adamo, nisi ut per humilem, fidelem obedientiam sibi acquireret perseverantiae coronam?

En verba S. Augustini heic a S. Thoma allata: « Prin- « ceps vitiorum dum vidit Adam de limo terrae ad imaginem « Dei factum, pudicitia armatum, temperantia compositum, « charitate splendidum, primos parentes illis donis ac tantis « bonis expoliavit, pariterque peremit ». [1] Brevius idem docet S. Ambrosius: « Non est dubitandum, hominem ante pecca- « tum virtutibus fulsisse; sed illis per peccatum spoliatum « fuisse ». [2]

In Corpore. Duplex pars in hoc doctrinae corpore distingui potest. [3] *In prima* S. Thomas definit virtutes, in earum relatione ad rectitudinis statum; ubi ostendit tantopere eas cum eadem rectitudine coniungi, ut cum ipsa quasi identificentur. Quod, si de statu quoad habitus virtutum verum est, iam de vita in hoc statu per actus virtutum erit verum quoad generalem plenitudinem virtutum.

[1] *Homil. in Conc. ad catech.*, c. II a med.

[2] Cf. Ven. J. D. Scoti *Summa theologica ... iuxta Summam S. Thoma concinn.* per Fr. Hier. de Montefortino, hoc loco.

[3] Cf. Mag. Sent. II, XXIX, c. 2. Cf. S. Ioann. Chrysostomum homil. 16 in *Genes.*

In secunda parte S. Doctor ad singularia descendit. En schema huius expositionis:

- Adam habuit virtutes:
  - *A*) quae nullam imperfectionem important: — *simpliciter* (uti iustitia et charitas): — quoad habitum et actum;
  - *B*) quae important aliquam imperfectionem (ex actu vel ex materia):
    - 1) si sit imperfectio *non repugnans* primo statui (uti in fide et spe): — quoad habitum et quoad actum.
    - 2) si *repugnans* (uti in poenitentia et misericordia):
      - *a*) non quoad actum, sed
      - *b*) quoad habitum (virtual. condition.).

Corollarium. - Collige ex toto articulo, quomodo respondeas quaesito: utrum in primo statu hominis aeque late pateant passiones et virtutes. - Resp. latius patere virtutes propter tria: 1) quia virtutes sunt quoque de obiecto intellectus, v. gr. fides; - 2) quia aliquae virtutes habent amplitudinem maiorem quam passiones (cf. resp. ad 2); - 3) quia etiam ubi actus virtutum redditur impossibilis, remanet aliqualiter habitus (*B*, 2).

ARTICULUS IV.

UTRUM OPERA PRIMI HOMINIS FUERINT MINUS EFFICACIA AD MERENDUM QUAM OPERA NOSTRA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Hucusque consideravimus, quoad gratiam, passiones et virtutes, statum primi hominis in se absolute; superest ut illum contemplemur relative ad statum naturae reparatae. Quam quaestionem iam partim in praeambulo ad art. 1m breviter praeoccupavimus, de habitudine quaerentes inter gratiam Adamo collatam et gratiam a Christo derivatam.

Antequam ad hanc quaestionem accedamus, iuvat praemonere, in titulo praesentis articuli verba: « quam opera nostra » intelligenda esse de operibus factis ex gratia. Etenim in tractatu nostro de gratia illustrabimus, opera mere naturalia, etsi bona in se, nihil conferre ad salutem nec ad meritum vitae aeternae.

Iam vero de operibus primi hominis duo quaeri possunt: *a*) an et undenam meritoria fuerint; – *b*) utrum aeque aut imo magis meritoria fuerint quam nostra. De utraque quaestione pauca sint.

2) Meritoria fuisse opera primi hominis ante lapsum, ex tota oeconomia gratiae constat. Huc enim, uti modo diximus, spectat probationis stadium creaturae elevatae, ut bono usu gratiae valeat iam meriti titulo idipsum acquirere, quod naturae solius vires infinite superat. In quo praecise consistit admirabilis illa benignitas Dei creaturam elevantis et in summae beatitudinis finem propriis ipsius actibus, opitulante sane gratia, destinantis.

Unde meritum Adami, sicut et Angelorum, est prorsus agnoscendum. Et si Adam stetisset, stando meritum acquisivisset, quemadmodum et Satanae resistendo fideles Angeli meruerunt in sanctitate confirmari.

Principium autem huius meriti esse in charitate libere obiectum amplectente, non autem in passionum lucta viriliter superata, superius ostendimus in tract. *De Verbo incarnato,* agentes de meritis Christi.

Quare recedendum heic est a Magistro ubi ait: « Resi- « stere malo et non consentire tentationi, non fuisset illi « (Adamo) meritum, etsi non consensisset: quia nihil in eo « erat quod ad malum impelleret; sicut Angelis qui non « ceciderunt, non fuit meritum quod steterunt, id est quod « non corruerunt. Nobis autem meritum est aliquando, si « malum non facimus, sed resistimus, ibi dumtaxat ubi « causa subest quae nos facere id movet: quia ex peccati « corruptela proni sunt ad lapsum gressus nostri; ubi autem « non intervenit causa nos ad malum impellens, non mere- « mur, si ab eo declinamus. Declinare cum a malo semper « vitat poenam, sed non semper meretur palmam ».[1]

Quae si vera esset doctrina, possibilitas declinandi in malum esset de essentia meriti, quod in Christo et in B. V., in gratia confirmata, iam falsum apparet. Vitium autem huius doctrinae est, quod in merito tamquam essentiale considerat elementum quod potest quidem adesse, imo et me-

[1] II, D. XXIV.

ritum stimulare; at quod non est in merito nisi accidentale. De essentia autem meriti duo dumtaxat requiruntur: 1°) nondum possideri illud quod est merito obtinendum, quae est conditio sine qua non; 2°) in illud sese extendere liberam charitatem, sive immediate, sive mediate per aliquam virtutem, cuius tamen radix sit charitas.

3) Ex dictis iam patet undenam petenda sit solutio alterius partis quaesiti. Heic autem uti fundamentum ponenda est veritas in primo articulo vindicata: Adamum scilicet habuisse iustitiam supernaturalem proprie dictam, quae eiusdem indolis est ac iustitia per merita Christi lapso humano generi reddita. Quo posito a priori apparet, caeteris paribus, conditionem post peccatum in peius esse mutatam. Unde et liquet, caeteris paribus, capacitatem merendi debuisse esse maiorem ante quam post peccatum. Haec autem excellentia primae conditionis, sive primi status quoad meritum, undenam proveniebat, quomodo sese exprimebat? Proveniebat, tamquam a radice, a plenitudine charitatis, qua homo ferebatur in Deum. Exprimebat autem se operibus maioribus, quae pro Deo faciebat, vel facere potuisset. Priori adspectui, nempe charitati in Deum fortius tendenti, respondebat praemium essentiale: fruitio scilicet ipsius Dei; alteri, id est, operibus usum creaturarum in Deum vertentibus, correspondebat meritum accidentale: gaudium in Deo de bono creato.

4) *Obiicies.* Quid iam de difficultate quacum opera bona in statu lapso fiunt. Nonne difficultatem superare, merito est vertendum? Nonne proin magis meretur homo in statu praesenti quam in statu innocentiae?

Primo adverte, hanc quaestionem differre multum a positione Lombardi. Hic negat meritum ubi non est difficultas superanda; obiectio autem contendit, meritum difficultate augeri.

Solutio huius quaestionis, etsi subtilioris, non est tamen longe petenda. Difficultas quam aliquis experitur superandam, potest ad duplicem fortem reduci: vel ad *minorem charitatem,* vel *ad minorem naturae perfectionem.* Si prius tantum, meritum difficultate minuitur potius quam augetur, non

quia difficultas superatur, – quod sonat absurdum, – sed quia ipsa praesentia difficultatis est indicium minoris charitatis. Si alterum tantum, meritum per difficultatem augetur, supposito utrimque eodem gradu charitatis. Si utrumque simul occurrunt, meritum erit minus quoad essentiam, poterit tamen maius dici quoad accidens.

Haec doctrina de adaucto merito crescente charitate, licet crescente charitate minuatur difficultas, est omnino tenenda, ne in absurda deveniatur. Secus enim charitas, et quaecumque in charitate radicata virtus, eo minus fieret meriti foecunda quo magis in seipsa proficeret. Quod omnino absit. Hoc sensu, de difficultate decrescente ex ipsa crescente charitate, ait S. Benedictus in Prologo ad Regulam suam: « Si quid paululum restrictius, dictante aequitatis ratione, propter emendationem vitiorum vel conservationem « charitatis processerit (en stadium in quo, propter vitio« rum stimulos et debilitatem charitatis, difficiliora reddun« tur bona opera), non illico pavore perterritus, refugias « viam salutis, quae non est nisi angusto initio incipienda. « Processu vero conversationis et fidei (id est omnium vir« tutum), dilatato corde (remota scilicet gravedine luctae « inter oppositas inclinationes), inenarrabili dilectionis dul« cedine curritur (faciliori nempe gressu, imo potius volatu « quam gressu) via mandatorum Dei ». Iam vero quis dixerit, monachum eo minus mereri, quo magis charitatis et virtutum augmentum ei mandatorum viam faciliorem reddit?

Firmum igitur stet, mensuram essentialem meriti desumendam esse a principio essentiali operis supernataralis, id est a charitate, cuius promptitudo in amante non mensuratur ab operis arduitate, sed ab intimo cordis affectu.

5) *Instabis.* Nonne saltem admitti debet, ad bonum operandum, efficaciorem requiri gratiam in statu lapso reparato ac requirebatur in statu innocentiae originalis?[1] Iam vero quum meritum petatur a gratia, nonne inde sequitur, in statu praesenti opera esse magis meritoria? – In hoc modo urgendi difficultatem duo confunduntur, quae in se sunt valde

[1] Cf. Scotus (op. cit. hoc loco). Hoc sensu scribit Augustinus, conferens gratiam qua indigent sancti post lapsum et indigebat Adamus ante lapsum: « Maior libertas

distincta: maior impulsus gratiae ad effectum obtinendum, et ipsius operis meritum. Non quaeritur hic de primo, sed de altero.

6) *Instabis iterum.* Nonne facta probant, maiorem fuisse gratiae vim in magnis V. Test. viris, – ut de N. Test. Sanctis taceam, – v. gr. in Iob, in Abraham, aliisque, qui maximas tentationes fortiter superarunt, quam in Adam, qui tam levi tentatione victus est?[1] – Quousque levis fuerit Adae tentatio, infra ponderabitur. Caeterum hic instituitur comparatio status ad statum, non personarum ad personas.

7) Hucusque disseruimus de utroque statu per se considerato. Iam aliquid superaddendum manet ex relatione quam habet status reparatus ad gratiam Christi.[2] Quemadmodum enim in Christo gratia Capitis in immensum gratiam primi Adami superat, ita nihil a priori obstat quominus a Christo in ipsius membra charitas effluxerit maior, quam fuit illa cum qua Adamus conditus erat; ex quo sequeretur, non quidem hominem esse melioris conditionis post peccatum; sed abundantiorem esse gratiam reparationis quam fuer gratia integritatis. Quam superabundantiam iam ab Apostolo praedicatam Ecclesia ipsa celebrat dum exclamat: « O felix culpa! ». Et re quidem vera, nonne gratia B. Virgini collata prioris Evae gratiam superavit? Qua admissa regula, non uti in omnibus, sed in praecipuis Christi membris contingente, iam ipsa lucta cum imbecillitate naturae lapsae, – quam Christus, naturae lapsae reparator, de medio tollere potuisset, – relicta est ad meriti augmentum, eo sensu quo supra diximus, et quo Christus Apostolo de eadem conquerenti respondit: « Virtus in infirmitate perficitur ».[3]

« est necessaria adversus tot et tantas tentationes, quae in Paradiso non fuerunt ». * Hinc et discrimen famosum iuxta Augustinum inter adiutorium sine quo non, – quod Adamo sufficiebat, – et adiutorium quo indigent sancti ut perseverantiam consequantur. De quo discrimine iam alibi diximus, et in tractatu *De gratia* plura dicemus.

[1] Cf. pariter Scotum, ibid.

[2] Cf. addenda de hoc adspectu in appendice, ubi S. Bonaventurae mentem exponemus.

[3] Gal., xii, 9.

* *De corrupt. et grat.*, c. 12, n. 35. - *P. L.*, t. xliv, col. 939.

8) Scotus comparationem hanc ulterius urgens, propositionem sequentem statuit: « Longe efficaciora ad meren- « dum existimamus opera de instinctu charitatis procedentia, « pro decursu legis Evangelicae ac fuerint a primis paren- « tibus repraesentata, et a Patribus, qui ex observantia legis « naturae et scriptae Deo placuerunt ». [1] Quam suam thesim demonstrare conatur ex maiori efficacia sacramentorum Christi. Obiicienti autem sibi, iam ante Vet. Testamentum gratiam Christi esse operatam, respondet: « Iuxta obsequium « exhibitum ad magis bonum acceptatur quam praevisum ». [2] Sed caute est haec ratio adhibenda. Summus enim gratiae triumphus, Immaculata Conceptio B. M. V., debetur meritis praevisis Filii sui Redemptoris. Caeterum iuxta modo dicta concedi potest, abundantiorem dari effusionem gratiae in N. Testamento quam sub Lege timoris et naturae. Comparatio autem hic instituitur inter statum iustitiae originalis et statum naturae lapsae reparatae.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Confundit indigentiam gratiae ex dignitate supernaturali operis (quae utrobique est eadem), et indigentiam ex indignitate positiva (per peccatum), et ex imbecillitate (in peccato), quae ante lapsum erat nulla, multa autem est post lapsum. Sed, licet gratia inde maiorem ut ita dicam gratuitatem accipiat; non ideo opus ad quod datur, merito crescit. Quod esset demonstrandum.

2ª Obi. Arguit ex merito quod crescit crescente pugna. Sed maior huius argumenti esset probanda; quod non praestatur per auctoritatem allatam ex Scriptura. Aliud enim est, in statu in quo luctandum est, non coronari nisi qui legitime certaverit; aliud, in alio statu, in quo haec lucta abest, neminem posse coronari. Secus, qui nimis probat, nihil probat. Nam si verba Pauli haberent hunc sensum, sequeretur, opera non solum esse magis efficacia in praesenti statu ad merendum, sed in primaevo statu nullam efficaciam habuisse deficiente pugna.

Responsio S. Thomae ita potest in forma poni. Ideo difficultas et pugna pertinent ad rationem meriti, quia osten-

[1] *Oxon.*, IV D. 2, q. 1, n. 2.
[2] Ibid., D. II, q. 1, n. 9.

dunt promptiorem voluntatem. Atqui haec promptior voluntas potest etiam sine difficultate et pugna adesse. Ergo sine illis et meritum, imo aequale. Cui responsioni sane optimae adde iuxta dicta superius: Imo, si imminutio difficultatis provenit ex adaucta promptitudine voluntatis, secundum axioma Augustini: « ubi amatur, ibi non laboratur », quo minor difficultas, eo maius meritum.

3ª Obi. Quousque haec obiectio iuxta mentem Lombardi solvatur, ex supra expositis apparet. De possibilitate autem resistendi sine gratia ante lapsum, fusius tractabimus, ubi data opera de gratia agemus.

Sed contra est. Principium hic positum intelligendum est iuxta ea quae supra n. 5 superaddendum duximus. Nec intendit S. Doctor ullo modo negare superabundantiam gratiae Christi. Sed conditio melior, quae ex hac superabundantia etiam quoad meritum consequitur, non provenit ex statu lapso, sed ex maiori gratia.

In Corpore. En doctrinam schemate expressam:

Merita primi hominis cum nostris meritis collata:

- *A)* si pensantur ex *radice* charitatis et gratiae: sunt *maiora:* → meritum generans premium *essentiale;*
- *B)* si ex *operis quantitate:*
  - 1) *absoluta,* sunt *maiora:*
  - 2) *proportionata,* sunt *minora:*

  → meritum generans premium *accidentale.*

Reliqua patent.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Primum hominem fuisse in gratiae rectitudine creatum, auctoritate Ecclesiae totaque salutis oeconomia absolute constat, et validissime suadetur ex amissis per culpam praeternaturalibus bonis (art. 1). Porro haec rectitudo admittebat omnes passiones illas quarum obiectum nihil mali, nec modi excessum in hoc statu ponit (art. 2). Virtutes autem habuit primus homo quoad actum et habitum eas omnes, quarum obiectum nullam involvit imperfectionem cum hoc statu incompossibilem; reliquas habuit quoad habitum virtualem

(art. 3). Quae virtutes, ex maiori charitate maiorique capacitate naturae, non autem ex maiori lucta, maius quam in nobis meritum producebant (art. 4).

Appendix de doctrina S. Bonaventurae.

Utile ducimus de argumento huius Quaestionis penitius exhibere mentem S. Bonaventurae, tum ob singulare eiusdem argumenti momentum, tum quia Seraphicus Doctor in uno quaestionis adspectu non eamdem sententiam ac S. Thomas propugnat.

S. Bonaventura investigat tria: 1) utrum in statu innocentiae homo gratia eguerit, 2) utrum eam habuerit, 3) quantam gratiam habuerit; quod triplex quaesitum geminata subdivisione evolvit.

1) Exorditur quaerens « utrum absque dono gratiae homo « esset Deo acceptus in statu innocentiae ». Liceat responsum, etsi longius, prope integrum afferre, quia corroborat efficaciter ea quae in dissertatiuncula nostra praeliminari de ordine supernaturali praelibavimus.

Incipit S. Doctor distinguendo varios modos quibus potest dici aliquid acceptari a Deo. « Dupliciter contingit dicere « aliquid acceptari a Deo: uno modo quadam acceptatione « generali, ut idem sit acceptare aliquid, quod reputare « bonum et in bono conservare; et hac acceptatione non « tantum acceptatur creatura rationalis, sed etiam omne « opus Dei. Est etiam alia acceptatio specialis, qua Deus « dicitur acceptare illud quod dignum reputatur aeterna bea« titudine; et tali acceptatione non acceptat Deus nisi crea« turam rationalem; illa enim sola est, quae eius capax est « et particeps esse potest ».[1] Quae capacitas est ipsa potentia obedientialis de qua superius diximus.

Ut autem creatura rationalis de facto acceptetur hac acceptatione speciali, oportet ut Deus speciali modo circa eam operetur. Quam operationem ope triplicis imaginis illustrat. « Hanc autem creaturam rationalem tunc acceptat, « cum consecrat in templum, et adoptat in filium et assumit

[1] Cfr. Augustinus, *De Trin.*, l. xiv, c. 8, n. 11.

« in coniugium. Nam animae sanctae quae Deo placent, et di-
« cuntur templum Dei et dicuntur filiae Dei et dicuntur spon-
« sae Dei, secundum quod colligitur ex N. et V. Testamento ».

Hoc praemisso S. Doctor demonstrat, specialem hanc acceptationem per hanc operationem specialem Dei non posse compleri absque dono exsuperante naturam. « Primum genus « acceptationis non requirit superaddi donum gratiae ultra « ea quae sunt de conditione naturae ». Quae acceptatio exprimitur per verba *Geneseos:* « Vidit Deus cuncta quae « fecerat, et erant valde bona ».[1] Quibus verbis liquet Manichaeismum convelli.

« Secundum vero genus acceptationis non potest non esse « gratuitum, tum propter gratuitam Dei condescensionem, « tum propter creaturae exaltationem ultra terminos sive « status naturae ». Vide quam eleganter duplici veluti gestu, quae summe distabant, iam intime coniuncta describuntur. Utrumque S. Doctor evolvit redeundo ad triplicem imaginem superius e Scripturis desumptam.

« Gratuita namque condescensio in huiusmodi acceptatione requiritur. Quod enim Deus immensus habitare velit « in anima uti in templo, quod iterum velit servum reputare « pro filio, quod ancillam assumere velit in coniugium; hoc « nemo dubitat esse gratiae et condescensionis liberalissimae ».

Huic condescensioni necessario respondet sublimatio, iuxta verba Virginis in suo cantico: « et exaltavit humiles ».[2] « Creaturae etiam sublimatio in tali acceptatione ultra statum « naturae reperitur ». Quod illustrat ostendens disproportionem inter proprietates naturae et excellentiam qua fiat Dei templum, filius et sponsa. Nam haec tria sunt intelligenda « non secundum tropum et transumptionem, sed secundum « veritatem aut proprietatem ». Quum igitur haec tria sint « supra naturale complementum omnis creaturae », - adverte vocabulum « omnis », ergo et angelicae, imo et omnis creatura possibilis, - non possunt produci « per aliquam proprietatem naturae », sed exigunt « aliquod donum gratiae

[1] Gen., I, 31.
[2] Luc., I, 52.

superadditum ». Quodnam, nisi gratiam proprie dictam? « Haec omnia facit gratia gratum faciens ». Conclusio est manifesta: « Et sic patet quod homo in statu innocentiae « gratia gratum faciente indiguit ad hoc ut Deo placeret ».[1]

Potuisset hic sistere S. Doctor. Sed novam veluti distinctionem addit, quam nova ratione, licet minus stringente, corroborat. « Et haec necessitas sumpta est ex parte modi « acceptandi. Posset nihilominus et alia ratio sumi ex parte « acceptantis ». Quam tamen rationem, putamus non esse intelligendam de necessitate, sed de maiori convenientia. « Deus enim, qui omnia fecit in gloriam suam,[2] et nullius « indiget, potissime requirit a creatura rationali honorem.[3] « Et quia honorem Deo exhibemus quando in ipsum omnia « referimus tamquam in omnium auctorem et finem, non « decrevit Deus hominem perducere ad perfectionem glo- « riae per aliquid, quod ortum haberet ex principiis natu- « rae, sed per munus additum naturalibus, ut ex hoc homo « Deo magis gratus existeret et totius salutis suae opus Deo « tribueret ». Uti apparet, stamus in ordine positivo divinae Providentiae. Nam potuisse Deum hominem destinare ad beatitudinem mere naturalem, attingendam per laudem, quam fideli et subdito corde viribus suae naturae Deo tribueret, non potest negare nisi ille, qui statum supernaturalem uti homini necessarium erronee fingit.

Ultimae obiectioni sub dilemmatis forma depromptae ex possibilitate ut Deus crearet « aliquam creaturam tantopere « bonam, quod ex puris naturalibus sibi placeret », S. Bonaventura ita pulchre respondet: « Etsi ipse (Deus) posset « omnia tamquam omnipotens, natura tamen non esset « capax, unde impossibilitas venit ex parte creaturae. Si enim « hoc faceret, nihil aliud esset facere, quam quod faceret « donum gratiae esse donum naturae, et gratiam esse natu-

[1] II, Decis. XXIX, art. 1, q. 1.

[2] Vide quam fortiter S. Bonaventura hoc principium ponat. Creat utique Deus ex bonitate diffusiva sui, sed ita ut haec comunicata bonitas redundet in gloriam suam.

[3] Unde Scriptura * « vanos » vocat homines qui ad Dei cognitionem et laudem non venerunt. Quid iam dicendum de illis qui Deum blasphemant, aut imo negant?

* SAP., XIII, 1.

« ram. Hoc autem impossibile est, cum donum gratiae sit « ultra terminos naturae. Unde sicut impossibile est, quod « homo fiat a Deo beatus[1] per naturam, quamvis possit « creari beatus, quia beatitudo constitit in bono quod est « supra omnem naturam: sic etiam intelligendum est et in « gratia ». Quae solutio correspondet primo argumento ex necessitate; altera correspondet secundo argumento ex decentia: « Praeterea, esto quod posset facere, non tamen « decrevit, quia non decuit ».[2]

2) Huic quaestioni praeliminari intime connexa est altera quaestio: « utrum homo in statu naturae institutae potuerit « mereri absque dono gratiae ». Quae quaestio habet adspectum subtilem ex comparatione inter statum naturae integrae et naturae lapsae. In hoc enim statu gratia necessaria est ob titulos qui in natura integra non existebant. Sed hi tituli non sunt unici, imo neque principales.

S. Doctor itaque thesim statuit: « Non solummodo gratia « necessaria est ad merendum secundum statum naturae « lapsae, sed etiam secundum statum naturae institutae, « licet secundum statum naturae lapsae magis indigeat libe- « rum arbitrium dono gratiae ». Solutio argumenti ita potest contrahi. In statu naturae institutae gratia erat necessaria ad merendum, « tum propter conditionem retribuentis », quia Deus non acceptat nisi « bonum opus, quod ipsius gratuitae « bonitatis influentia in operante praecedat, per quam crea- « tura ipsi Creatori grata constat »; tum propter « condi- « tionem retributionis »: quia beatitudo in quam homo destinatur, omnes vires naturae exsuperat.

In statu autem naturae lapsae gratia est insuper necessaria « propter conditionem operantis », qui per gratiam debet a peccato liberari ut possit operari merito condigni; insuper « propter conditionem operationis meriti », quae tam rectam et altam intentionem exigit, ut absque gratia haberi non possit.

3) Iam de Adamo S. Doctor quaerit « utrum ante pecca- « tum habuerit gratiam gratum facientem ». Quae quaestio

[1] Intellige hoc dictum de beatitudine plena, quae in Dei visione et possessione consistit.

[2] Ibid., ad 6m.

tempore quo scribebat non tam unanimiter eodem sensu ac nunc a bonis scriptoribus solvebatur. Praemissa opinione quae nunc reiicitur, Seraphicus sententiae nunc certae adhaeret.

Itaque primo affert sententiam quam non amplectitur. « Quidam enim dicere voluerunt quod Adam non habuit « gratiam gratum facientem, pro eo quod non videtur 'cre- « dibile quod lapsus esset, si tale adiutorium habuisset. Ad « auctoritates autem et rationes respondent dicentes, quod « Adam habuit multas gratias gratis datas et naturam habuit « valde bonam ». Haec est sententia, quam Aegidius vocat tutiorem et genuinam Magistri, scilicet « Adam non esse in « puris naturalibus productum, nec gratiam habuisse ante « peccatum, sed habuit aliquod donum gratuitum, id est ori- « ginalem iustitiam, per quam poterat stare, sed non pro- « ficere ».[1]

Pergit S. Bonaventura: « Et propterea Sancti videntur « aliquando dicere, ipsum habuisse gratiam ante lapsum, « non quia habuit donum gratiae gratum facientis, sed donum « gratiae gratis datae, et per illud poterat tentationi resi- « stere et ad gratiam facientem se ipsum disponere ».

Hanc autem sententiam tum ob Scripturarum et Patrum auctoritatem tum ob « rationis probabilitatem » S. Bonaventura reiicit: « Sed quoniam auctoritates Sanctorum expresse « videntur dicere de gratia gratiam faciente, sicut patet in « illis quas Magister adducit in littera, et huic consonam « videntur Scripturae auctoritas et rationis probabilitas, « ideo est alia opinio communior et verior et probabilior, « quam etiam Magister sustinet in littera,[2] scilicet quod « Adam ante lapsum gratiam gratum facientem habuit, per « quam non solum malo resistere, sed etiam in bono pro- « ficere potuit; et illa gratia adiutus ita bene meruisset « mandatum Domini observando, sicut demeruit transgre- « diendo ».[3]

4) Ulterius iam S. Bonaventura sciscitatur: « utrum homo « simul tempore conditus fuerit in gratuitis et in naturali-

[1] Cf. edit. op. S. Bonav., 1895, ad Aquas Claras, hoc loco *Scholion*.
[2] Hoc loco, c. 2. Charitatem enim, iuxta Augustinum, Adamo tribuit.
[3] Ibid., art. 2, q. 1.

« bus »; aliis verbis, utrum hanc gratiam Adam habuerit non solum ante peccatum, sed ab ipso suae creationis initio.

Et hic S. Doctor duabus allatis sententiis recedit ab illa quae nunc communissime recipitur. Primam, quae S. Thomae est, ita breviter exponit: « Quidam dicere voluerunt, quod « homo fuerit creatus non solum in naturalibus, verum etiam « in gratuitis, tum propter Dei liberalitatem, tum etiam pro- « pter hominis idoneitatem »; intellige illam radicalem, quam passim vocant potentiam obedientialem.

Huic autem sententiae ex ratione auctoritatis non adhaeret. « Sed quoniam Sanctorum auctoritates videntur sonare « contrarium, ideo est alia opinio communior et probabilior: « quod homo prius tempore habuit naturalia, quam haberet « gratuita. Et secundum diversitatem huius duplicis temporis « dissolvitur apparens contradictio in auctoritatibus Sancto- « rum. Nam quaedam videntur dicere, quod homo habuit « gratiam, quaedam vero quod non, et utraeque verum dicunt « pro diversis temporibus ».

Antequam rationes adducamus, quibus S. Doctor hanc sententiam confirmat, iuvat monere, S. Bonaventuram successionem temporis statuere inter naturalia et gratuita, non autem inter iustitiam cum donis gratis datis et gratiam ipsam gratum facientem. Nam aliqui, uti Hugo Victorinus, Albertus M. in *Summa*, ipseque Magister, tenuerunt, Adamum fuisse quidem creatum in iustitia originali cum donis supernaturalibus, gratiam autem sanctificantem non nisi postea accepisse. Pro qua etiam sententia citatur et Scotus.[1] Et sane, uti loco suo monuimus, triplex gradatio statui posset: 1) natura pura, 2) natura integra cum praeternaturalibus donis, 3) natura per gratiam sanctificata. Illi ab initio ponunt duo prima, non autem tertium; S. Bonaventura prius ponit primum, dein duo alia simul.

Rationem adducit triplicem, petitam a triplice ordine sapientiae, bonitatis et iustitiae.

Primam ita exponit. « Ordo sapientiae hoc requirebat, « ut, sicut esse gratuitum est alterius generis quam esse

[1] Hier. a Montefortino Scotum ad alteram sententiam trahit.

« naturale, sic in diversis temporibus homini conferretur; et « sicut elementa mundi prius sunt creata et distincta quam « ornata, propter ordinem sapientiae commendandum; sic « etiam fieret circa hominem, qui est minor mundus ». Sane, si Deus ita egisset cum homine, non defuisset sapientiae ratio. Comparatio autem est elegantior quam efficacior: nam homo non dicitur minor mundus etiam relate ad dona supernaturalia; insuper gradatio quae habetur inter elementorum creationem, distinctionem et ornatum est omnino alius generis ac gradatio inter hominis creationem et elevationem.

Alteram rationem ita S. Doctor exponit: « Ordini etiam « bonitatis hoc competebat: hoc enim ordine dicitur aliquid « ordinari in suum finem. Tunc igitur gratia homini ordi- « nate datur, quando datur ei secundum quod est utilior et « fructuosior. Tanto autem gratia Dei est nobis utilior et « fructuosior quanto pro ea Deo gratiosiores[1] existimus; et « propterea non fuit a creatione indita, sed naturae iam per- « fectae et constitutae fuit superinfusa ». Bene quidem. Si ita Deus egisset, haec ratio efficaciter afferri potuisset. Si autem homini ab initio ad altiorem gratiae ordinem elevato Deus simul indidit agnitionem et aestimationem huius elevationis prorsus gratuitae supra vires naturae purae, nonne eum fecisset eo « gratiosiorem », quo maiora scivisset se et ab ipso exordio accepisse?

Tertia ratio caute est intelligenda. « Ordo etiam iustitiae « id requirebat: Deus enim secundum legem communem « requirit aliquam praeparationem et dispositionem a parte « nostra ad hoc quod infundat alicui gratiam sive in eo cui « infundit, ut in adulto, sive in aliquo adiuvante, secundum « quod contigit in parvulo. Et ideo gratia non fuit homini « concreata, sed dilata fuit, quousque homo per actum et « usum rationis quodam modo se disponeret ad illam susci- « piendam, ut sic verificaretur illud Augustini[2] in primo « homine: " Qui creavit te sine te, non iustificat te sine « te „ ».[3] Caute inquam haec ratio accipienda est, ne saporem

[1] Haec vox non infrequens hoc tempore adhibetur a S. Bonaventura eo sensu ac vox gratiores. Cf. Du Cange, *Glossar. med. et infim. latinit.*

[2] *Sermo 169,* c. 11, n. 13.

[3] Ibid., q. 2.

quemdam semipelagianum habere videatur, quod longe fuit a mente Seraphici. Rursus, si ita Deus hunc ordinem instituisset ut bonae hominis voluntati in naturalium usu exhibitae, adnexa fuisset ex Dei bonitate collatio supernaturalium, haec ratio posset suasive adduci ad huius ordinis pulchritudinem illustrandam. Sed a priori haec ratio non est efficax. Caeterum liquet, Augustinum in hac sua iure famosa sententia Adamum nullatenus comprehendere voluisse, eo minus quod in hoc loco sanctificationem intendit finalem.

5) Iam transit S. Doctor ad tertium quaesitum superius indicatum, ad ponderandam scilicet quantitatem gratiae in innocentiae statu collatae, de quo argumento pauca verba sufficiant. Primo quaerit Seraphicus « utrum homo habuerit « tot virtutes ante lapsum, quot habuit post lapsum ». Ad solutionem quaesiti S. Doctor inducit distinctionem inter dona naturae gratis data et dona gratiae gratum facientis. En doctrinam schemate expressam.[1]



6) Demum quaerit S. Doctor « utrum dona gratuita aeque « efficaciter ad merendum in homine fuerint ante et post « lapsum ». Qua de quaestione ingeniosissime disserit. Triplex enim elementum in merito distinguit: operis difficultatem, voluntatis promptitudinem et charitatis magnitudinem;

[1] Ibid., n. 3, q. 1.

in qua ultima duplicem insuper subdistinguit adspectum: personarum ad personas, et status ad statum.

En argumentationem schemate contractam.[1]



Placet ipsa S. Bonaventurae verba de hac ultima conclusione afferre: « Haec autem pars probabilior videtur et magis « auctoribus consona, ut dicamus quod Deus maiora munera « gratiae elargitus est homini lapso, quam dedisset homini, « si in statu innocentiae permansisset: tum quia homo maiori « adiutorio gratiae indiget; tum etiam quia decet Deum de « malo maius bonum elicere, quam sit illud bonum, quod « adimendo malum nocet; tum etiam quia Mediator et Inter- « cessor pro nobis interpellat, quem decet " exaudiri „ in « omnibus " pro sua reverentia „.[2] Unde cum appareat vultui « Dei " semper ad interpellandum pro nobis „, et pro nobis « in cruce oblatus fuerit et quotidie offeratur; valde proba- « bile videtur, quod maius munus gratiae tribuatur nobis, « quam si ipse non fuisset natus vel pro nobis oblatus. Et « hoc expresse videtur innui Ioannis septimo,[3] cum dicitur, « quod Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat

[1] Quantopere doctrina quam heic S. Bonaventura evolvit, concordet cum prima parte nostrae expositionis, benevolus lector facile agnoscet.

[2] Hebr, v, 7.

[3] Ioann., vii, 39.

« glorificatus ». Unde cum ascendit in altum, tunc « dedit « dona hominibus ».[1]

Totam discussionem S. Doctor condensat his verbis.

« Ex hac triplici ratione, quarum una est in commenda- « tione misericordiae, et secunda in commendatione sapien- « tiae, et tertia in commendatione divinae iustitiae, satis « rationaliter colligitur quod nunc magis sint efficacia dona « gratuita ad merendum quam in statu innocentiae, non solum « ratione difficultatis, verum etiam ratione gratiae et chari- « tatis; quamvis non absurde dici possit, quod maior effi- « cacia in merendo erat tunc quam nunc, ratione prompti- « tudinis voluntatis ».[2]

II. – De usu iustitiae quantum ad dominium.

(Quaestio XCVI).

DE DOMINIO QUOD IN STATU INNOCENTIAE COMPETEBAT.

De nexu et ordine Quaestionis. – Accedimus ad alteram partem huius capitis, in qua agendum est de usu iustitiae quantum ad alia. Quo de argumento quaeri potest utrum aeque pertineat ad complementum Quaestionis de intellectu et de voluntate; an potius unice ad complementum Quaestionis de voluntate, quemadmodum in initiali tabella assignavimus.

Resp. Quatenus fundamentum regiminis seu dominii habetur in intellectu ac voluntate, haec Quaestio XCVI est utriusque simul Quaestionis praecedentis complementum. Quatenus autem dominium magis exercetur per voluntatem, haec Quaestio magis ad praecedentem Quaestionem de voluntate referenda est, sicuti expresse facit S. Thomas.

Adverte insuper, hic non modo agi de solo Adamo, sed de toto genere ab ipso oriundo, si in gratia stetisset.

Quo praemisso, en Quaestionis ordinem schemate expressum.

[1] Ephes., iv, 8.
[2] Ibid., q. 2.

Dominium hominis in statu innocentiae consideratur

A) circa *creaturas* distinctas a se: { 1) circa *animalia* (a. 1); 2) circa *omnem* creaturam (a. 2).

B) circa *ipsum hominem* ab homine regendum: { 1) *fundamentum* dominii seu regiminis statuitur *inaequalitas* (a. 3); 2) explicatur huius regiminis *indoles* (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM ADAM IN STATU INNOCENTIAE ANIMALIBUS DOMINARETUR.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Tria in praesenti argumento consideranda occurrunt: *a*) *factum, b*) *ratio facti, c*) *modus facti.* Quod aliqualiter etiam de sequenti articulo valet.

a) *Factum* habemus ineluctabili testimonio Scripturarum expressum: « Faciamus hominem ad imaginem et similitu-« dinem nostram, *et praesit piscibus maris, et volatilibus « caeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili quod « movetur in terra* ».[1] Et paulo infra ipsi homini iam creato Deus dixit: « Crescite et multiplicamini, et replete terram, *« et subiicite eam, et dominamini piscibus maris, et volati-« libus caeli, et universis animantibus quae moventur super « terram* ».[2]

Eventus autem hanc investituram secutus est. Quî enim omnia animantia coram Adamo adducta fuissent, nisi mansueta et docilia regem suum agnovissent? Inde nil mirum, in aliquibus Sanctis, speciali gratia innocentiae conspicuis, redire visum esse illud primi status dominium, quatenus eorum voci parentia, omnem feritatem animalia ultro deponebant.

b) *Ratio* autem facti, ex Scriptura apparet duplex: *a*) altera *dignitatis, b*) altera *ordinis. Dignitatis* ratio insinuatur ex ipso exordio divini sermonis: « Faciamus hominem », etc.; *ordinis* ratio, quia immediate subiungitur, « *et* praesit », ac si diceretur: « ut praesit, qui praesit ». Quam duplicem rationem S. Thomas, uti mox videbimus, in triplex argumentum evolvit.

[1] GEN., I, 26.
[2] Ib., 28.

c) *Modus* demum facti considerandus est. Uno verbo nobis exhibetur in v. 4 textus *Ecclesiastici,* quem in fine praeviae dissertationis nostrae de ordine naturali et supernaturali integrum attulimus: « *Posuit timorem illius* supra « omnem carnem, et dominatus est *bestiarum et volati-* « *lium* ».[1]

2) Quomodo concipiendus sit iste timor, paululum investigandum remanet. Certe non erat ille timor qui ab obiecto fugam consulit, uti constat ex facto,[2] necnon ex ipso scopo a Deo intento. Quomodo enim potuisset Adam in refugientes a suo conspectu dominari? Fuit igitur timor reverentialis, submissionem consulens, promptitudinem ministrandi suadens.

Sed quaeres: undenam iste timor derivabatur? Eratne aliquid peculiare quod observatur in ipso Adamo, maiestatem exprimens, quodque per culpam evanuit? Eratne aliquid in ipsam indolem animalium directe agens, quod, peccante Adamo, sublatum est?

Utrumque simul adfuisse contendimus. Et primo quidem dona praeternaturalia aliquid speciei et dignitati corporis contulisse, quo magis in Adamo Dei imago eluceret, omnino concedendum videtur. Quam dignitatem atque maiestatis splendorem, ipsa animalia naturaliter percipere potuerunt.

Sed rationes plures suadent, adfuisse insuper aliquid a Deo in ipsam animalium indolem productum, quo regi suo parerent.

Et sane *a*) ipse textus sacer in hoc magis inclinat: « *Po-* « *suit timorem illius in omnem carnem.* » – *b*) Melius ita explicatur quomodo, urgente necessitate, idem iteretur, quemadmodum iteratum fuisse apparet, quando Noë cuncta in arcam animalia introduxit, quin legatur ullum restitisse aut feram egisse. Quomodo, quaeso, nisi quia Deus, in his adiunctis, timorem illum primaevum in animalibus instauravit. – *c*) Ulterius apparet, peccatum originale totam quoque insensibilem immutasse naturam. Vindex enim Deus terrae dixit: « *Maledicta terra* in opere tuo: in laboribus comedes ex

[1] C. XVII.
[2] GEN., II, 19 sq.

« ea cunctis diebus vitae tuae. *Spinas et tribulos germinabit « tibi* ». [1] Et Paulus hoc poenalitatis mysterium in totam creaturam saevientis, ita profunde illustrat: « Expectatio « creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim « creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui « subiecit eam in spe. Quia et ipsa creatura liberabitur a « servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. « Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit « usque adhuc ». [2] Quae doctrina ad haec reducitur. In statu originalis innocentiae tota creatura ultro serviebat homini, agnoscens in ipso dignitatem filii Dei. Postquam haec dignitas amissa est, tota creatura rebellavit. Coacta est nihilominus omnibus aliqualiter hominibus servire, propter humani generis instauratorem. Sed malis etiam imperfecte servire, facit eam gemere; bonis e contra, utpote in dignitatem filiorum Dei redintegratis, plenum cupit uti primaevo tempore exhibere servitium, et ideo expectat « revelationem filiorum Dei ». Qua revelatione facta, cuncta natura et animalia, si adhuc adsint, rursus imo perfectius, propter revelatam gloriam iustorum, hominibus sanctis obsequium praestabunt. [3]

3) At si quorumdam animalium in hominem feritas est consequens amissi dominii per peccatum, num ideo tenendum est, feritatem animalium ad invicem esse pariter fructum peccati originalis?

Posset quidem hoc videri confirmatum loco *Geneseos*, ubi, eodem titulo quo homini, herbae, seu alimenta virentia cunctis animantibus dantur in escam: « Et cunctis animan- « tibus terrae, omnique volucri caeli, et universis quae mo-

[1] GEN., III, 17.

[2] ROM., VIII, 19-22.

[3] Milton ita describit rebellionem totius naturae peccato originali ortam:

Thus began
Outrage from lifeless things; but Discord first,
Daughter of Sin, among the irrational
Death introduced trough fierce antipathy.
Beast now with beast 'gan war, and fowl with fowl,
And fish with fish. To graze the herb all living
Devoured each other; nor stood much in awe
Of Man, but fled him, or with countenance grim
Glared on him passing. *

* Op. cit., l. x.

« ventur in terra et in quibus est anima vivens, ut habeant « ad vescendum ». [1] Et corroboratur figuris propheticis, in quibus pacifica cohabitatio animalium, reditusque eorum ad statum primaevum, quo sine feritate virentibus vescebantur, tamquam imago exhibetur perfectae pacis per Messiam afferendae. « Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hoedo « accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et « puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur: « simul requiescent catuli eorum: et leo quasi bos comedet « paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine « aspidis; et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum « suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo « monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, « sicut aquae maris operientes. [2] Lupus et agnus pascentur « simul, leo et bos comedent paleas: et serpenti pulvis panis « eius: non nocebunt, neque occident in omni monte sancto « meo, dicit Dominus ». [3]

Ex quibus sequi videretur, perfectum universae naturae statum fuisse ut nullae strages fierent, omniaque animalia pacifice ad invicem se haberent, cibis vescendo qui sine dolore obtinentur et consumuntur. [4]

Quidquid sit de illa sententia, quam S. Thomas in hoc articulo uti irrationabilem omnino reiicit, cuique sane scien-

[1] GEN., I, 30.

[2] Is., XI, 6-9.

[3] Ibid. LXV, 25. Ad hanc propheticam descriptionem accedit carmen quo Ovidius vetustam traditionem populorum expressit:

At vetus illa aetas non polluit ora cruore.
Tunc et aves tute movere per aëra pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in agris,
*Nec sua crudelitas * piscem suspenderat hamo.* **

[4] Qui hanc teneret sententiam, facilius explicaret quomodo Noë potuerit omnia animalia in arca nutrire. Etenim prodigio divino ea animalia per hoc tempus, et etiam per aliquod spatium post diluvium, quousque satis essent servatae species, recuperata mansuetudine status originalis, cibo virenti utebantur.

* Quaedam crudelitas a carnium esu vix abest, quatenus violentam vitae destructionem supponit. Quare et ob hanc quoque rationem Deus homini, quin et ipsis brutis ab initio non expresse animalia, sed plantas ad vescendum tribuerit (GEN., I, 29 sq.) Cfr. addenda in art. 3 Quaest. XCVII, necnon complenda ubi de poenis a Deo ob Adami et Evae peccatum afflictis discurremus.

** *Metamorph.*, l. XV.

tiae naturales minime favent, certum est, illam posse reprobari, quin ex hoc dominium Adae in animalia, uti ex Scripturis apparet, detrimentum capiat.

II. **Ad Textum.** *1ª Obi.* Arguit ac si adiuvans Angelorum ministerium obesset potestati hominis. Quod eo magis in casu apparet falsum, quod Adam adhuc erat in Paradiso vastissimo solus.

2ª Obi. Gratuito supponit, naturalem feritatem aliquorum animalium nullo modo posse ab homine regi. Obiectio quidem iuvat ut excellentia huius dominii originalis demonstretur, non autem ut impossibilis probetur.

3ª Obi. Non distinguit inter usum ratione necessitatis, et ratione experimenti vel oblectamenti.

Sed contra est. De vi probante huius loci, necnon de aliis ex Scripturis argumentis, iam plura superius diximus. Huc faciunt sequentia verba Psalmistae: « Quid est homo, « quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas « eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et ho- « nore coronasti eum: et constituisti eum super opera ma- « nuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et « boves universas: insuper et pecora campi; volucres caeli « et pisces maris, qui perambulant semitas maris ». [1]

Quae verba ostendunt, non ita hominem per peccatum amisisse regale dominium a Creatore in visibilem naturam ipsi collatum, ut non eiusdem dominii adhuc et nunc praeclara vestigia remaneant. Quam pulchre modo elucet, v. gr., in bellatore elephantes veluti turres ad praelia movente, in equite domante caballum, in venatore falcones canesque ministros adhibente, in pastore voce, baculo gregem quocumque lubet, per ardua quaeque, ducente!

Eleganter S. Ambrosius: « Videbatur nihil elephantis crea- « tura habere robustius, nihil tam terribile vel procerum « quam leones vel tigrides sunt; et haec serviunt homini, et « naturam suam humana institutione deponunt. Obliviscun- « tur quod nata sunt; induunt quod iubentur. Quid multa? « Docentur ut parvuli, serviunt ut famuli, adiuvantur ut

[1] Ps. VIII, 5, 8.

« infirmi, verberantur ut timidi, corriguntur ut subditi; in « mores transeunt nostros, quoniam motus proprios perdi- « derunt ».[1]

Optime Hugo Victorinus: « Quae propter hominem creata « erant, ab illo regenda et disponenda erant... curam ete- « nim, bonum et providentiam caeterorum animalium Deus « homini reliquit, ut dominationi illius subiicerentur, et ra- « tione illius regerentur, ut a quibus debuerat obsequium « accipere, sciret etiam illis necessaria providere ».[2]

Ad verbum *Geneseos:* « Et praesit », pulchre S. Basilius: « Animal es, o homo, imperio destinatum ». Et eloquenter adiungit: « Ut quid perturbationibus et vitiis ser- « vis? ut quid tuam dignitatem deicis ac peccati servus « efficeris? ut quid te diabolo captivum addicis? Creaturae « princeps creatus es, tuaeque gravitatem proiecisti na- « turae ».[3]

Nec omittunt Patres tropologice hoc dominium in universam creaturam explicare, uti bene monet Cornelius a Lapide,[4] ducibus Origene, Chrysostomo, Eucherio: pisces enim figura sint gulae et libidinis; aves, ambitionis; reptilia, avaritiae; ferae denique irae; quibus passionibus homo per has creaturarum imagines dominari iubetur.

Quodsi quaeras cur textus sacer adhibeat verbum in singulari « ut praesit » et non in plurali « ut praesint », quasi Eva ab hoc dominio excludatur, responsum est in promptu. Verba enim immediate praecedentia sunt: « Faciamus homi- « nem ad imaginem et similitudinem nostram ». Quare sicuti Eva non excluditur per verba « faciamus hominem », – quod evidenter demonstrant verba sequentia: « Et creavit Deus « hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit « illum: masculum et feminam creavit illos »; – ita nec excluditur a dominio. – Adest tamen altior huius locutionis ratio, et est ipsa dignitas capitis, quae prae Eva competit Adamo.

[1] *Haxaem.*, l. VI, in initio c. 6. n. 36. - *P. L.*, t. XIV, col. 255.

[2] *De Sacram.*, l. I, pag. 6, cap. 13. – *P. L.*, t. LXXVI, col. 271.

[3] *Oratio I de structura hominis*, n. 8; quae oratio interdum citatur tamquam *Homil. II in Hexaem.* - *P. G.*, t. XXX, col. 19. - In tribus ultimis hisce homiliis. S. Basilius de structura et moribus animalium, interiectis applicationibus, acutissime et amoenissime disserit.

[4] Hoc loco.

Cuius principatus iudicium fuit solemnis illa omnium animalium ad Adamum adductio quemadmodum omnes milites universi sui exercitus adducuntur ad regem. Bene ex hoc loco arguit Calmet: « Exhibetur in statu innocentiae « Adam veluti principatum in bruta omnia animantia gerens; « quod ille imperium frustra praetulisset, nisi Deus insitum « in hominem obsequium, atque ad nutus eius et vocem « submissionem brutis illis indidisset. Id enim posuit hominis « imperium in bruta, ut illa habeat ad nutum subiecta atque « sub manu. Non ille quidem violentum exercebat domi- « nium, difficile, laboriosum, quo nos hodie bruta illa etiam « invita subigimus, vestigia veteris principatus in illa reti- « nentes. Si vero hominis imperium illud facile erat et mite, « facilis etiam ad nutum ipsius, et spontanea poscebatur « obedientia, quantum tamen patiebatur genus illud, rationis « incapax et libertatis ».[1]

Egregie de hoc dominio discurrit S. Alphonsus a Liguori: « L'uomo nello stato della innocenza naturale ebbe perfetto « dominio sopra tutte le bestie; e ciò parte per la sua scienza « naturale con cui bene sapeva come doveva dagli animali « farsi ubbidire, parte per una particolare provvidenza di « Dio, che piegava le bestie ad ubbidire all'uomo, siccome « le mosse a presentarsi ad Adamo, quando volle che Adamo « imponesse il nome a ciascuna di loro. Così convenne sin « tanto che l'uomo fu fedele a Dio, per la grande dignità di « cui il Signore avea dotato l'uomo ». Hoc autem dominium per peccatum non fuisse ex toto sublatum, bene ita illustrat: « Questo dominio peraltro rimase all'uomo anche dopo il « peccato, come si legge nella *Genesi, IX,* 2, 3, ove disse Dio: « " Et terror vester et tremor sit super cuncta animalia « terrae... et omne quod movetur, et vivit,[2] erit vobis in « cibum „ ». Unde immediate deducit ius venationis et piscationis: « E perciò ben è lecito all'uomo la caccia e la pesca ».

[1] In hunc locum. Haec interpretatio supponit narrationi mosaicae sensum subesse historicum. Unde moderni exegatae, qui, etiam inter catholicos, uti Dr Hoberg, figurative haec dicta intelligunt, traditionalem hanc interpretationem non modo derelinquunt, sed et quasi despiciunt. Num doctius? (Op. cit. Cf. textum inferius adducendum).

[2] Agnosce hic elegantem valdeque philosophicam definitionem vitae.

Et in fine addit: « Ma questo dominio per il peccato restò « molto diminuito, specialmente circa le bestie feroci ».[1]

In Corpore. Argumentum S. Doctoris est simplicissimum. Subiecto homine totaliter Deo, omnia quae nata sunt homini subiici, ipsi quoque obediant oportet. Atqui talia sunt animalia. Ergo. Minor triplici ratione probatur.

Antequam de minori huius argumenti nonnihil dicamus, notandum est, maiorem probari ex ipsa experientia, quam in seipso passus est homo. A qua experientia S. Doctor incipit. Unde posset argumentum pariter ita exponi: Quaevis inobedientia parere debentium est a peccato in poenam. Atqui talis est inobedientia animalium in praesenti statu. Ergo. Tunc ad probandam hanc minorem, instituendum esset argumentum, cuius minor esset illa superior, de qua iam pauca sint.

Superius n. 1, *b*) duas rationes attulimus *dignitatis* et *ordinis* propter quas animalia debebant homini subdi. Nec aliter S. Thomas. Prima enim ratio ad *dignitatis* rationem sive *excellentiae* reducitur. Altera concordat omnino cum ratione *ordinis*. Quid porro de tertia? Nihil aliud est nisi evolutio utriusque, ex inspecta indole seu proprietate hominis in comparatione cum indole seu proprietate animalium. Inde processu magis intrinseco corroborat illud idem, quod priora argumenta tamquam ex lege generali magis extrinsece ostenderant.

Reliqua patent.

Corollarium. – Rebellio quam peccatum hominis in natura provocavit, iuxta doctrinam S. Pauli superius expositam, extendi maxime debet ad ipsum hominem et ad homines ad invicem.

Crudele enim ethnicorum effatum a materialistica philosophia moderna, imprimis Lutherana, infeliciter instauratum: « homo homini lupus », a primo peccato ortum duxit et in Abele primam primi superhominis Caini victimam immolavit. Ingeniose simul et profunde Vitus Fornari: « L'uomo « ha in sè gli istinti e i vigori di tutti gli animali, dall'in-

[1] *Condotta della Provvidenza*, p. I, c. 1, n. 17.

« setto al leone. E quando li signoreggia con la mente, cia-
« scuno sta al suo posto, e sono a lui forze, aiuti, ricchezze.
« Ma se la mente cade dal suo seggio, allora i molti e di-
« versi animali inferiori dell'uomo diventano i tiranni e car-
« nefici di lui. Allora l'avvoltoio, il serpente, la tigre lace-
« rano l'infelice uomo; e porci e lucertole e molti schifosi
« insetti lo straziano e lo insozzano insiememente. E se
« l'uomo s'è già dischiuso in più persone; una persona si fa o
« lupo o volpe o vipera o verme o una o altra bestia; come
« si manifesterà poi nelle guerre, negli anfiteatri, ne' lupa-
« nari, nè conventicoli delle sètte, nelle corti de' tiranni. Nel-
« l'uno e nell'altro caso vedesi che il peccato della concu-
« piscenza è idolatria ed inferno del peccatore ». [1]

ARTICULUS II.

UTRUM HOMO HABUISSET DOMINIUM SUPER OMNES ALIAS CREATURAS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Breviter expediri potest praesens articulus, recolendo duplicem rationem quam in dominio in animalia invenimus, rationem scilicet dignitatis et ordinis, quae utraque, imo a fortiori, ad inferiorem creaturam extenditur.

2) Dico inferiorem, nam ordo non postulat, ut ad caelestes quoque creaturas protendatur, licet per animam homo sit corporibus caelestibus altior.. [2] Imo nec ad abscondita quaeque telluris haec dominii ratio erat extendenda. Sed unice ad ea quibus homo uteretur, sive ad necessitatem, sive ad experimentum, sive ad oblectamentum.

3) Hoc autem gubernationis dominium ponebat aliquid in ipsa creatura, quemadmodum partis sensitivae obedientia erga partem intellectivam non erat nihil in ipsa parte sensitiva. Quod, uti iam praemonuimus, insinuatur loco *Geneseos,* ubi in poenam peccati, tellus iubetur ferre deinceps « spinas et tribulos ».

[1] Op. cit., l. I, c. 3, p. 197.

[2] Decens tamen fuerit ut de astris magis directe cum nostra tellure connexis, Adam eam saltem cognitionem habuerit, quae dignitati eius erat consona et utilis ad regendam vitam.

Non tamen eodem gradu. Dominium enim hominis in alia animalia est dominium imperii, cui respondet obedientia; in alias vero creaturas est dominium usus, ad quod sufficit resistentiae et nocumenti absentia.

4) Nec ideo tenendum est, naturas rerum post peccatum esse mutatas. Etenim si iam pro animalibus S. Thomas id reiicit, a fortiori id reiiciendum est pro plantis. Unde ad hoc ut poena in terram inflicta verificetur, sufficit quod ea quae prius abundantius ex optimis adiunctis obtenta fuissent, iam, mutatis adiunctis, ad rigorem reducantur eorum quae naturales vires postulant ne frustra sint, imo ne non sint. Sed de hoc argumento in altera huius tractatus Sectione sermo recurret.

Obiicies. Esto, uti in praecedenti articulo iuxta sententiam S. Thomae dictum est, etiam sub dominio hominis in animantia, haec eum habuisse ad invicem instinctum, quem hodie in eis conspicimus. Quid autem de plantis? Num v. gr. plantae veneficae iam ante hominis lapsum huiusmodi non erant, aut, si erant, quomodo in eas homo dominabatur? Placet hac de re audire Calmet: « Veneficas plantas easdem « ab initio obtinuisse qualitates ab initio, censent S. Basilius [1] « et S. Ambrosius; [2] nulli tamen erant homini innocenti detri- « mento; [3] sive quod corporis temperamento is esset optimo; « sive quod de rerum singularum dotibus instructus, a quibus « maxime sibi esset abstinendum, probe nosset; sive probe « calleret, quo maxime antidoto virus retunderetur ». [4] De mente S. Augustini in appendice data opera agemus.

[1] *In Hexaem.*, homil. 5, n. 4. – *P. G.*, t. XXIX, col. 102.

[2] *Hexaem.*, l. III, c. 9, n. 43: « Id quod periculi est, per Providentiam declinatur; « et id quod salutis, per industriam non amittitur ». – *P. L.*, t. XIV, col. 172.

[3] Et sane, uti paulo superius monet idem auctor: « Non rerum quidem naturam « mutavit Deus, nec ea, quae bona essent, convertit in prava; neque pulchrum foe- « ditate corrupit. Tota fuit in homine mutatio; quemadmodum unum idemque ali- « mentum maxime est interdum insipidumque aegroto, quod incolumem iuvabat « maxime, et erat in deliciis. Quod nobis ingratum accidit et deforme, latens habet « aliquid, quod maxime delectaret iuvaretque, si Deo revelante abditum illud pan- « deretur ».

[4] *In Genes.*, c. I, v. 26. In accidentalibus tamen potuit natura plantarum immutari. Ita S. Basilius * censet ante peccatum hominis rosas caruisse spinis; quod tamen non admittit S. Augustinus, ** utpote existimans et spinis suam inesse utilitatem.

* Ibid.

** *De Genes. ad litt.*, l. III, c. 18. – *P. L.*, t. XXXIV, col. 190 sq.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Confundit subiectionem voluntatis vel instinctus cum subiectione ex usu.

2ª Obi. Confundit statum ortum ex peccato cum statu innocentiae originalis.

3ª Obi. Non attendit ad hoc quod homo est in seipso μικρόκοσμος; neque considerat, auctoritates Scripturarum, collatis inter se locis, de terra dumtaxat valere.

Sed contra est. Textus S. Scripturae quibus demonstratur dominium super omnem creaturam homini concessum, directe loquuntur de creaturis terrenis. « Dedit illi potesta- « tem eorum quae sunt super terram »;[1] unde et Adam vocatur: « Qui primus formatus est a Deo pater orbis ter- « rarum ».[2] Et sane in ipso *Geneseos* capite quo enumerantur ea quibus homo praesit, non habentur nisi creaturae terrenae.[3] Pulcherrime huius dominii vestigium Bossuet invenit in modo quo ingenium humanum problemata naturae veluti suum dominium perscrutatur. « Dieu ayant formé « l'homme, dit l'oracle de l'Ecriture, pour être le chef de « l'univers, d'une si noble institution, quoique changée par « son crime, il lui a laissé un certain instinct de chercher « ce qui lui manque dans toute l'étendue de la nature. C'est « pourquoi, si je l'ose dire, il fouille partout hardiment comme « dans son bien, et il n'y a aucune partie de l'univers où il « n'ait signalé son industrie ».[4]

In Corpore. Processus S. Thomae ad hoc reducitur. In prima parte articuli S. Doctor ostendit quomodo homo sit μικρόκοσμος. Adverte autem *vires rationales* heic intelligi *vitales* plantarum. Quod tunc applicat ad hominis gubernium. Excludit Angelos, utpote superiores; affirmat dominium in alia, sed duplicis generis: dominium *imperii* in vires sensitivas sive proprias, sive animantium; dominium *usus* in vires naturales et in corpus, sive sui ipsius, sive extra se.

[1] Eccli., xvii, 5.

[2] Sap., x, 1.

[3] Gen., i, 26.

[4] Op. cit., p. 179: Quod dominium in universas creaturas, ad imaginem supremi dominii divini, est in homine veluti secundaria ratio imaginis Dei, uti bene evolvit Illmus Ullathorne. *

* Op. cit., Lect. iii, *The secundary image of God in man*, p. 52, sqq.

Appendix de mente S. Augustini.

Placet audire S. Augustinum de argumento utriusque huius articuli subtiliter disputantem.

Postquam quaesivit utrum in initio Deus creaverit minuscula quoque illa animalia quae generatione spontanea oriri credebantur, pergit: « De generibus quoque animalium « venenosis et perniciosis quaeri solet, utrum post peccatum « hominis ad vindictam creata sint, an potius ut iam creata « essent innoxia, nonnisi postea peccatoribus nocere coepe- « runt ». Et, adducto exemplo de Daniele inter leones illaeso, pergit: « Potuerunt ergo ista etiam creata nihil nocere, si « causa non extitisset vel terendorum puniendorumve vitio- « rum, vel probandae perficiendaeque virtutis, quia et exem- « pla sunt demonstranda patientiae ad profectum caeterorum, « et ipse sibi homo in tentationibus certius innotescit, et « iuste salus illa perpetua, quae turpiter amissa est per volu- « ptatem, fortiter recipitur per dolorem ».[1]

Sed difficultatem urget ex instictu quem animalia manifestant ad invicem: « Dicet aliquis: cur ergo invicem bestiae « nocent, quibus nec peccata ulla sunt, ut vindicta ista dica- « tur, nec ullam recipiunt tali exercitatione virtutem? » Responsio S. Doctoris est simul valde simplex et valde profunda: « Ideo nimirum, quia scilicet aliae cibi sunt aliarum ». Instat: « Nec recte possumus dicere: non essent aliae, quibus « aliae vescerentur ». Reponit: « Habent enim omnia, quamdiu « sunt, mensuras, numeros, ordines suos: quae cuncta merito « considerata laudantur, nec sine occulta pro suo genere « moderatione pulchritudinis temporalis etiam ex alio in « aliud transeundo mutantur. Quod si stultos latet, sublucet « proficientibus, clarumque perfectis est ».[2]

Sed altius S. Doctor assurgit: « Et certe omnibus talibus « inferioris creaturae motibus praebentur homini salubres « monitiones, ut videat, quantum sibi satagendum sit pro sa- « lute spirituali et sempiterna, quae omnibus irrationabilibus

[1] *De Gen. ad litt.*, l. III, c. 15. – Ibid., col. 289.
[2] Ibid., c. 16. Ibid., 289 sq.

« animantibus antecellit, cum illa videat a maximis elephan-
« tis usque ad minimos vermiculos pro salute corporali et
« temporali, quam pro sui generis inferiori ordinatione sor-
« tita sunt, sive resistendo sive cavendo agere quidquid va-
« lent ». [1] Quod elegantissima descriptione illustrat.

Nec sistit ibi Augustinus. Aliam adhuc quaestionem agitat: « Illud etiam fortasse aliquem moveat, si animalia « noxia vivos homines aut utiliter probant, aut poenaliter « laedunt, aut salubriter exercent, aut ignoranter docent, « cur in escas suas dilacerant etiam corpora hominum mor- « tuorum, quasi vero quidquam intersit ad nostram utilita- « tem, ista caro iam exanimis in naturae profunda secreta « per quos transitus eat, unde mirabili omnipotentia Crea- « toris reformanda rursus eruatur ». Sed et hoc non absque utili admonitione fieri docet: « Quamquam et hinc fiat quae- « dam prudentibus admonitio, ut se ita commendent fideli « Creatori omnia, maxima et minima, occulto nutu admini- « stranti, cui nostri etiam capilli numerati sunt, ne propter « inanes curas exanimatorum corporum suorum ulla genera « mortium perhorrescant, sed piae fortitudinis nervos ad « omnia praeparare non dubitent ». [2]

His de animalibus dictis, Augustinus consimilem quae-stionem intime connexam movet de plantis: « Et de spinis « quidem ac tribulis absolutior potest esse responsio, quia « post peccatum dictum est homini de terra: " Spinas et tri- « bulos pariet tibi,, ». Sed sibi obiicit: « Nec tamen facile di- « cendum est tunc coepisse ista oriri ex terra ». Primam solutionem affert ex bonitate, quae et istis plantis inest: « Fortassis enim quoniam in ipsis quoque generibus semi- « num multae reperiuntur utilitates, poterant habere locum « suum sine ulla poena hominis ». Unde in poenam sunt ob locum in quo nascuntur: « Sed ut in agris, in quibus iam « poenaliter laborabat, etiam ista nascerentur, hoc ad cumu- « lum poenae valere credi potest, cum possent alibi nasci « vel ad ovium pecorumque pastus, vel ad ipsorum homi- « num aliquos usus ».

[1] Ibid., col. 290.
[2] Ibid., c. 17. Ibid.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Cui explicationi addit et aliam, accentum ponendo in voce « tibi », scilicet: « quia non est dictum: " spinas et tri- « bulos pariet „, sed: " pariet tibi „, id est ut tibi iam nasci « incipiant ad laborem, quae ad pastum tantum aliis anima- « libus antea nascebantur ». [1]

Ex allatis verbis patet, quantopere S. Augustinus de hoc argumento rationabiliter simul ac profunde disserat, et quantopere S. Thomas cum Hipponensi conveniat.

ARTICULUS III.

UTRUM HOMINES IN STATU INNOCENTIAE FUISSENT AEQUALES.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Considerato dominio hominis in creaturam ordinis inferioris, iam agendum est de dominio hominis in sibi similes. Quum autem hoc dominium vel supponat, vel creet inaequalitatem, de inaequalitate inter homines in ipso statu innocentiae est imprimis quaerendum. Imo quum dominium quod inaequalitatem mere creat non possit reperiri nisi per usurpationem, [2] quae in statu innocentiae nulla fuisset, quaestio praesens restringitur ad dominium quod inaequalitatem praesupponit.

2) Iam vero haec inaequalitas est vel intrinseca vel extrinseca. Extrinseca nulla dari potest nisi successio ortus, constituens prioritatem aetatis. Intrinseca est repetenda vel ex ipsa natura, vel ex naturae usu. *a*) Natura est vel in toto, et est sexus, utpote in totum hominis aliqualiter influens; vel solum in parte, scilicet in corpore. Animae enim omnes erant a Deo in iustitia conditae, cum pleno dominio in corporis vires et in appetitus. - *b*) Usus autem naturae est vel in anima, et quidem quoad utramque facultatem, intellectum scilicet et voluntatem; vel in corpore.

3) Ubi sedulo adverte, omnem inaequalitatem supponere perfectionem limitatam, non autem defectum proprie dictum.

[1] Ibid., col. 290 sq.

[2] Aliquid huiusmodi occurrit in monstruosa illa theoria, quae robur proclamat iuris fundamentum, iuxta illud *Sapientiae:* « Sit fortitudo nostra lex iustitiae, quod « enim infirmum est, inutile invenitur ». * Dum, inverso ordine, roboris est ut iustitiae subsit eamque tueatur.

* Sap. II, 11.

Perfectio enim limitata potest esse in aliis maior, in aliis minor, quin defectum proprie dictum involvat. Imo haec perfectio in aliis maior, in aliis minor potest redundare in maiorem perfectionem totius, si totum consistit perfectius cum his perfectionum differentiis, quam absque illis. Ita, ut classico Pauli exemplo utar, non omnia corporis membra eamdem nobilitatem habent, et tamen in corpore bene constituto cuivis membro optimum est esse quod est, et toti corpori inaequalitas membrorum resultat in perfectionem essentialem sine qua non posset esse quod est.

4) Iam vero si varias inaequalitates consideramus quae inter homines esse possent in statu innocentiae, alia est ab extrinseco, aliae sunt ab intrinseco.

a) Ab extrinseco est inaequalitas aetatis, quae nequit non abesse ubi habetur multiplicatio per generationem. Iam vero, uti loco suo illustrabimus, generatio in statu innocentiae adfuisset; ergo et inaequalitas extrinseca ab aetatis differentia proveniens.

b) Ab intrinseco alia est inaequalitas proveniens ab anima alia proveniens a corpore, alia demum quae utrumque afficit.

α) Inaequalitas proveniens ab anima subdividitur in inaequalitatem a parte essentiae et facultatum naturalium animae, et a parte donorum supernaturalium et praeternaturalium. De primis quaerere otiosum est, quum ad ipsam naturam hominis pertineant; nec iteranda sit heic quaestio subtilior de aequalitate vel inaequalitate animarum in instanti quo a Deo infunduntur.

Certum est, in statu innocentiae animarum naturas futuras fuisse non solum integras, quod et nunc sunt, sed optimas. Dona insuper supernaturalia fuissent pariter collata omnibus. Unde quoad haec non fuisset inter homines nisi ad summum inaequalitas graduum seu perfectionum.

β) A corpore pariter inaequalitates non adfuissent nisi intra limites complexionis bonae, quae tamen non excludit varios gradus sive roboris, sive pulchritudinis. Quid impedivisset, v. gr., quod, sub vario temperiei influxu adfuissent corpora inaequalia quoad colorem oculorum, capillorum aut imo pellis? Sed absque dedecore, iuxta illud: « Nigra « sum, sed formosa ».

γ) Adest tamen discrimen princeps, quod, in corpore quidem primario fundatum, aliqualiter totum hominem attingit, discrimen scilicet sexuum, quod, iuxta dicta sub n. 2°, in perfectionem generis redundat, imo in perfectionem ipsius viri, iuxta Dei verba Evam de Adamo educturi: « Non est « bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile « sibi ». [1] Quod respicit propagationis opus, utpote in quo mulier est naturale adiutorium viri. [2]

5) Nec satis. Hucusque egimus de inaequalitatibus ab ipsa constitutione naturae existentibus. Adde iam inaequalitates provenientes ex differenti naturae usu. Etenim, et in statu innocentiae non omnes homines eodem gradu facultates animae excoluissent, nec ipsa supernaturalia dona per virtutum exercitium eodem gradu foecunda reddidissent. Quod et de corporalibus exercitiis valet, non exclusa ipsa familiae multiplicatione. Quare, intra perfectiones statui iustitiae originalis inhaerentes, adfuissent quaedam inaequalitates ex usu naturae donorumque gratiae provenientes.

6) Accedit discrimen maximum, proveniens ex vario usu liberi arbitrii, quatenus, uti loco suo ostendemus, non erat in gratia consummatum. Unde aliis in originali iustitia perseverantibus, alii ab ea per culpam deflectere potuissent. Sed isti per peccatum excidissent ex servatae iustitiae originalis hypothesi, a qua praesens quaestio procedit.

7) Ratio autem cur Deus etiam in statu perfecto has inaequalitates produxisset, aut saltem naturam eas gignere sivisset, duplex est: *bonum regiminis*, quod inaequalitate fundatur, et *pulchritudo ordinis*, quae per illam illustratur. « Ordo enim, ait Augustinus, est parium dispariumque re« rum, unicuique sua tribuens, congrua dispositio ». [3] Semota tamen quavis imperfectione cum hoc statu incompossibili.

[1] Gen., II, 18.

[2] Cfr. Augustinus, *De Gen. ad litt.*, l. IX, c. 5: « Propter quid aliud secundum « ipsum quaesitus est femineus sexus adiutor, nisi ut serentem genus humanum « natura muliebris, tanquam terrae foecunditas, adiuvaret? ». - *P. L.*, t. XXXIV, col. 394, sq.

[3] *De Civit. Dei*, l. XIX, c. 13. - *P. L.*, t. XL, col. 640. Accipe verba praecedentia quibus Augustinus pulcherrime disserit de pace: « Pax itaque corporis, est ordi« nata temperatura partium. Pax animae irrationalis, ordinata requies appetitio« num. Pax animae rationalis, ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax cor-

II. Ad Textum. *1ª Obi.* Non distinguit inter inaequalitatem ex parte iustitiae et inaequalitatem ex parte perfectionum natura iusta.

2ª Obi. Aliud est quod aequalitas pariat aequalem dilectionem; aliud quod inaequalitas non pariat maiorem, sive utrimque aequalem, uti in sponso et sponsam; sive inaequalem, uti inter patrem et filium. De qua inaequalitate pulcherrime disserit Balmes. [1]

3ª Obi. Disiunctio quidem est bona; rationes autem utrimque expositae sunt imperfectae; in Deo, non attendit ad bonum ordinis; in natura, supponit agi hic de inaequalitate constituente defectum.

Sed contra est. Corrobatur doctrina ex hoc quod inter Angelos, purissimos spiritus, sine ulla culpae macula, inaequalitates reperiuntur, et quod Deus ipse, ante ullam labis contagiem, virum et mulierem sexu discrevit.

In Corpore. Processus S. Doctoris est manifestus. A magis obviis inaequalitatibus ad minus patentes transit. *a*) Maxime constat discretio *sexuum,* quum ex una parte summum ponat discrimen, ex altera immediate sit ab ipso Deo ob humani generis propagationem necessaria. – *b*) Proxime accedit discretio *aetatum*, quum homines sint multiplicandi per generationem.

Sed nonne haec duplex inaequalitas sufficeret? Pergit S. Doctor. *c*) Secundum *animas* poterat esse inaequalitas absque peccato, ratione liberi arbitrii in bonum se exercentis. Imo *d*) in ipsis *corporibus*, absque defectu, et quidam dupliciter α) ex *nativitate*, β) ex ipsa *vivendi ratione*, rerumque usu.

Adverte in *c*) S. Thomam non loqui de diversitate animarum ratione graduum diversae perfectionis in ipsa creatione a Deo inditae. De qua diversitate animarum in in-

« poris et animae, ordinata vita et salus animantis. Pax hominis mortalis et Dei, « ordinata in fide sub aeterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. « Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax « civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax caelestis civi- « tatis, ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo. Pax « omnium rerum, tranquillitas ordinis ». (Ibid.).

[1] *El criterio,* c. 17; *La enseñanza,* § 3; *Modo para descubrir los talentos ocultos y apreciarlos en su valor.*

stante quo corporibus infunduntur, non est huius loci disputare, quum et ipse S. Doctor nihil de ea dicat.[1]

Quare, citra defectum, illud quod dicitur heic in *d*) β), redundat in *c),* ut rationes quae inaequalitatem in animis producunt, illustret magis et compleat.

Corollarium. – Ex doctrina in hoc articulo exposita conclude, quam inanis sit illorum sententia, qui aequalitatem hominum inter se exaggerant.[2] Quae perfecta aequalitas ab ipsa natura reiicitur, uti sexuum discretio evidenter demonstrat;[3] idque non solum in praesenti statu in poenam peccati, sed et in statu originis. Unde si iam in hoc statu discrimina inter homines fuissent, imo talia cui tota oeconomia vitae socialis superstruitur, quanto magis nunc abesse non possunt, quum et vitia et morbi, variaeque complexionis gradus tot veluti fontes pateant, unde et in corporibus et in animis multiformis oriatur, quin et in dies augeatur disparitas.

ARTICULUS IV.

UTRUM IN STATU INNOCENTIAE HOMO HOMINI DOMINABATUR.

I. De ipsa Quaestione. – 1) Iam praeoccupata est huius quaesiti solutio. Si enim una ex rationibus propter quas Deus inaequalitatem produci curat inter homines, ipsum

[1] Cfr. S. Th. I, Q. LXXXV, n. 7, et quae ibidem diximus.

[2] Hanc utopiam Franciscus Coppée optime convellit in dialogo inter I. I. Rousseau et Voltaire. – *Volt.:* « Poursuivons notre examen de conscience... Que pensez-« vous, s'il vous plaît, des fameuses conquêtes de la Révolution? ... de l'égalité entre « citoyens, par exemple? ». – *I. I. Rouss.:* « ... Qu'elle existe dans les lois, mais « non dans les mœurs; que l'aristocratie de la naissance, qui donnait lieu, sans « doute, à de graves abus, a été remplacée par celle de l'argent, qui constitue une « bien plus scandaleuse iniquité, et qu'il suffit de jeter un regard sur le monde « moderne pour ne pas attendre de si tôt le triomphe de la seule aristocratie qui « devrait être reconnue par tous, celle du mérite et de la vertu ». * Coeterum perantiqua et recentissima, heu nimis! experientia docet, quotquot aequalitatis praetentu in sibi praelatos insurgunt, passim fieri quovis tyranno peiores. Caveant inde sedulo civitatum reformatores, ne, dum blandam democratiae auram fovent, indomitas excitent anarchiae procellas. Etenim iuxta Senecae monitum: « In licentiam « erumpit mala dispensata libertas ».

[3] Hinc apparet insanitas et periculum dicti « feminismi ». Etenim sicuti perfectio viri non in hoc residet ut sibi muliebres proprias assimilet dotes, ita nec mulieris est ut et viri sibi prorsus vindicet auctoritatem et iura.

* Op. cit. *Un dialogue des Morts,* pag. 175 sq.

ordinem spectat, consequens est, ordinem inter homines et in statu innocentiae esse debuisse. Iam vero quisnam potest ordo concipi, sine quadam relatione inter gradus ad invicem? Quaenam autem relatio inter creaturas ratione et voluntate donatas, sine aliquo regimine ex una parte et quadam subditione ex altera?

2) Heic autem oportet huius regiminis et huius subditionis limites attente definire, ne quod imperfectionis est, et poena sive effectus peccati, ipsum innocentiae statum invadat. Iamvero, ut hi limites definiantur, oportet attendere ad *indolem* dominationis, et ad *fines* ab eadem intentos.

a) Secundum *indolem,* alia dominatio tyrannica, veluti in servos in dominantis bonum ordinatos; alia dominatio libera, veluti in liberos, in bonum proprium directos. Quod axiomate comprehendi potest: Reges, propter populos; servi, (non enim populi, vixdum greges), propter tyrannos. Unde iam patet, in innocentiae statu, qui fuisset libertatis, nullam dominationem tyrannicam esse potuisse.

Si iam *b*) *fines* dominationis in liberos in praesenti statu consideramus, invenimus eam esse *a*) ad supplendum *defectibus;* corrigendo poenis delinquentes; imperando, etiam coacte, bonum; *b*) ad dirigendum *profectum* in bonum, maiori scientia et prudentia utendo in proventum communem.

3) His praemissis, in statu innocentiae servatae, exclusa quavis dominatione indolis tyrannicae, nullam apparet futuram adfuisse malam voluntatem sive castigandam, sive coacte coërcendam; unde praelatio seu dominatio unice fuisset in dirigendos bonos, idque in singulorum bonum et communitatis intenta.[1] Etenim, uti pulchre ait Augustinus: « In « domo iusti viventis ex fide, et adhuc ab illa caelesti civi« tate peregrinantis, etiam qui imperant, serviunt eis quibus « videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate im« perant, sed officio consulendi; nec principali superbia, sed « providendi misericordia. Hoc naturalis ordo praescribit; « ita Deus hominem condidit. Nam " dominetur, inquit, pi« scium maris „, etc. [2] Rationalem factum ad imaginem

[1] Cf. II Dist. XLIV, q. 1, a. 3.
[2] GEN., I, 26.

« suam noluit nisi irrationabilibus dominari: non hominem « homini, sed hominem pecori ».[1]

Huc spectant et verba S. Petri: « Unusquisque sicut acce- « pit gratiam in alterutrum illam administrantes ».[2]

4) Aliter tamen in statu innocentiae partim non servatae, iuxta hypothesim infrà discutiendam. Et sane, si aliqui ex posteris peccassent, iam quoad illos aliter esset loquendum, tum quoad dominium in creaturam rationalem, tum quoad dominium in ipsos ab aliis exercendum. Etenim eo magis illi de originali iustitia delapsi perseverantibus bonis fuissent subditi, quo deteriores istis per lapsum essent effecti.

5) Si autem urges dicendo, haec argumenta sufficere quidem ad probandum, dari *posse* dominationem quae sit sine permixtione mali, non autem ad probandum quod in statu innocentiae dominatio talis de facto adfuisset; respondetur: ideo adesset, quia a perfectione huius status non esset removendum bonum; et quidem duplex: aliud antecedens, aliud consequens. *a*) *Antecedens* quidem, quia etiam in statu innocentiae homo esset *socialis,* perfectionem suam plenam in vita sociali acquirens; quae vita socialis non est nisi inane somnium, si quamvis tollis dominationem. *b*) *Consequens* autem, ne *frustra* forent *excellentiae,* quas ipsa natura aliaeque causae in art. praec. expositae inter homines producerent.

6) Ex hac doctrina corroboratur quod in corollario praecedenti dicebamus, errare non solum eos, qui ad socialem quamvis dominationem evertendam, aequalitatem inter homines extollunt nimis; sed etiam illos qui, uti gallicus scriptor I. I. Rousseau, hominem *extra societatem* perfectionem suam plenam acquirere posse contendunt.

7) Porro si quaeris, qua ratione haec auctoritas sese evolvisset, paucis responderi potest, probabilissime eam patriarcalem futuram fuisse, quousque nimia familiarum multiplicatio ampliorem formam regiminis induxisset. In cuius regiminis latioris ambitu, sive primi, sive ultimi in praelationis gradu iuxta dignitatem, per liberam liberorum electionem,

[1] *De Civit. Dei,* l. XIX, c. 14, 45. – *P. L.,* t. XLI, col. 643.
[2] I PETRI, IV, 10.

salvis caeteris titulis ac iuribus, fuissent agniti vel designati. De quo argumento post absolutum articulum in corollario II nonnihil addemus.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Procedit de dominio servili vel tyrannico, quod utique ab innocentiae statu removendum est; fuit autem inductum in poenam peccati, primo relate ad diabolum generi lapso uti servis dominantem; dein relate ad homines ad invicem, amissa per abusum liberi arbitrii propria libertate.

Profunde alibi S. Thomas: « Creatura rationalis, quantum « ad se, non ordinatur, ut ad finem, ad aliam, ut homo ad « hominem; sed si hoc fiat, non erit nisi in quantum homo « propter peccatum irrationalibus creaturis comparatur ». [1]

2ª Obi. Non considerat quid in hac subiectione sit secundum naturam, quid contra naturam per excessus.

3ª Obi. Confundit libertatem quae per tyrannicam dominationem violatur, et eam quae per aliam praelationem in profectu iuvatur.

Sed contra est. Huc etiam inservit textus in Quaest. praec. allatus. Nam si huc tendunt inaequalitates, ut ordinetur creatura, quisnam ordo esset sine regimine, quum sola praelatio cum dominatione possit servare ordines inter entia libere in finem tendentia?

In Corpore. Accipe schema huius argumenti.

Dominium erat in statu innocentiae hominis ad hominem:
- *A) non in servos,* in finem domini dirigendos, nam libertas est bonum;
- sed
- *B) in liberos,* in proprium finem adiuvandos:
  1) homo est *socialis;*
  2) eo spectant *inaequalitates,* ne frustra sint.

Corollarium I. – Quum Ecclesia sit haeres spiritus Christi, id est divini Salvatoris, qui humanum genus in pristinam dignitatem restituit, potestas qua Ecclesia populos regit, hoc spiritu animetur oportet, iuxta verba ipsius Christi: « Reges gentium dominantur earum...; vos autem non sic. « Sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui prae-

[1] II Dist. XLIV, q. 1, a. 3.

« cessor est, sicut ministrator ».[1] Unde a Gregorii Magni tempore Romani Pontifices seipsos vocare solent « servos ser« vorum Dei »; et eodem spiritu ductus, S. Benedictus ordinatum Abbatem monet, ut « sciat sibi oportere prodesse « magis quam praeesse, et studeat plus amari quam timeri ».[2]

Indolis discrimen inter utramque potestatem his verbis pulchre describit S. Augustinus: « Non Rex Israël Christus « ad exigendum tributum,[3] vel exercitum ferro armandum, « hostesque visibiliter debellandos; sed Rex Israël quod « mentes regat, quod in aeternum consulat, quod in regnum « caelorum credentes, sperantes amantesque perducat ».[4]

Unde et Ecclesiae regimen pulcherrimis verbis celebrat: « Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam « officii delectatione doces adhaerere. Tu dominos servis, « summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et « ad consulendum quam ad coërcendum propensiores facis. « Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines pri« morum parentum recordatione, non societate tantum, sed « quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospi« cere populis, mones populos se subdere regibus.[5]

[1] Luc. xxii, 25, 26.

[2] *Regul.*, c. lxiv, *De ordinando Abbate.*

[3] Alludit Augustinus ad verba prophetae Samuel, qui populo regem petenti regiam potestatem descripsit uti tyrannicam, sub qua populus nonnihil esset de sua dignitate et libertate amissurus. *

[4] *In Ioann.*, tract. li, n. 4. – *P. L.*, t. xxxv, col. 1765.

[5] *De mor. Eccles.*, l. i, c. 30. – *P. L.*, xxxii, col. 1336, sq. Et pergit Augustinus: « Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus « consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiur« gatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus « omnia, at omnibus charitas, et nulli debeatur iniuria ». Caeterum afferenda esset haec integra apostrophe ad Ecclesiam, quae totam Augustini fidem, amorem, ingenium et eloquentiam spirat. En saltem eius exordium: « Merito, Ecclesia catholica, « Mater Christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cuius adeptio vita est « beatissima, purissime atque castissime colendum praedicas; nullam nobis inhae« rendam creaturam inducens, cui servire iubeamur; et ab illa incorrupta et invio« labili aeternitate, cui soli homo subiiciendus est, cui soli rationalis anima cohae« rendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium commu« tationi, quod subditum tempore, neque confundens quod aeternitas, quod veritas, « quod denique pax ipsa distinguit, nec rursum separans quod majestas una coniun« git; sed etiam proximi dilectionem atque charitatem complecteris, ut variorum « morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, [omnis apud te medicina

* i, Reg. viii, 11, sqq.

Hoc discrimen, etsi de spirituali regimini directe valeat, nequit tamen ex quadam irradiatione bonitatis non usque ad civile regimen extendi, quod, salvis exceptionibus potius raris,[1] miti sua atque paterna indole ab alia civili potestate solebat discerni. Inde tritum illud effatum gallicum: « Il fait « bon vivre sous la crosse ».

Ecclesiae catholicae, seu societatis catholicae merita erga societatem naturalem eloquenter evolvit Lacordaire, tum quoad proprietatem, tum quoad familiam, tum quoad auctoritatem, tum quoad communionem bonorum et vitae.

« praepolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque « non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces et doces ». Unde recte Ecclesia catholica vocatur rei publicae optima magistra, non modo in futuri aevi beatitudinem homines conducens, sed, in quantum conditio sinat temporis praesentis, ad altissimum eosdem beatitudinis gradum provehens. Hinc pessimi rei publicae hostes sunt illi, qui tam providam humani generis tutricem a munere suo libere exercendo impediunt. Quare de impugnata et spreta revelatione valent cl. Janvier eloquentia verba: « Et pourquoi donc, philosophes, politiques, législateurs, ayant « connu cette Révélation, l'avez-vous dédaignée? C'est au nom du progrès que vous « nous arrachez à sa bienfaisante influence, et vous ne vous apercevez pas qu'un « grand courroux secoue les nerfs de notre génération exaspérée, que les pierres du « foyer volent en éclats, que l'autorité et la liberté se ruent et s'usent l'une contre « l'autre, menaçant de sombrer et de tout ensevelir dans leur naufrage. Prenez garde: « la barbarie sommeille aux frontières des nations, et au fond de l'âme humaine elle « ne meurt jamais; une société sans Dieu ne tarde pas à devenir – c'est un des vôtres « qui l'a dit * – *un coupe-gorge et un mauvais lieu* ». **

Sapientissime proin scripsit Leo XIII: « Est Ecclesia morum magisterium opti« mum, cuius salutaris disciplina cives praestat probos, honestos, pios in patriam, « fideles principibus iisque addictissimos, tales demum qui publici civitatum ordinis « stabile firmamentum constituant, iisque vires praebeant invictas ad ardua quaeque « et praeclara aggredienda facinora ». Unde providum addit monitum. « Ea propter « rei publicae salubriter utiliterque consulitur, quum Ecclesia sinitur ea uti agendi « libertate quam iure vindicat, eique amice via sternitur ut late explicare beneficas « vires suas, et omnem quo praedita est instructum in commune bonum valeat « adhibere. ***

[1] Ferunt Iulium II, Pontificem sat bellicosum, dum in armatam luctam procederet, iocose dixisse: « Quum non me iuvent claves Petri, Pauli arripio gladium! » Qui et sculptori Michaëli Angelo, formam futurae statuae ostendenti ad sepulchrum eius in Basilica Vaticana destinatae, dixit: « Ecquid in dextra ponis Evangelium: « da mihi ensem! ». Caeterum Iulius II erat magnus Pontifex; inter artium Mecenates ita superabat omnes, ut saeculum Leonis X nuncupari solitum, aequius a Iulio II nomen acciperet. ****

* Taine, *Origines de la France contemporaine*, 25 éd., t. xi, p. 147.

** *La Béatitude. 3e Conférence.* Carême 1903. Paris, Lethielleux, p. 95.

*** Epist. *Pastoralis vigilantiae* de rebus catholicis in Lusitania (25 iunii 1891).

**** Cf. Pastor, *Storia dei Papi*, t. iii, p. 725.

Quoad primam, inter alia haec habet: « Hommes ingrats, « qui reniez Jésus-Christ, et qui croyez méditer une œuvre « plus profonde que la sienne en attaquant la propriété, même « celle du travail, vous êtes bien heureux que la force de « l'Evangile prévale contre la vôtre. Chaque heure de votre « dignité et de votre liberté est une heure qui vous est con- « servée malgré vous, et que vous devez à la puissance de « Jésus-Christ ».[1] – Quoad familiam, in haec pulchra prorum- pit: « O foyer domestique des peuples chrétiens! maison « paternelle, où, dès nos premiers ans, nous avons respiré « avec la lumière l'amour de toutes les saintes choses, nous « avons beau vieillir, nous revenons à vous avec un cœur « toujours jeune, et n'était l'éternité, qui nous appelle en « nous éloignant de vous, nous ne nous consolerions jamais « de voir chaque jour votre ombre s'allonger et votre soleil « pâlir ».[2] – Quoad auctoritatem haec profunda veluti vatici- natur: « La force militaire, si imposante au premier coup « d'œil, est la dernière à pouvoir constituer l'unité, l'ordre « et la puissance, parce qu'étant plus corps qu'esprit, elle « est à la vie ce que l'organe est au sang. Un souffle étran- « ger lui est nécessaire pour l'animer et la diriger, sans quoi « elle écrase comme un roc qui ne sait ce qu'il fait, ou elle « se dissipe comme une poussière qui écoute le vent. La « société n'est pas fille de la violence, elle est fille de l'in- « telligence et de la liberté, et ne respecte rien que ce qui « sort de cette double source ou y prend sa mission. Ce n'est « pas la force qui la fonde, c'est l'autorité ».[3] – Quoad com- munionem bonorum et vitae haec ait: « Unissez par la pen- « sée, Messieurs, d'une part l'accroissement de valeur territo- « riale produit par la vie cénobitique, de l'autre la diminution « dont elle est la cause dans les besoins et les désirs, et vous « aurez assurément pour résultat un phénomène économique « auquel nul autre ne peut être comparé ». Et inferius lepide addit: « Le protestantisme, en se séparant de l'Eglise, n'a « pas même gardé la fécondité bouddique; loin de pouvoir

[1] XXXIII^e *Conférence.*
[2] XXXIV^e *Conférence.*
[3] XXXV^e *Conférence.*

« produire un Frère des Ecoles ou une Sœur de Charité, il « ne produit pas même un pénitent hindou ».[1] Quid iam dicemus de aliis innovationibus, quae, dum ingrate et iniuste Ecclesiam spoliarunt, populo egenti attulerunt nihil, nisi pravo exemplo stimulatam invidiam? Quae invidia, rupto religionis freno, citius tardius, in socialis ordinis eversionem barbaramque anarchiam prorumpat oportet.

Corollarium II. – Pariter ex huius articuli doctrina, collato articulo praecedenti, patet originem humanae societatis radicitus repetendam esse a familia,[2] quae ab unitate humani generis e primo homine educti arctissimam ipsa Dei ordinatione connexionem accepit.[3] Hanc socialem hominis et in statu innocentiae evolutionem bene ita illustrat Vitus Fornari: « Aprendosi l'uomo in più persone, avviene che la « società che giaceva contratta dentro, si apra e propaghi « in più persone, e così vengano a scompartirsi tra loro le « parti, e all'una persona tocchi la parte di reggere, e all'altra « di obbedire, senza che per questo venga meno l'eguaglianza « e la giustizia. Con ciò la società naturale, ch'è la fami- « glia, prende forma e qualità di repubblica o stato o governo, « civile che dir si voglia, nel quale l'autorità viene eserci- « tata dal padre e l'obbedienza da' figliuoli; i quali allora « che diventano padri di altri figliuoli, esercitano autorità « verso di questi e insiememente obbedienza verso il padre « loro. Tale fu fatto l'uomo da Dio: e se presto non fosse « intervenuta una gran mutazione, sarebbe arrivato un « giorno, che propagatesi le persone umane tanto da occu- « pare tutta la terra, nondimeno avrebbero composto una « sola società, che sarebbe stato insieme e famiglia e repub-

[1] XXXVI[e] *Conférence.*

[2] Patriarchalem gubernii formam, qualis in primis temporibus in populo hebraico viguit, narrat Card. Massaia, se non semel apud barbaras africanas tribus reperisse, a monarchica et republicana forma prorsus distinctam.

[3] De potestate domestica optime scribit doctissimus Bouquillon: « Potestas dome- « stica nullo modo derivata est a potestate publica seu iurisdictione civili aut eccle- « siastica, nec ab ea pendet in sua existentia suisque attributis; sed est sui generis, « civili potestati anterior, et a Deo ipso communicata ». *

* *Theologia Moralis fundamentalis. De lege domestica,* Brugis, Beyaert-Storic, 1890, p. 450. Cfr. Leo XIII, encycl. *Quod Apostolici.*

« blica e chiesa, delle quali Adamo fosse il principe, il pon-
« tefice sommo ».[1]

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Dignitas imaginis Dei, ordoque in creatura servandus, postulabant ut animalia homini in statu innocentiae subderentur, eo vel magis quod utrorumque proprietati haec subditio maxime convenit (a. 1). Imo in ipsam creaturam sensibilitate destitutam decebat hominem dominari, non quidem dominio imperii, sed usus (a. 2).

Insuper, quum etiam in statu innocentiae, Deo ita ordinante, inter homines essent inaequalitates, in sexu, in aetate, quin et in anima et in corpore (a. 3), homo in homines dominium exercuisset, non quidem uti in servos, sed uti in liberos sociali vinculo in perfectionem regendos (a. 4).

MEMBRUM II.

DE STATU PRIMI HOMINIS SECUNDUM CORPUS

Iam ad secundum Membrum huius Sectionis accedimus, ubi statum primi hominis consideramus *secundum corpus*. Hanc autem partem (cf. tabellam, p. 17) ita evolvit S. Doctor, ut primo consideret *conservationem individui* (cap. I), dein *conservationem speciei* (cap. II). In qua consideratione, quomodo potuerit ad ipsas dotes *animae* in generanda prole descendere, licet totum membrum consideret statum primaevum secundum *corpus*, loco suo vindicabimus. Primum Caput unica Quaestione absolvitur. Alterum quatuor Quaestiones complectitur quibus, iuxta praemissa, appendicis instar adnectemus Quaest. CXIX.

[1] Op. cit., l. I, c. 2, p. 175. Vides proin quam radicitus falsa sit theoria contractus socialis a I. I. Rousseau inducta.

Accipe itaque huius Membri ordinem schemate sequenti expressum: [1]

- De conditione primi hominis quantum ad *corpus* (Membr. II):
  - *A*) quantum ad *individuum* (Q. XCVII) (Caput I);
  - *B*) quantum ad conservationem *speciei* (Caput II):
    - 1) de ipsa generatione (Q. XCVIII, cum app. Q. CXIX);
    - 2) de conditione prolis generatae:
      - *a*) quantum ad corpus (Q. XCIX);
      - *b*) quantum ad iustitiam (Q. C);
      - *c*) quantum ad scientiam (Q. CI).

CAPUT I.

DE STATU PRIMI HOMINIS QUOAD INDIVIDUI CONSERVATIONEM.

Quaestio XCVII.

De ordine Quaestionis. – Primo disserit S. Thomas de dote immortalitatis, deinde de connexis quoad passibilitatem, nutritionem, et modum ipsam immortalitatem acquirendi.

ARTICULUS I.

UTRUM HOMO IN STATU INNOCENTIAE ESSET IMMORTALIS. [2]

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Quo securius falsae intellectioni huius quaesiti praecludatur via, distinguendus est ab initio duplex sensus vocabuli *immortalis:* significat enim aliquid vel *mori non posse,* vel dumtaxat *posse non mori.* Hoc alterum longe minus dicere patet. [3]

a) Iam vero *mori non posse* rei contingit vel α) ex necessitate naturae, vel β) ex aliqua superaddita circumstantia

[1] Cf. tabellam completam in initio praecedentis voluminis exhibitam, p. 2, 3.

[2] Cf. de hoc argumento e recentioribus Palmieri (op. cit., n. xlvi-lii); Card. Mazzella (op. cit., Prop. xxvi); Hettinger (*Apol.*, l. ii, 1, p. 338 sq.).

[3] Nisi « mori non posse » intelligatur in sensu negativo, ex defectu scilicet vitae, quae est conditio sine qua non ut aliquid possit mori. Hoc sensu improprio dicit minus quam « posse non mori », imo quam « posse mori ».

cum qua mori repugnat, non quidem inspecta rei natura, sed inspecta relatione huius circumstantiae ad illum a quo pendet nexus inter circumstantiam et eum qui per eam fieri dicitur immortalis. Solus modus primus est absolutus.

b) At *posse non mori,* in eo qui per naturam mortalis esset, non potest conferri nisi α) *immediate* ab auctore eiusdem naturae, vel β) *mediate* per qualitatem ab eodem naturae auctore huic collatam et superadditam. Quae qualitas poterit vel immediate afficere partem inferiorem eiusdem naturae (nam composita sit oportet), sive totam naturam (si ex omni parte per se mortalis sit); vel immediate conferri parti superiori, ut per illam pars inferior ad dignitatem immortalitatis attrahatur.

2) Iam haec ad hominem applicemus. Sint igitur sèquentes propositiones:

a) Homo per se non est immortalis in sensu quod *non possit mori.* Est enim compositus ex anima incorruptibili et corpore corruptibili;[1] nec est de natura animae ut per se habeat facultatem praeservandi corpus a corruptione. Corruptum autem corpus iam evadit unioni ad animam impar; qua rupta unione sequitur mors.

b) Aliquatenus tamen poterit homo esse immortalis in sensu quod *mori non possit,* non per se, sed per Deum, si α) ipse Deus circumstantiae ut fidelis permaneat, adnectit privilegium ut mori non possit. Quod privilegium, antecedenter ad hominis fidelitatem, facit ut *possit non mori,* consequenter, ut *mori non possit.* Pariter, imo magis, β) homo erit immortalis ita ut *mori non possit,* si ab ipso Deo immobiliter constituitur in statu fidelitatis et gloriae.

c) Per se igitur homo est mortalis, ita ut non solum *mori possit,* sed *non mori non possit,* nisi α) speciali privilegio aspiratio partis superioris vincat inclinationem partis infe-

[1] Pulchre Bossuetius: « La nature d'un composé ne se remarque jamais plus « distinctement que dans la dissolution de ses parties. Comme elles s'altèrent mutuel- « lement par le mélange, il faut les séparer pour les bien connaître. En effet, la « société de l'âme et du corps fait que le corps nous paraît quelque chose de plus « qu'il n'est, et l'âme quelque chose de moins; mais lorsque venant à se séparer, « le corps retourne à la terre, et que l'âme aussi est mise en état de retourner au « ciel, d'où elle est tirée, nous voyons l'un et l'autre dans sa pureté ». *

* *Carême du Louvre. Sermon sur la mort,* éd. Lebarcq, t. cit., p. 664.

rioris; quo casu, animae conferenda est a Deo qualitas praeternaturalis vi cuius praeservationem corporis operetur; vel nisi β) immediate Deus corruptionem corporis impediat, illud in se relictum praeservando, vel supra se elevando.

d) Porro istud privilegium α), vel illa immediata Dei praeservatio β), potest concipi sive *absolute* collatum, sive *conditionate.*

α) Si absolute, confert *impossibilitatem moriendi*, non per se, sed ex privilegio; β) si conditionate, confert antecedenter ad conditionem implendam *possibilitatem non moriendi,* consequenter vero *impossibilitatem moriendi.*

Totum elegantissime S. Anselmus comprehendit dicendo, potestatem non moriendi non fuisse in homine immortalem: « Habebant in paradiso quamdam immortalitatem, id est « *potestatem non moriendi,* sed non erat immortalis haec « potestas quia poterat mori, ut scilicet ipsi *non possent « mori* ».[1]

e) Quum igitur per se homo sit mortalis, quumque destinaretur a Deo in finem supernaturalem, quo ipsum corpus ad dignitatem aliquomodo spiritualem elevaretur in aeternum, congruum maxime fuit, ut, quemadmodum anima per gratiam iam in praesenti vita praeparatur ad visionem, ita quoque corpus praepararetur ad statum gloriosum per communicationem immortalitatis. Sed, quemadmodum ipsa visio assequenda erat fidelitate, ita congruebat ut et corporis gloria a fidelitate penderet; unde, quemadmodum per infidelitatem amittebatur gratia, ita per infidelitatem esset amittenda immortalitas. Ordo autem inter haec dona requirebat ut ab anima immortalitas redundaret in corpus, per aliquam virtutem animae collatam, quae corporis incapacitati suppleret.

f) Inde patet, hanc immortalitatem non fuisse homini naturalem,[2] quum natura compositi humani non habeat per se unde impediat dissolutionem corporis. Optime id affirmat S. Cyrillus Alexandrinus: « Homo est rationale quoddam « animal, compositum ex anima nimirum et hac fragili atque

[1] *Cur Deus homo,* l. I, c. 18. - *P. L.,* t. CLVIII, col. 386.
[2] Cf. infra damnatam propositionem Baii.

« terrena carne,... non habens ex propria natura incorruptio-« nem et immortalitatem ».[1]

Est proin haec immortalitas donum Dei gratuitum: « Ho-« mines, ait praeclare S. Athanasius, ab aeternis rebus aversi « et ad res corruptioni subiectas consilio diaboli conversi, sibi « ipsis corruptionis mortis auctores facti sunt: qui ex natura « quidem mortales erant[2] sed gratia, qua Verbi erant par-« ticipes, naturae conditionem haud dubie effugissent, si boni « utique permansissent ».[3] Breviter et nervose S. Augustinus: « Mortalis erat conditio corporis animalis, immortalis « autem beneficio Conditoris ».[4]

Nec tamen haec immortalitas dicenda est simpliciter supernaturalis. Etenim non excedit exigentiam cuiusvis naturae; nec ipsius naturae humanae adspirationes excedit, non ut sit, sed ut perfecta sit, abstractione etiam facta a destinatione hominis in finem supernaturalem. Et re quidem vera, quum anima humana sit immortalis, quumque ita sit corporis forma, ut in corpore perfectum suum modum essendi et operandi inveniat, anima adspirat ad hoc ut corpori semper maneat unita. Quare in homine, etiam naturaliter considerato, dantur inclinationes oppositae: corporis quidem in dissolutionem, animae in corporis conservationem. Unde immortalitas, etsi non sequens ex principiis compositi humani, pertinet tamen ad ea quae humanam naturam reddunt perfectam. Est proin, quemadmodum libidinis alligatio, donum *praeternaturale.*[5]

Optime S. Thomas: « Ex parte suae formae naturalior « est homini incorruptio, quam aliis rebus corruptibilibus; sed « quia et ipsa habet materiam ex contrariis compositam, ex « inclinatione materiae sequitur corruptibilitas in toto: et

[1] *In Ioann.*, l. I, c. 9, n. 94-95. - *P. G.*, t. LXXIII, col. 159.

[2] De causis mortis naturalis, lege *Etudes religieuses*, maii 1893.

[3] *Orat. de Incarn. Verbi*, n. 5. - *P. G.*, t. XXV, col. 103 sq. Huic modo loquendi sat appropinquat Scotus, uti infra patebit.

[4] *De Gen. ad litt.*, l. VI, c. 25. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 354. Cf. *De Civit. Dei*, l. XIV, cap. 20.

[5] Quare improdandus est modus loquendi G. Schmidt, ubi ait: « Beide Theile « (immortalitem et gratiam) sind für den Menschen übernatürlich im höchsten Sinne « des Wortes ». *

* Op. cit., pag. 497, sq.

« secundum hoc homo est naturaliter corruptibilis secundum « naturam materiae sibi relictae, sed non secundum naturam « formae ». [1] Breviter, sed efficacissime id expressit Petrus Rossi: « La morte del corpo è naturale all'uomo, se si consi- « deri la materia di cui è formato; non però se si considera « la forma che è l'anima, di sua natura immortale ». [2]

3) *Obiicies.* Ergo talis est hominis natura, quae per se imperfecta sit. Talis autem natura non decet artificem perfectum. Cui obiectioni multipliciter respondetur.

a) Ipse divinus artifex non condidit illam naturam in solis naturalibus, sed per supernaturalia eam complevit. Unde quod humana natura sine praeternaturalibus his donis existat, homo non Deo imputare debet, sed sibi. « Deus, ait rur- « sus S. Thomas paulo inferius, cui subiacet omnis natura, in « ipsa institutione hominis supplevit defectum naturae, et « dono iustitiae originalis dedit corpori incorruptibilitatem « quamdam: et secundum hoc dicitur, quod "Deus mortem « non fecit„, [3] et quod mors est poena peccati ».

b) Si valeret obiectio, probaret, creaturam ex anima rationali et corpore mortali constantem, esse per se monstruosam et Creatore indignam: nam monstruosum est illud omne quod constat partibus ita oppositis ut non possint harmonice componi salvis utriusque proprietatibus.

c) Quando proin dicimus, naturam hominis immortalitatis dote corpori concessa perfici, non dicimus eam per se imperfectam esse, ut sit homo; sed eam reddi hac dote perfectiorem, ne adspiratio partis superioris, corpore non destitui cupientis, frustra sit.

d) Corpus, etsi corruptibile, non desinit nihilominus esse aptum animae instrumentum; quamquam anima, a parte sua, illud aptius, immortale scilicet, eligeret si posset. Ad rem maxime S. Thomas: « Corpus humanum est materia « electa a natura quantum ad hoc, quod est temperatae com- « plexionis, ut possit esse convenientissimum organum tactus

[1] II. Q. LXXXV, a. 6, corp. Cf. *Ctr. Gent.*, l. IV, c. 81.

[2] *Saggio di palingenesi ultramondana. Discorsi quattro. Resurrezione dei corpi*, vol. II, p. 15 (Savona, Tipografia Bartoletto, 1909). Cf. p. 61 in praecedenti volumine allata (p. 45).

[3] SAP., I, 13.

« et aliarum virtutum sensitivarum et motivarum: sed quod « sit corruptibile, hoc est ex conditione materiae; nec est « electum a natura, quin potius natura eligeret materiam « incorruptibilem ». [1]

4) Porro, quemadmodum superius egimus, ubi de dono integritatis disserebamus, iuvat quaerere quibusnam mediis corpus innocentis hominis potuerit a morte praeservari.

a) Antequam huic quaesito directius respondeamus, iterum monendum ducimus, hanc immortalitatem non esse stricto sensu intelligendam, non solum quia, iuxta superius dicta, non tollebat possibilitatem moriendi, sed etiam quia vitam hanc terrenam non extendebat ad tempus infinitum. Quare non valent contra hanc dotem considerationes ex legibus physicis petitae ad demonstrandum corpus humanum, utpote subtilissime compositum, non posse decursu temporis non aliqualiter saltem consumi. Etiamsi hoc verum esset, non inde probaretur Deum non potuisse, mediis etiam externis, ordinis physici, tam efficaciter vires corporis instaurare, ut de facto nemo moreretur antequam esset ad gloriam transferendus.

b) Sed, hac missa consideratione, e regione Deus potuisset unico medio producere hanc immortalitatem, tollendo mortalitatis causam per immediatam suam instauratricem virtutem. Quod nemo fieri posse negabit, nisi qui aut ipsum negat Deum, aut deficientem nimis habet de Deo conceptum.

c) Quum autem opera Dei sint harmoniosa, et in ipsis rebus quae superant naturae vires, Deus soleat natura, utique roborata, ad finem intentum uti, nil obest quominus ad producendam innocentis hominis immortalitatem Deus plures causas simul conspirantes adhibuerit, tum a parte animae, tum a parte corporis, tum a parte naturae externae, adiuncta speciali providentia.

d) His praemissis, placet doctrina Billuart, qui quinque causas ad hanc immortalitatis dotem concurrentes suggerit: α) supernaturalem virtutem animae inditam; β) optimam physicam complexionem corpus huic dono bene aptantem; γ) esum ligni vitae; δ) hominis innocentis scientiam et pru-

[1] Ibid.

dentiam, qua nociva cognosceret et sedulo vitaret; ε) singularem Dei providentiam. [1]

II. Ad Textum. – *1ª Obi.* Non valet, si agitur de immortalitate praeternaturaliter concessa. Supponit etiam definitionem hominis esse: *quod mori debeat.*

2ª Obi. Corruptibile et incorruptibile *per se,* utique genere differunt, non autem *corruptibile per se* et *incorruptibile per gratiam;* nisi demonstretur, tantopere esse hominem corruptibilem per se, ut neque per gratiam possit incorruptibilis fieri.

3ª Obi. Supponit, nexum inter praeternaturalia et supernaturalia esse necessitatis utrimque, ita ut, quemadmodum amissis supernaturalibus non potuerunt stare praeternaturalia; ita, redditis supernaturalibus, et praeternaturalia reddi debeant. [2]

4ª obi. Alia immortalitas status innocentiae, vi cuius homo *poterat non mori;* alia immortalitas status gloriae, vi cuius homo *non amplius potest mori.* Prior donum praeternaturale, altera praemium. Insuper locus Ioannis accomodatur statui humani generis *post lapsum,* in quo mors saevit in omnes.

Sed contra est. Accipe principaliores auctoritates ex Scriptura et ecclesiastica traditione quibus intentum demonstratur.

I. *Ex Scripturis. A)* V. Test. habemus: 1) Dei verba ad protoparentem: [3] « De ligno scientiae boni et mali ne co-« medas; in quocumque enim die comederis ex eo, *morte mo-« rieris* ». [4] Ergo nisi comedisset, mortuus non fuisset. [5] Nec obiicias, hic agi de morte morali, non spirituali; quia secus debuisset morte mulctari ipso die quo comedit. – *Resp.* Sequentia ostendunt hoc dictum esse quoque, imo in sensu magis obvio, de morte corporali, de qua erat ferenda sen-

[1] *Op. cit.*, Dist. v, n. 3, § 2.

[2] Cf. dicta de hoc nexu in Q. xcv, a. 1.

[3] Haec verba Pelagius dicebat de morte spirituali esse intelligenda.

[4] Vertit Symmachus: « mortalis eris », consentientibus versione Syriaca et Rabbinis.

[5] Cf. Bellarminus, *De grat. primi hom.*, c. 8.

tentia immediate post culpam, licet executio potuerit tempore differri.[1]

Imo ab ipso instante quo Adamus deliquit, coepit in se legem mortis sentire. « Quando peccavit Adam non obe-« diens Deo, ait Augustinus, tunc eius corpus, quamvis « esset animale ac mortale, gratiam perdidit, qua eius ani-« mae omni ex parte obediebat; tum ille exstitit bestialis « motus pudendus hominibus, quem in sua erubuit nuditate. « Tunc etiam morbo quodam ex repentina et pestifera cor-« ruptione concepto factum in illis est, ut illa in qua creati « sunt stabilitate aetatis amissa, per mutabilitates aeta-« tum irent in mortem. Quamvis ergo annos multos postea « vixerint, illo tamen die mori coeperunt, quo mortis legem, « qua in senium veterascerent, acceperunt ».[2]

2) Porro Evam ita intellexisse, ex ipsa responsione quam fecit serpenti, manifesto apparet: « De fructo ligni, quod « est in medio paradisi, praecepit nobis Deus ne comedere-« mus: et ne tangeremus illud, *ne forte moriamur* ».[3] – 3) Pariter constat ex instantia serpentis: « *Nequaquam morte mo-« riemini* ».[4] – 4) Ipsa sententia omne dubium tollit: « In su-« dore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram « de qua sumptus es: quia *pulvis es et in pulverem rever-« teris* ».[5] Quo ex loco simul apparet, collatis locis praecedentibus, mortem ita esse poenam peccati, ut tamen respondeat conditioni naturali hominis; ac proin per peccatum amissum esse donum *praeternaturale*. – Et corroboratur 5) per verba quibus praevaricatoribus Deus irridet: « Nunc ergo

[1] Sunt qui putent, mortem fuisse absque temporis dilatione subsecutam culpae, nisi Adamus poenitentiam illico agere coepisset. Sed haec consideratio nullo solido argumento fulcitur. De poenitentia autem protoparentum in secunda Sectione huius Partis agemus. *

[2] *De pecc. mer. et remiss.*, lib. I, c. 16. — *P. L.*, t. XLIV, col. 120.

[3] GEN., III, 3.

[4] Ibid. 4. Ad haec verba optime S. Alphonsus: « Col medesimo inganno *nequa-« quam moriemini* spesso inganna il demonio tanti poveri peccatori, lusingandoli « a non lasciare la mala vita, con la falsa speranza che Dio non li farà morire in « peccato, e così molti si sono perduti; ma Dio aspetta sino a certo segno, e quando « è piena la misura dei peccati punisce ed eseguisce la sua giusta vendetta ». **

[5] Ibid., III, 19.

* Cf. CALMET (in hunc locum).

** *Condotta della Provvidenza*, p. I, c. 1, n. 23.

« ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno « vitae, et comedat *et vivat in aeternum* ». [1] – Imo 6) ipsum *lignum vitae* supponit, agi hic de ligno specialem habente praerogativam conservandi vires, utique sub praeternaturali actione animae tributam. [2]

Haec doctrina, in *Genesi* tam aperte contenta, per alia V. Testamenti testimonia corroboratur. – 7) Auctor libri *Sapientiae* proclamat: « Deus mortem non fecit » [3] et: « Deus « creavit hominem inexterminabilem... invidia autem diaboli « mors intravit in orbem terrarum ». [4] – 8) Et auctor *Ecclesiastici* ait: « A muliere initium factum peccati et per illam « omnes morimur ». [5]

B) In *N. Test.* S. Paulus eamdem doctrinam non semel expressit. 1) In epistola ad Romanos scribit: « Per unum homi- « nem peccatum in hunc nundum intravit, et *per peccatum* « *mors*, et *ita in omnes homines mors pertransiit, in quo* « *omnes peccaverunt* ». [6] – 2) Et paulo inferius: « Si Christus « in vobis est, *corpus quidem mortuum est propter pecca-* « *tum,* spiritus vero vivit propter iustificationem ». [7] Quo loco confirmatur doctrina in *Corpore* huius articuli necnon in resp. ad 3[m] exposita, ita scil. per Christum redditam esse iustitiam, ut tamen mortis debitum cuique solvendum maneat, at cum spe resurrectionis in unione cum Christo a mortuis redivivo. [8]

3) Huc faciunt quoque verba eiusdem Apostoli: « Ut *per* « *mortem* (Christus) destrueret eum, *qui habebat mortis impe-* « *rium,* id est, diabolum ». [9] Cur diabolus accepit imperium mortis, nisi quia mors est poena inflicta in eos qui pec-

[1] Ibid., 21.

[2] Cf. GEN., II, 9, et dicenda de hoc ligno vitae in articulis sequentibus.

[3] SAP., I, 13.

[4] Ibid., II, 23.

[5] ECCLES., XXV, 33.

[6] C. V, v. 2. Non heic mortem dumtaxat spiritualem, aeternam, sed, imo per prius intendi physicam, traditio Ecclesiae docet et demonstrat contextus. Non ideo tamen alter sensus est excludendus. * Sed de hoc textu fusior sermo recurrit in secunda Sectione huius tractatus.

[7] C. VIII, 10.

[8] Ibid., v. 11.

[9] HEBR., II, 14.

* Cf. CORNELY (in hunc locum).

cando sese dederunt servos ei, cuius suggestionem erant secuti?

II. *Ex ecclesiastica traditione* eadem doctrina aperte constat, scilicet ex declarationibus contra haereticos latis, ex disertis Patrum testimoniis, necnon ex Liturgia.

A) Contra Pelagium [1] asserentem, Adamum etiamsi non peccasset, mortem gustaturum fuisse, Ecclesia constanter docuit protoparentes praeternaturali dono, a perseverantia in iustitia dependente, privilegium accepisse non moriendi.

1) Concilium *Melevitanum* (iuxta alios Carthagin. generale anni 418), Innocentio confirmante, ita habet: « Placuit « omnibus episcopis qui fuerunt in hac sancta synodo con- « stituere haec, quae in praesenti concilio definita sunt. Ut « quicumque dicit Adam primum mortalem factum, ita ut « sive peccasset, sive non peccasset, moreretur in corpore, « hoc est, de corpore exiret non peccati merito, sed neces- « sitate naturae, anathema sit ». Eamdem doctrinam proclamant Conc. Diospolitanum et Carthaginense IV.

2) Pariter concil. *Arausicanum II*, can. 2, declarat Adami mortem fuisse poenam peccati. – 3) *Conc. Tridentinum* ita habet: « Si quis non confitetur primum hominem Adamum... « incurrisse per offensam praevaricationis iram et indigna- « tionem Dei, *atque ideo mortem, quam antea illi commi- « natus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub eius « potestate, qui mortis deinde habuit imperium,* [2] hoc est « diaboli... anathema sit ».[3]

4) Sed et contra Baium et Iansensium Ecclesia indolem praeternaturalem huius doni propugnavit, improbans sequentem propositionem 78[m] Baii: « Immortalitas primi hominis « non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio ».

B) *Ex Patribus* sufficiat attulisse celeberrimum locum in quo Augustinus non solum immortalitatis donum proto-

[1] Nil mirum sane Ciceronem, et Philosophos passim, mortem uti mere naturalem homini iudicasse.

[2] Prop. 78. Cf. et prop. 17, Synod. Pistoriensis a Pio VI damnatam. Eodem omnino sensu iam olim ps. Dionysius damnabat eos qui « aiunt mortalibus deberi « immortalitatem ». *

[3] Sess. v, can. 1. Alludunt Patres Conc. Trident. ad textum S. Pauli ad Hebr. superius allatum.

* *De div. nom.*, c. 8.

parentibus concessum proclamat, sed et acutissime ostendit discrimen inter immortalitatem conditionis originalis et gloriae.[1] « Bina ista quid inter se differant, diligenter et vigi-« lanter intuendum est, posse non peccare et non posse pec-« care; *posse non mori* et *non posse mori;* bonum posse « non deserere, et bonum non posse deserere. Potuit enim « non peccare primus homo, *potuit non mori,* potuit bonum « non deserere. Numquid dicturi sumus: Non potuit peccare, « quia tale habebat liberum arbitrium? aut: Non potuit mori « cui dictum est: Si peccaveris, morte morieris? aut: Non « potuit bonum deserere, cum hoc peccando deseruerit, *et « ideo mortuus sit?* Prima ergo libertas voluntatis erat, « posse non peccare; novissima erit multo maior, non posse « peccare; – *prima immortalitas erat, posse non mori; « novissima erit multo maior, non posse mori;* – prima erat « perseverantiae potestas, bonum posse non deserere; novis-« sima erit felicitas perseverantiae, bonum non posse dese-« rere ».[2]

Quaerenti autem de modo quo haec immortalitas produci potuerit, S. Augustinus respondet adhibendo ingeniosam comparationem: « Si Deus Israëlitarum vestimentis et « calceamentis praestitit quod per tres annos non sunt obrita,[3] « quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia praesta-« retur ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo « quemdam statum, quo sine defectu esset annosus, tempore « quo Deus vellet, a mortalitate ad immortalitatem, sine « media morte veniret? ».[4]

C) Ex Liturgia satis sit attulisse verba oratiunculae quam profert sacerdos induens stolam: « Indue me, Domine, stola « immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi « parentis ». Debitum inde mortis proclamant haec verba tertiae orationis ex Ordine commendationis animae: « Com-« mendo te omnipotenti Deo, frater, et ei, cuius es creatura, « committo, ut, cum humanitatis debitum morte interveniente

[1] Plura testimonia lege apud Petavium (op. cit., l. II, c. 6).

[2] *De corrept. et gratia,* c. 12, n. 33. - *P. L.,* t. XLIV, col. 936. Cf. addenda ex S. Augustino in fine huius Quaestionis.

[3] DEUT., XXIX, 5.

[4] *De pecc. mer. et remiss.,* l. I, c. 5. - *P. L.,* t. XLIV, col. 110 sq.

« persolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terrae for- « maverat, revertaris ». Quae ultima verba manifeste alludunt ad sententiam a Deo in praevaricatores protoparentes prolatam. Unde debitum humanitatis simul utrumque significat: mortem esse tum consentaneam corpori de limo terrae formato, tum poenam peccati a stirpis capite commissi.

In Corpore. En schema huius argumentationis. [1]

I. *Tres modi* immortalitatis distinguendi:
- *A*) ex parte *materiae:*
  - 1) deficientis (v. gr. in Angelis);
  - 2) in unum determinatae (v. gr. corp. caelest.); [1]
- *B*) ex parte *formae* inhaerentis corruptibili: — v. gr. redundatio gloriae in beatis;
- *C*) ex parte *causa efficientis.*

II. *Tertius modus:*
- 1) *explicatur:* erat supernaturalis vis animae collata in corpus praeservandum;
- 2) *vindicatur* ut congrua: ex ipsa hominis natura.

Resp. ad 3.m Cf. discussionem argumenti art. 1. Quaestionis XCV.

Resp. ad 4.m Cf. textum ex Augustino citatum.

Doctrinam de immortalitate in hoc articulo expositam complebimus tum in sequentibus articulis, tum in penitiore expositione doctrinae Baii.

Interim placet hic adiungere modum quo S. Thomas de eodem argumento disputat in commentario Magistri. Incipit ostendendo proportionis nexum inter finem supernaturalem hominis et eius immortalitatem. « Ea quae sunt ad finem, « instituuntur secundum rationem finis, ut patet praecipue « in artificialibus. Cum ergo homo institutus esset ad finem « beatitudinis excedentis omnem facultatem humanae natu- « rae, oportuit quod in ipsa sui institutione aliquid sibi col- « latum fuerit supra facultatem principiorum naturalium. Ex « principiis autem naturalibus esse perpetuum habere non

[1] Superfluum est monere modum *A*) 2) respondere sententiae tempore S. Thomae vigenti de constitutione corporum caelestium, quae hodie explosa est. Quousque hic cogitandi modus influxerit in totam doctrinam de compositione corporum ex materia et forma, non est huius loci investigare.

« potest, cum ex contrariis componatur, quod est causa cor-
« ruptionis in rebus, cum forma materiam perficiat secun-
« dum eius capacitatem. Unde hoc sibi supra conditionem
« naturae collatum fuit, ut anima quae in tam nobilem finem
« ordinabatur, secundum potestatem suam, supra commu-
« nem naturae ordinem, quo materia recipit esse secundum
« sui conditionem, esse perpetuum materiae communicaret ».

Iam ostendit rationem amissibilitatis huius doni. « Et quia
« haec potestas super corpus consequebatur ex ordinatione
« eius in finem, non poterat impediri eius effectus, nisi per
« deordinationem eius a fine, quae sine peccato esse non
« poterat; et quia peccare poterat, libero arbitrio nondum
« in iustitia confirmato, poterat impediri eius effectus, ut
« morte esse perpetuum interciperetur: et ideo quodammodo
« erat mortalis, in quantum poterat mori, et quodammodo
« immortalis, in quantum poterat non mori. Sed potentia
« moriendi non poterat reduci statim in actum, nisi prae-
« cedente immutatione animae secundum actum peccati ».
Conclusio iam patet. « Et ideo simpliciter dicendus erat
« homo in statu illo immortalis, et mortalis non nisi secun-
« dum quid, scilicet si peccaret: quia, ut in *IX Metaph.* dici-
« tur, illud dicitur simpliciter in potentia ad aliquid, quod
« potest statim reduci in actum uno motore: sicut non dici-
« mus quod ex terra possit fieri statua, sed ex cupro, quam-
« vis ex terra fiat cuprum ». [1]

Scotus potius invertit utrumque: « Est igitur dicendum
« homines in statu innocentiae potuisse quidem mori, sed
« nequaquam ea potentia deducta esset in actum, et ita pote-
« rant non mori ». [2] Quare in recto potius ponit mortalita-
tem, seu « posse mori » simpliciter; et in obliquo immortali-
tatem, seu « posse non mori » secundum quid, scilicet si in
bono statuisset.

Quid intersit intra utrumque modum dicendi, est manife-
stum. Etsi *a*) utrimque materialiter ponitur immortalitas,
quatenus, servata iustitia, mors adfutura negatur, in sen-
tentia S. Thomae protoparentes erant immortales formaliter,

[1] II Dist. XIX. Q. 1, a. 2. Cf. supra propos. *b*).

[2] *Oxon.*, II Dist. XIX, n. 3. Lege hanc longiorem disputationem (op. cit. hoc loco).

in sententia Scoti potius formaliter. *b*) Formula S. Thomae magis directe ponit non solum conditionem seu statum immortalitatis, sed etiam eiusdem rationem, seu causam. Etenim in formula Scoti magis aperta manet quaestio de modo quo a conditione mortali mors removeatur. Quare formulae S. Thomae potius subscribendum censemus.

Corollarium. – Ex dictis in hoc articulo apparet intimum vinculum quo donum integritatis connectitur cum dono immortalitatis, aut potius donum immortalitatis cum dono integritatis. Quare, uti apparet ex textibus superius allatis, Patres arctissime solent ex uno ad alterum arguere. Amissa quippe integritas indicium fuit corpus protoparentum a conditione superiore decidisse in conditionem carni naturalem, ac proin factum esse corpus mortale. Hic intimus nexus, eo scilicet quo eum expressimus ordine, explicat cur de dono integritatis locuti simus agentes de originali protoparentum conditione quoad animam, dum de dono immortalitatis agimus heic, tractantes de eadem quoad corpus. Et sane mors est quidem ex peccato, sed non ad peccatum; concupiscentia autem est simul ex peccato et ad peccatum. Unde controversia de possibilitate creationis hominis in statu naturae purae fuit longe acrior quoad concupiscentiam quali nunc subiicimur, quam quoad mortalitatem.

De doctrina S. Bonaventurae necnon de doctrina Magistri disseremus in fine huius Quaestionis.

ARTICULUS II.

UTRUM HOMO IN STATU INNOCENTIAE FUISSET PASSIBILIS.

I. De ipsa Quaestione. – 1) Praecedens articulus inducit duo ulteriora quaesita veluti completoria, secundum quod immortalitas hucusque exposita confertur cum statu nostro praesenti vel cum statu gloriae. Etenim: *a*) Si immortalitas originalis confertur cum immortalitate gloriosa, quum in gloria nullae amplius adsint mutationum vices, quae per somnum et cibum reparantur, videtur talis quoque impassibilitas esse debuisse in statu innocentiae; *b*) si autem confertur cum

nostro statu praesenti, quum in nobis mors provenire soleat a laesionibus externis, vel a morbis, haec autem impediri vix posse videantur nisi per impassibilitatem, videntur protoparentes in statu suae originalis immortalitatis esse debuisse impassibiles. Haec altera quaestio solvitur in articulo praesenti, prior autem in sequenti solvetur.

2) Iam vero impassibilitas potest vario sensu accipi. *a*) Si confertur cum immortalitate, cuius est connaturale consequens, α) « non posse pati », si absolute et positive [1] sumitur, se potius tenet a parte corporis, quod ita est constitutum, ut intrinseca virtute passionem recuset. Si autem sumitur in sensu minus absoluto, significat dispositionem compositi, qua, a parte quidem materiae seu corporis, esset passibile, sed fit impassibile per formae adiectam virtutem, quae materiam a passione praeservat.

β) « Posse non pati » indicat duo: aliquid quod ex se quidem natum esset pati, quod tamen, si debita conditio impleatur, iam possit non pati. Quae conditio, sicuti pro immortalitate, pendet immediate a maiori vigore, sive corpori, sive animae dato, ut passibilitatem connaturalem superet; at mediante conditione, cui hic ipse vigor subordinatur. Quae conditio, in casu, fuit servanda animae fidelitas erga Deum.

b) Si iam impassibilitas confertur cum *passione,* quam excludit, erit admittenda vel neganda secundum quod passibilitas dicit perfectionem vel imperfectionem. Si α) intelligitur passio in sensu cuiusvis transitus a non actu ad actum, quum iste transitus in ente creato, v. gr. actio intelligendi et volendi, imo et sentiendi, sit perfectio secundum quid, negatio huius passibilitatis esset exclusio huius perfectionis. Ergo non hoc sensu primi homines erant impassibiles. – Si autem β) intelligitur de mutatione cum ordinis perturbatione, qualis habetur in passione quae mentem ipsam perturbat, uti in ira et in concupiscentia, quum tales passiones involvant imperfectionem, earum exclusio est perfectio; unde talis impassibilitas est in protoparentibus admittenda, iuxta modum quo superius de passionibus diximus. – Si iam γ) passio

[1] Ad excludendum sensum negativum, qui respondet simili exceptioni τοῦ «non posse mori», quatenus quod vita caret, pati non potest.

intelligitur mutatio corporalis sive ab intrinseco obveniens, uti in morbis, sive ab extrinseco per laesionem, quum haec nata sit provocare decompositionem ex qua sequitur mors, eodem gradu est a protoparentibus excludenda, quo ipsa mors. Quare hoc maxime sensu immortalitas involvit impassibilitatem.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Non distinguit inter sentire quod est perfectio tactus, et sentire quo gignitur dolor. Sensibilis quidem fuit homo, at non ideo, in sensu mutationis in peius, passibilis.

2ª Obi. Supponit somnum ad imperfectionem inducentia pertinere. Quod non est admittendum absolute. Etenim alius est somnus infantibus et hominibus naturalis post sumptum cibum, qui somnus non magis includit imperfectionem quam conditio nascentis et manducare debentis. Ideo, quidquid in oppositum aliqui teneant, talis somnus etiam in statu innocentiae videtur admittendus. Alius autem est somnus ex morbo proveniens, aut ex nimia defatigatione laboris. Qui somnus non adfuisset in hoc statu.[1]

Quousque autem somnus in reparationem nervorum magis hunc statum dedeceret quam cibi usus in reparationem virium, fatemur nos non videre. Fuisse tamen de facto Adamum somno subiectum, non potest valide deduci ex somno in *Genesi* narrato, quum somnum hunc non fuisse simpliciter naturalem, insinuetur per verba: « Immisit Dominus Deus « soporem in Adam ».[2]

3ª Obi. Abstrahit obiectio a praevisione, imo a praedestinatione divina, qua ab initio costa illa a Conditore destinabatur ut esset principium formandae sive « aedificandae » mulieris.[3] In solutione autem argumenti adverte, duo esse valde distincta: costam hanc potuisse sine dolore ab aliis costis separari; et eam potuisse absque dolorosa laesione a latere Adami extrahi. Quae duo exigunt aliquam specialem actionem Dei, quae per providentialem huius costae desti-

[1] Cf. S. Th., II, d. XIX, q. 1, a. 3, ad 3.

[2] II, 21.

[3] De actione Dei ex Adae costa mulierem « aedificantis », pulcherrime scripsit laudatus Scheeben (op. cit., n. 422 sqq.).

nationem non explicatur, nisi peculiaris iste Dei interventus adiungatur.[1] Quare, defectu paritatis, comparatio heic a S. Thoma adducta non habet vim probativam, sed tantum illustrativam.

4ª Obi. Vis huius obiectionis est in hoc quod immortalis quidem sit homo, quin tamen eius corpus, quemadmodum corpora gloriosa in caelis, dotibus gaudeat spiritualibus. Etenim a parte obiecti exterioris non laedi, provenire potest vel ex hoc quod factum non occurrat, – quod erit tum ex providentia Dei, tum ex hominis prudentia; vel ex hoc quod effectus facti impediatur, – quod erit vel ex ipsa indole spirituali corporis glorificati, vel ex efficacia momentanea interventus supernaturalis, sive ex parte Dei, sive ex parte animae. S. Thomas heic, – quemadmodum et in II D. XIX, q. 1, a. 3 ad 5, – non loquitur nisi de duplici cura tum Dei, tum hominis factum vitante vel impediente. Sufficit sane. Nihilominus putamus, non inanem fieri recursum ad illam momentaneam virtutem impedientem effectum facti, si unquam talis occurreret obiecti offensio, quemadmodum in suppliciis martyrum non semel accidisse legimus.

Sed contra est. Utraque pars argumenti tum affirmans, tum negans, corroboratur ex ipsa narratione *Geneseos*. Perficientem passibilitatem adfuisse, ostenditur ex hoc solo quod Adam inspexit omnia animalia: ergo habuit illam passionem in sensu quam consequitur actus visionis; inspexisse autem eum illa constat ex hoc quod *sua* nomina eis dederit. Idem dic de visione quam habuit uxoris suae, quando e somno evigilavit.[2] Pariter idem ostenditur ex sequentibus: « Vidit « igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum et « pulchrum oculis adspectuque delectabile »;[3] ubi habes non solum passionem delectationis de pulchro viso, sed etiam de bono gustando. Quare non solum hanc passibilitatem Adamus habuit, sed in summo gradu, ob corpus optime constitutum. Has autem passiones non fuisse cum mutatione in peius, probatur ex hoc quod dolor in poenam peccati infli-

[1] Cf. dicenda de obi. 4.
[2] GEN., II, 19, 22, 23.
[3] Ibid., III, 6.

gitur: acutus quidem per haec: « In dolore paries filios »;[1] taediosus per haec: « In sudore vultus tui vesceris pane ».[2]

In Corpore. Distincta duplici passibilitate, S. Thomas unam excludit, alteram affirmat. En huius argumenti schema:

In statu innocentiae homo *passibilis* fuit:
- 1) Non in *sensu stricto* remotionis a dispositione naturali: — nec quoad animam, nec quoad corpus;
- 2) sed in *sensu lato*, mutationis ad perfectionem naturae pertinentis: — quoad animam et quoad corpus.

Corollarium. – Quum impassibilitas, qua homo in statu innocentiae gaudebat, ad dona praeternaturalia fuerit referenda, sequitur, in statu naturae purae etiam innocentis non abfuturos fuisse morbos, aliosque sive ab internis sive ab externis causis provenientes dolores ac poenas. Ex quo iam argumentum patet, non omnes passiones, esse nobis ob peccata illatas, licet omnes habeant saltem indirectum cum peccato nexum, uti in Christo nostra peccata passione sua expiante maxime elucet.

ARTICULUS III.

UTRUM HOMO IN STATU INNOCENTIAE INDIGEBAT CIBIS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Utrumque ex Scriptura habemus: Adamum fuisse conditum immortalem, ita tamen ut cibis indigeret ad sustentandas corporis vires. Quaestio praesens movetur praesertim de modo utrumque componendi. Nam *a*) ex una parte immortalitas videtur excludere usum cibi. Quo enim spectat cibus, si iam anima habet vim conservandi corpus, et ipsa servata iustitia mortem arcet? – *b*) Ex altera autem parte usus cibi excludere videtur immortalitatem, ponit enim corpus viribus suis relictum; insuper pugnare videtur contra dignitatem huius status, tum α) ex passibilitate quam supponit ante comestionem ob famem, in

[1] Gen., III, 16.
[2] Ibid., III, 16, 19.

comestione ob assimilationem cibi; tum β) ex consequentibus assimilationem ob eiicienda superflua.

2) Ad quas difficultates solvendas redeamus ad distinctionem inter *posse non mori*, et *non posse mori*. Utique *non posse mori* excludit necessitatem nutritionis, quia supponit hominem tantopere in immortalitate firmatum, ut iam totus spiritualis sit appellandus, de quo Paulus I *Cor.*, XV. Sed *posse non mori* non excludit ciborum indigentiam, quia non confert immortalitatem absolutam.

3) Neque dicendum videtur, *posse non mori* involvere *de necessitate* indigentiam nutritionis. Sufficit enim ad *posse non mori* quod absit *posse mori*. Ad hoc autem satis est conditio una, stabilitas nempe in gratia originali, quin requiratur altera, reparatio scilicet virium corporis per nutritionem.

4) Si iam utramque possibilitatem non moriendi inspicis, apparet α) *de facto* hanc alteram historicam fuisse, uti ex *Genesi* constat; β) *in se* eam longe melius convenisse conditioni status probationis. Nec obiicias, in tali statu non amplius a servata iustitia dependisse conservationem immortalitatis. Vera esset obiectio, si in hoc statu potuisset, neglecto ciborum usu, servari iustitia. Sed hoc nequit stare, propter duo: *a*) Quia, data in homine necessitate naturali utendi cibis, ipsa lex naturalis vetabat nutritionem negligi; *b*) ipse Deus homini de usu ciborum, scilicet lignorum Paradisi, positivum praeceptum dedit. Quam legem, quod praeceptum nequibat homo violare, et tamen simul servare iustitiam.

5) Nec obiicias, usum ciborum ex rationibus supra allatis pugnare cum perfectione status immortalis. Nam *a*) *ante* comestionem non aderat dolor famis vel sitis, cum ciborum et potus usus utramque praeveniret. *b*) *In* ipsa comestione assimilatio nutrimenti corrumpit quidem cibum assumptum, nullam autem in comedente supponit passibilitatem in sensu strictiori, [1] sed solum in sensu latiori, quae perfectio est. *c*) *Post* comestionem nihil inde minus decens sequeretur. In quo considerandum est, ipsam superfluitatem de cibo vel potu non involvere necessario imperfectionem in comedente

[1] Cf. art. praec. *Corp.*

vel bibente; insuper in corporibus integris modum non defuisse quo citra omnem indecentiam necessitati naturae satisfieret. De hoc altero constat. Insistendum in priore. Superfluitas de cibo vel potu triplici ex causa provenire potest: vel α) ex nimia abundantia, vel β) ex deficiente virtute organi assimilantis, vel γ) ex defectu assimilibilitatis in cibo vel potu. Primum in statu innocentiae adesse non poterat propter perfectionem temperantiae; neque alterum, propter plenitudinem sanitatis; tertium autem poterat adesse. Tunc enim solummodo dignitas huius conditionis exegisset cibos qui totaliter potuissent assimilari, si nullus dari posset decens medium superfluitates expellendi. Hoc autem gratuito ponitur, uti modo dicebamus. - Non ideo tamen neganda videtur possibilitas, ut tam perfectus esset cibus, qui sumptus in sumentis substantiam verteretur totus. Quam perfectionem ligno vitae datam fuisse censemus.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Confundit immortalitatem corporis animalis cum immortalitate corporis spiritualis. Haec excludit nutritionem, quia non admittit eius causam; illa et causam et remedium patitur.

Adverte, S. Thomam in solutione recurrere ad immortalitatem a parte animae praeservantis corpus. Ubi quaestio moveri potest, utrum necessitas nutritionis non stare posset, etiamsi haec immortalitas magis conciperetur tamquam aliquid in ipso corpore; vel utrum efficacia cibi specialis non posset sufficere aliquo modo ad hoc, ut homo tempestive eo utens praeservaretur a morte, quin in eius anima aliqua virtus supernaturalis in corpus agens admitteretur. De quo adspectu subtiliore sermo redibit in art. seq., et in fine Quaestionis.

2ª Obi. Non attendit ad dicta n. 5, *b*).

3ª Obi. Non considerat dicta n. 4.

4ª Obi. Confer complementum huic argumento datum n. 5, *c*).

Sed contra est. Non semel in *Genesi* sermo occurrit de nutrimento homini in statu innocentiae necessario. 1°) Deus dicit: « Ecce *dedi vobis* omnem herbam afferentem semen « super terram, et universa ligna quae habent in semetipsis

« sementem generis sui, *ut sint vobis in escam* ». Ubi eodem vocabulo exprimitur necessitas nutrimenti homini et animantibus inhaerens, « *ut habeant ad vescendum* ».[1] - 2°) « Pro- « duxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum « visu *et ad vescendum suave* ».[2] - 3°) Nec satis, *praeceptum* dedit homini utendi hisce cibis. « *Praecepitque* ei dicens: *Ex* « *omni liguo comede* », includens in eadem sententia praeceptum de abstinendo a ligno boni et mali.[3] - 4°) Ipsa Eva testatur se cum Adamo uti cibis Paradisi: « De fructu ligno- « rum, quae sunt in paradiso, *vescimur* ».[4] - 5°) Modus demum quo fructus vetitus illam sollicitat, et quo tum ipsa, tum Adam eo utuntur, apparet simplex usus ciborum, qui usus in Paradiso, sine necessitate eisdem ad sustentationem utendi, vix conciperetur.

Adverte autem protoparentibus a Deo in escam dari expresse plantas lignorumque fructus, non autem animalia. « Esus plantarum et aliorum terrae nascentium, ait S. Tho- « mas, fuit apud homines etiam ante diluvium; sed esus « carnium videtur esse post diluvium introductus: dicitur « enim: " Quasi olera virentia dedi vobis omnem carnem „.[5] « Et hoc ideo quia esus terrae nascentium magis pertinet « ad quamdam simplicitatem vitae, esus autem carnium ad « quasdam delicias et curiositatem vivendi; sponte enim « terra herbam germinat, vel cum modico studio huiusmodi « terrae nascentia in magna copia procurantur: oportet « autem cum magno studio animalia nutrire vel etiam capere. « Et ideo volens Dominus populum suum reducere ad sim- « pliciorem victum, multa in genere animalium eis prohibuit, non autem in genere terrae nascentium ».[6]

Adde forsan duas alias rationes, quarum unam iam superius tetigimus: *a*) quo robustior hominis valetudo, eo parciore et simpliciore cibo potest vires suas reficere; *b*) carnium esus habet adnexum vitae, animalis utique, sed tamen

[1] GEN., I, 29, 30.
[2] Ibid., II, 9.
[3] Ibid., II, 16, 17.
[4] Ibid., III, 2.
[5] Ibid., IX, 3.
[6] I-II, Q. CII, a. 6, ad 2. Aliam huius prohibitionis rationem addit: « vel etiam « quia animalia immolabantur idolis, non autem terrae nascentia ».

vitae destructionem, quae cum innocentiae status plenitudine nonnihil pugnare videtur.

In Corpore. En argumentum huius *corporis* schemate expressum.

Duplex datur gradus immortalitatis:

- 1) *in primo stadio* immortalitas *corporis animalis* (in paradiso corporeo): anima agit in corpus ut *anima* informans, et proin *nutritionem non excludit;*
- 2) *in secundo stadio* immortalitas *corporis spiritalis* (in paradiso caelesti): anima agit in corpus etiam ut *spiritus*, et proin *excludit nutritionem.*

Apparet, hanc expositionem optime distinguere inter stadium duplex. Per se autem vix sufficeret ad ostendendum quomodo virtus super vel praeternaturalis in statu innocentiae in corpus collata, animae componatur cum ciborum indigentia. Quod in obiectionibus melius perficitur.

Corollarium. – Praeter veritatem in hoc articulo directe expositam, textus *Geneseos* superius allati sunt maxime efficaces ad duas alias veritates confirmandas: 1) hominem accepisse a Deo non solum dominium in animalia, quibus praeesset; sed etiam in plantas, ut eis ad nutrimentum uteretur; 2) Dei providentiam ita regnum vegetativum ordinasse, ut homini omne genus ciborum praestaret. Quae providentia et post lapsum manet undequaque mirabilis. « Maius « est miraculum, ait Augustinus, gubernatio totius mundi, « quam saturatio quinque millium hominum de quinque pa« nibus. Et tamen hoc nemo miratur: illud mirantur homi« nes, non quia maius est, sed quia rarum est. Quis enim et « nunc pascit universum mundum, nisi ille, qui de paucis « granis segetes creat? ».[1] Hinc pius usus ut non nisi cum gratiarum actione homo veluti de manu ipsius Dei[2] capiat cibum.

[1] *In Ioann.*, tract. XXIV, 1. – *P. L.*, XXXV, col. 1593.

[2] Iuxta verba psalmi in liturgica benedictione mensae adhibita: « Aperis tu « manum tuam, et imples omne animal benedictione ».

ARTICULUS IV.

UTRUM HOMO IN STATU INNOCENTIAE PER LIGNUM VITAE IMMORTALITATEM CONSECUTUS FUISSET.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Hucusque de ciborum indigentia; nunc de varia eorumdem efficacia. Quae quaestio certe mota non fuisset, nisi ipsa narratio Scripturae aliquod discrimen indicasset inter varia ligna Paradisi, hoc est inter caetera ligna « pulchra visu et ad vescendum suavia »[1] et « lignum vitae ».[2] Cuius ligni ratio specialis demonstratur ex modo quo *Genesis* de eo loquitur.

a) *Nomen* quo decoratur eminens exprimit aliquid, modo peculiari cum vita et proin cum immortalitate connexum. *b*) *Locus* quem occupat, *in medio Paradisi,* exprimit virtutem et dignitatem specialem ipsius fructus. *c*) *Oppositio* inter lignum vitae et lignum scientiae boni et mali utrumque in Paradisi centro collocatum, corroborat significationem prioris. Erat quippe sacramentum fidelitatis et immortalitatis, quemadmodum alterum erat symbolum rebellionis ac mortis. *d*) Efficaciam specialem ipse Deus huic ligno tribuit, dum impedit accessum ad illud, ne post lapsum Adam « forte « mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitae et « comedat, et vivat in aeternum »;[3] quasi tanta esset virtus huius ligni, ut hominem iam praevaricatorem, iam pravae concupiscentiae traditum, iam ad mortem damnatum, nihilominus redintegrare in amissa bona valeret.

2) Accedit modus quo lignum vitae recurrit in Scriptura, et in ipso opere salvifico. *a*) In Scripturis sapientia vocatur: « *Lignum vitae* est his qui apprehenderint illam; et qui tenue-

[1] GEN., II, 9.

[2] Lignum vitae non fuisse arborem veram, sed mere symbolicam tenent Origenes, Eugubinus, aliique moderniores. Sed hoc est contra historicam indolem huius narrationis superius vindicatam. Non ideo tamen, praeter realitatem huius ligni, excludendae sunt altiores eius significationes quas in corollario exponemus. Insigne exemplum habes in S. Ambrosio,* qui, praemisso sensu historico, allegorice deind Paradisum explicat.

[3] GEN., III, 22.

* *De Parad.*, c. 1, sqq. – *P. L.*, t. XIV, col. 275, sqq.

« rit illam, beatus ».[1] Ubi manifeste alluditur ad illud Paradisi lignum, de quo, si comedivisset Adamus, sapientiam fuisset adeptus perfectam, perfectamque beatitudinem. Unde: « Fructus iusti, *lignum vitae* ».[2] *b*) In imagine quam Ioannes vidit Paradisi caelestis Ierusalem, recurrit mentio ligni vitae: « In medio plateae eius et ex utraque parte fluminis, « *lignum vitae afferens fructus duodecim,* per menses sin- « gulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gen- « tium ».[3] Quo in loco iam videtur lignum vitae in relatione positum cum ipsa *cruce Domini,* e qua flumina « aquae vitae »[4] et duodecim apostolatus fructus emanarunt. Cuius ligni caelestis comestio promittitur uti victoriae praemium: « Vin- « centi dabo edere de *ligno vitae,* quod est in Paradiso Dei « mei ».[5] *c*) Ipsa autem *Eucharistia* est verus panis *vitae,* quam quicumque manducaverit, « *vivet in aeternum* ».[6] Unde nil mirum, theologos non minus quam scriptores asceticos, iam in ligno vitae Paradisi figuram doni eucharistici agnovisse. Qua ex relatione, quanta excellentia in hocce lignum redundet, nemo non videt.

3) Constat proin, inter omnia Paradisi ligna, unum prae caeteris vitalem habuisse virtutem.[7] Oportet proin inquirere in rationem discretivam eiusdem a caeteris. En scopus praesentis articuli. Porro, praemissa S. Th. doctrina in art. 1 exposita, quae animae Adami tribuit virtutem praeternaturalem servandi corpus a dissolutione, iam talis gradatio inter virtutem aliorum lignorum et ligni vitae erit statuenda,

[1] Prov., III, 18.
[2] Ibid., XI, 30.
[3] Apoc., XXII, 2.
[4] Ibid., 1.
[5] Ibid., II, 7.
[6] Ioann., VI, 59.
[7] De efficacia huius ligni sapienter scribit cl. Murillo S. I.: « No es tan extraño « como á primera vista pudiera parecer, que el fruto de un arbol poseyera esa virtud « maravillosa: vemos plantas medicinales de eficacia y propriedades muy singu- « lares; si, pues, esto sucede en el estado de naturaleza caida, ¿qué estraño es que « para el hombre inocente criara Dios con su omnipotencia un arbol cuyo fruto ence- « rrara eficacia medicinal para penetrar en lo intimo del organismo y rehacerlo en « sus tejidos mas fundamentales conservandolos en su lozamá ó restaurandolos cuando « empezaban á perder su flexibilidad? ¿Quí descubre aqui la razon de repugnante ó « assurdo? ». *

* *El Génesis,* Roma, Pont. Instit. Bibl., 1914, p. 370.

quae tamen ligno vitae non tantum tribuat, quo haec alia virtus in anima frustra collocata videatur. Inde praesentis problematis subtilitas.

4) Iam vero praeter hanc sententiam duplex alia potest concipi sententia iuxta quam eadem quaestio sese aliter affert. Etenim vel *a*) in corpore potius quam in anima primi parentis ponitur virtus praeternaturalis. Et tunc explicandum erit quomodo haec virtus alimentorum usui, et quidem alimentorum duplicis gradus potuerit alligari aut debuerit. Vel *b*) nec in anima nec in corpore protoparentis vis praeternaturalis ponitur, sed unice in alimentis, gradatione quam ipse S. Thomas in hoc articulo exponit. De quibus sententiis mox distinctius disputabimus, ubi de opinionibus S. Augustini, Lombardi et S. Bonaventurae agemus.

Plures alias quaestiones quae de ligni vitae deque eius efficacia moveri possunt, tangemus in expositione ipsius textus S. Thomae.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Supponit ligno vitae tribui virtutem conferendi absolutam immortalitatem status spiritualis. At haec non potest conferri nisi per causam spiritualem.

Quae S. Thomae responsio optime valet si admittatur, lignum vitae habuisse dumtaxat virtutem sibi naturalem. Quid autem, si habuisset vim instrumentalem, sacramentalem? Si enim Augustinus[1] vocat lignum vitae sacramentum sapientiae Christi, curnam non potuisset ipsa sapientia Verbi per hoc lignum agere sacramentaliter? - *Resp.:* Aliud est, lignum assumi uti sacramentale instrumentum operationis in anima per gratiam producendae; aliud, illud ita ad hoc assumi, ut ipsam producat in corpore immortalitatem.

[1] Accipe pulchra S. Augustini verba: « Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem praestitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta ». Quod illustrat exemplo adducto modi mirabilis quo Deus prophetam Eliam enutrivit: * « Profecto enim, licet usitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cuius collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio vindicavit ».** Unde et superius dixerat: « Erat ei (Adamo) in lignis caeteris alimentum, in illo (vitae ligno) autem sacramentum ».***

* III REG., XIX, 8.

** *De Genes.*, l. VIII, c. 5, n. 11. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 377.

*** Ibid., c. 4, n. 8. - Ibid., col. 375.

Sed nonne res ita concipi posset, ut esus ligni vitae Adamum ita confirmasset in gratia, ut iam ad spiritalem immortalitatem eveheretur? – Transeat hypothesis, sed neque tunc vitae lignum hanc immortalitatem immediate produceret; sed mediante confirmatione et consummatione in gratia, cuius non esset nisi causa instrumentalis.

2ª Obi. Urgetur prima difficultas hoc modo. Excludis ab efficacia ligni vitae immortalitatem perfectam propter disparitatem inter causam materialem et effectum spiritualem. Haec autem responsio supponit, agi hic de virtute naturali. Atqui si ita est, vel nulla immortalitas per hunc esum ligni conferri poterit, vel haec immortalitas erit naturalis. Quae instantia non caret subtilitate. Quare ei parumper discutiendae videtur immorandum. Valeret quidem obiectio, si immortalitas primi stadii nihil haberet secundum quod naturalis vocari possit. Quum autem status ille sit aliquomodo permixtio naturalis et praeternaturalis, illud quod naturale habebat, poterat quidem virtute naturali attingi, supposito quod adesset virtus praeternaturalis complens illud quod naturali virtute deerat. Unde, quum S. Thomas hanc virtutem ponat in anima Adami praeternaturalem, sufficit ut lignum vitae a parte sua habuerit virtutem naturalem, quin inde sequatur immortalitatem Adami fuisse naturalem simpliciter.

Poteris aliter solvere obiectionem, vel *a*) ponendo in corpore potius quam in anima illam praeternaturalem virtutem, arguendo de caetero, quemadmodum supra factum est; vel *b*) tribuendo ipsi ligno vitae virtutem miraculosam,[1] vel potius, quia fuisset constans, praeternaturalem aut, prae ligni virtute, supernaturalem. Tunc omne solvitur, quin recurratur ad ulteriorem virtutem sive in corpore, sive in anima; modo recursus ad esum ligni respondeat intensitati virtutis supernaturalis ei inditae.[2]

3ª Obi. Distingue in his fabulis ethnicorum fabulae rationem, quae deridenda utique est, et vestigium antiquissimae

[1] Virtutem ligni vitae fuisse non solum naturalem, sed et supernaturalem operatione divina, tenet inter alios Natalis Alexander.*

[2] Cfr. complenda in discussione *Corporis* articuli et in fine Quaestionis.

* D. 2, a. 2, prop. 2. Cf. de hoc ligno, sicut de ligno boni et mali, varias sententias a S. Alphonso collectas (*Condotta della Providenza*, p. 1, c. 1, n. 17).

traditionis, quae, apud plures populos recurrens, est validum indicium veritatis historicae narrationis Mosaïcae; ac proin tale vestigium, quemadmodum et traditio primaevae aetatis aureae generis humanae, maximam reverentiam meretur.[1]

Sed contra est. Plura quaeruntur de significatione huius loci *Geneseos,* necnon de ipso ligno vitae. Exordium sit ab hoc. 1) Quidam, inspecta rei natura, et loco *Proverbiorum* supra citato, in quo lignum vitae vocatur sapientia, putaverunt hic agi de mera allegoria. Quos optime confutat Augustinus,[2] demonstrans ex exemplis primae unionis coniugalis, Sarae et Agar, Petrae deserti, ipsiusque Paradisi, idem posse simul esse et veritatem in se, et allegoriam sive sacramentum relate ad aliud. Tota catholica traditio idem tenuit.

Sensum historicum corporalem et sensus mysticos, spirituales Ven. Beda pulcherrime ita comprehendit: « Lignum « vitae inde dictum, quia hanc virtutem... divinitus recepe- « rit, ut qui ex eo manducaret, corpus eius stabili sanitate « firmaretur, neque unquam ulla firmitate vel aetate in dete- « rius mutaretur, aut in occasum etiam haberetur. Sed hoc « ita corporaliter factum est, ut sacramenti quoque esset « figura spiritalis, id est Dei et Domini nostri Iesu Christi, « de quo in laude sapientiae dictum est: " Lignum vitae est « his qui apprehenderint illum „;[3] et in Apocalypsi Ioannis: « " Qui vicerit, dabo ei edere de ligno quod est in Paradiso « Dei mei „.[4] Quod est aperte dicere: Qui vicerit tentatio- « nem serpentis antiqui, a qua victus est Adam, dabo ei quod « daturus eram Adae si vinceret, ut praesenti visione gloriae « Christi in aeternum reficiatur, ideoque nullo possit incursu « mortis attingi, quia videlicet Dominus Christus virtus et

[1] Hinc, uti bene monet Cornelius a Lapide,* excedit Aristoteles dum explodit Hesiodum affirmantem, immortales esse deos quia ambrosia vescuntur, mortales vero qui eadem carent.

[2] *De Gen. ad Litt.,* l. VIII, c. 5, n. 10. Hic inter alia haec profunde scribit: « Mirum « est et vix ferendum, quemadmodum velint homines Paradisum figurate dictum, et « nolint etiam figurate factum. Quod si concedunt sicut de Agar et Sara, sicut de « Ismaël et Isaac, haec quoque et facta, et tamen etiam figurata; cur non admittant « etiam lignum vitae, et verum aliquod lignum fuisse, et tamen sapientiam figu- « rasse, non video ». – *P. L.,* t. XXXIV, col. 376, sq.

[3] PROV., III, 18.

[4] APOC., II, 13.

* In hunc locum.

« sapientia Dei Patris in Paradiso est regni caelestis, quem « cum caeteris Sanctis etiam confitenti se in cruce latroni « promittere dignatus est ».[1]

2) Si autem quaeris, quale fuerit istud lignum vitae, iam fatentur Patres et theologi hoc ignorari. Certum est, nusquam tale lignum inventum fuisse cuius fructus immortalitatem conferret. Vel igitur vis supernaturalis ab eo ligno post peccatum Evae ablatum est; vel talis erat virtus, quae non ageret nisi in naturam innocentem; vel lignum ipsum, expulso Adamo de Paradiso, postea deperiit.

3) At quonam spectant verba Dei: « Ne forte mittat ma- « num suam,... et *vivat in aeternum* ». Suntne mere deridentis? An potius tenenda est illa sententia in altera parte *Sed contra est* allata? An demum via media ineunda?

Optime Augustinus, de toto hoc loco *Geneseos:* « Ecce « Adam... » disserens, ait: « Verba sunt haec Dei non tam « huic insultantis, quam caeteros, ne ita superbiant deter- « rentis, propter quos ista conscripta sunt ».[2] Et re quidem vera utraque pars huius divini sermonis huc tendit, ut in hominis lapsu ostendatur consequens amissio donorum praeternaturalium et supernaturalium. Et quo eloquentia horum verborum magis appareret, ea Deus profert dum homini indumentum tradit ad rebellantis corporis ignominiam obtegendam. Est quippe haec ignominia signum similitudinis cum bestiis, ac proin argumentum mortalitatis. « Homo quum in « honore esset, non intellexit » (quum esset in supernaturali similitudine Dei constitutus, aliam similitudinem superbe appetivit) « comparatus est iumentis insipientibus » (per rebellantem carnem, bestiae signum) « et similis factus est illis » (mortalis et carnalis).[3] Prima igitur pars divini sermonis in hoc tendit, ut per derisionem ostendatur, Adamum nedum per peccatum illud acquisierit quod impie concupivit, e contra amisisse illud quod ingrate non agnovit. Altera pars forma pariter deridente exprimit, Adamum amisisse ipsam immortalitatem, et quidem sine capacitate eamdem recuperandi.

[1] *Hexaëm.*, l. I. – *P. L.*, t. XCI, col. 44.
[2] Op. cit., lib. XI, c. 39.
[3] Ps. XCVIII, 13.

Exclusio quippe a Paradiso et a ligno vitae significat amissionem status innocentiae, et erat figura ecclesiasticae excommunicationis. Profunde Augustinus: « Alienatus a vita, « non solum quam fuerat, si praeceptum servasset, cum An- « gelis accepturus, sed ab illa etiam quam ducebat in Para- « diso, felici quodam corporis statu, separari utique debuit « a ligno vitae. Sive quod ex ipso illo subsisteret felix ille « ipse status corporis, ex re visibili, virtute invisibili » (En hypothesim efficaciae supernaturalis ligno huic inditae). « Sive quod in eo esset sacramentum visibile invisibilis sa- « pientiae » (En hypothesim efficaciae sacramentalis). « Alie- « nandus inde utique fuerat, vel iam moriturus, vel etiam « tamquam excommunicatus, sicut etiam in hoc Paradiso, id « est Ecclesia, solent a Sacramentis altaris visibilibus homi- « nes disciplina ecclesiastica removeri »[1] (Prima ratio: *vel iam moriturus,* respondet primae hypothesi, altera alteri).

Ad secundam auctoritatem allatam in *Sed contra est,* adverte primo eam auctoritatem non valere in sententia quam tenet ipse S. Thomas. Quum enim primario immortalitas fuerit causata per praeternaturalem virtutem animae, sublata hac virtute iam lignum vitae non poterat sufficere ad immortalitatem tribuendam. Unde recte ait Caietanus,[2] quod si Adam post peccatum de ligno vitae comedisset, longo quidem tempore protrahere vitam potuisset, non autem semper. Quare de longa duratione interpretatur verba Dei « et vivat in aeternum ».

Sed, remota hac explicatione petita ex virtute ab anima in corpus agente, quid potuisset lignum vitae in hominem lapsum?

Resp. Exclusa explicatione S. Thomae, vel debet poni in ipso corpore virtus praeternaturalis, vel in ipso ligno vitae. *a*) Si ponitur in corpore, haec per peccatum iam erat amissa, et argumentum producitur sicut supra ad negandam efficaciam ligni. *b*) Si in ligno,[3] hoc rursus esse poterat dupli-

[1] Op. cit., loc. cit., p. 40.

[2] In hunc locum.

[3] Forte laudatus P. Murillo nimis urget virtutem naturalem huius ligni, ac si etiam hominem lapsum potuisset reddere immortalem: « El contexto hace ver que el « entregarse à la muerte e verse privado de la immortalidad consistia precisamente

citer, iuxta duas hypotheses Augustini: α) ex virtute invisibili, supernaturali ligno inhaerenti, quam virtutem amisisset lignum propter destructam oeconomiam in quam complendam ligno communicata erat; vel β) ex virtute sacramentali, quam utique servare potuisset, quin tamen effectus produceretur ex indignitate utentis, quemadmodum in Novo Testamento fit de Sacramentis viventium.

Quare quacumque ex parte res consideretur, negandum videtur, lignum vitae absolute potuisse immortalem servare hominem lapsum. Unde non remanet nisi interpretatio Caietani, vel interpretatio derisionis. Iam vero propter rationes superius expositas, in hanc alteram potius inclinamur.

Sane prima huius sententiae verba manifesto ironica sunt:[1] « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens

« en *perder* el acceso al arbol de la vida; de suerte que el entragerse a la muerte era « una consecuencia de haber renunciado por la transgression, al derecho de alimen- « tarse de aquel fruto vital » (Ibid.).

[1] Affirmant quidem Dr. Hoberg et G. Shmidt,* ironiam a verbis Dei esse omnino excludendam, ac proin hanc sententiam esse intelligendam de vera quodam maiori similitudine, quam per maiorem scientiam Adamus peccando consecutus erat. Sed hoc tenet auctor ob praeconceptum suum systema. Quis dicere audeat, peccatorem quemvis, ob novam experientiam factam, propinquius ad Dei scientiam peccando accessisse. Caeterum a Dei sermone cur ironia esset a priori excludenda, non video. Non enim magis Deum dedecet quam alii loquendi modi, uti est ira. Et sane nonne in psalmo « Quare fremuerunt gentes », Deus manifeste inducitur uti ironice insanos impiorum conatus deridens? Ita et Paulus ironiam aliquando adhibet.

Ad ostendendam laevitatem huius assertionis placet longiorem affere textum quo Bossuetius haec Dei verba commentat: « Cette dérision divine était due à la « présomption. Dieu dit en lui-même et aux personnes divines, et, si l'on veut, aux « saints Anges: " Voyez-vous ce nouveau dieu , qui ne s'est pas contenté de la res- « semblance divine que Dieu avait imprimée au fond de son âme; il s'est fait dieu à « sa façon: voyez comm'il est savant et qu'en effet il a bien appris le bien et le mal « à ses dépens: prenons garde qu'après avoir dérobé la science, il ne nous derobe « encore l'immortalité ,,. Remarquons que Dieu ajoute la dérision au supplice. Le « supplice est dû à la révolte; mais l'orgueil y attirait la dérision ». Et adducto textu Libri *Proverbiorum,* qui clauditur his verbis: « Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit », pergit:** « C'est, « direz-vous, pousser la vengeance jusqu'à la cruauté, je l'avoue; mais Dieu aussi « deviendra cruel et impitoyable. Après que sa bonté a été méprisée, il poussera « la rigueur jusqu'à tremper et laver ses mains dans le sang du pécheur ». Nec ipse Deus impios irridebit solus: et iusti eum in hac derisione imitabuntur. Quod illustrat per textum Psalmistae: « Videbunt iusti et timebunt, et super eum ridebunt

* Op. cit. in hunc locum.

** Prov, 1, 24–26.

« bonum et malum ». Cur ergo non et sequentia: « Nunc ergo, « ne forte mittat manum suam...? ». Imo illud « forte »[1] melius intelligitur, si sensus ironicus admittitur.

Quin et iuxta Rupertum, nomen ipsum ligni « scientiae boni « et mali » sapit ironiam. « Ironice enim dictum esse lignum « scientiae boni et mali, perspicuum erit. Dixit enim Deus: « " Quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini ,,, et « verum dixit. Dixit e contra serpens: " Comedite et eritis « sicut dii, scientes bonum et malum ,,, et falsum dixit. Deus « (inquam) verum, et serpens falsum dixit. Nec enim come- « dendo dii facti sunt, aut scientiam ampliorem acceperunt, « ut bonum et malum omnia scirent, sed iuxta veritatem « Dei statim et in anima mortui et in corpore mortales effecti « sunt. Hoc itaque lignum ironice dictum est lignum scien-

« et dicent: " Ecce homo qui non posuit Deum adiutorium suum ,, ». * Et, paucis interiectis, profunde addit: « Ainsi ces redoutables et saintes dérisions de la justice « divine suivies de celles des justes, ont leur source dans celle où Dieu insulte à « Adam dans son supplice ». Et, adducta derisione quam Christus in ipsa Cruce passus est, ** claudit: « C'est ainsi que l' insultaient les impies dans son supplice, « mêlant à la cruauté l'amertume de la moquerie: de cette sorte il expie la déri- « sion qui était tombée sur Adam et sur tous les hommes ».***

[1] Ex hoc « forte » Rupertus deducit, Adamum hucusque locum ligni vitae nesciisse: « Igitur nec Adam cognovit, nec ipse serpens diabolus scivit, quod etiam lignum « vitae plantasset Dominus Deus in medio Paradisi. Si enim vel ille sciret, num- « quam consilium suae malignitatis ita dimidiasset; sed sicut illud lignum temerarie « persuasit ut miseros faceret, sic et illud praeripere suasisset, ut aeternaliter « miseros, vel misere aeternos efficeret ». Ingeniose quidem, at sine cogente fundamento. Imo describitur lignum vitae in medio Paradisi collocatum uti aliquid omnino apparens. Ad hunc loquendi modum Ruperti appropinquant Patres illi, qui putant, Deum ex misericordia lapsum Adamum a ligno vitae cohibuisse, ne miserrima eius vita longius protraheretur. Audiatur S. Irenaeus: « Eiecit eum e Para- « diso, et a ligno vitae longe transtulit, non invidens ei lignum vitae, sed miserans « eum, ut non perseveraret semper transgressor neque immortale quod esset circa « eum, et malum interminabile ».**** Et brevius S. Hilarius ait, Deum Adamum de Paradiso eiicisse, « ne lignum vitae attingens, in aeternitate poenae maneret ».***** luxta S. Gregorium Nazianzenum Adamus e Paradiso electus « lucratur quippiam, « mortem nempe ac peccati abscissionem, ne malum esset immortale, fitque poena « misericordia ».******

* Ps. LI, 8, 9.

** MATH. XXVII, 40, 42, 43.

*** *Elévations sur les mystères.* VI Semaine: *Elévations sur la tentation et la chute de l'homme:* 14 élev.

**** *Adv. hares.*, l. III, c. 37. - Cf. et S. CHRYSOST., loc. cit.

***** *In Ps. LXVIII.*

****** *Orat. 2 de Pascha* (orat. 45), n. 8. - *P. G.*, t. XXXVI col. 634.

« tiae boni et mali, ut ipso suo nomine monimentum legen-
« tibus repraesentet diabolici mendacii ».[1]

Iam vero, admisso sensu ironico sententiae: « Nunc ergo, ne forte, » etc., corruit argumentum quod nonnulli inde eruunt, v. gr., Bellarminus[2] ipseque Rupertus,[3] ut contendant, unicum esum huius ligni immortalitatem fuisse collaturum. Cui sententiae ex antiquis favisse videntur S. Ioannes Chrysostomus,[4] aliique a docto Cardinali adducti.

Nec magnam nobis videtur vim habere proportio a Bellarmino instituta: quemadmodum unicus usus ligni scientiae boni et mali mortis poenam inducebat, ita unicus usus ligni vitae conferebat immortalitatem. Nam sicut vita naturalis multiplici actu servatur et unico instanti cessat, ita unus inobedientiae actus auferebat conditionem cui dona supernaturalia et supernaturalia adnectebantur, quin tamen inde per se aliquid sequatur quoad usum plus minusve frequentem ligni vitae.

Nec convincens argumentum potest in favorem singularis esus ligni vitae deduci ex verbis Dei punientis: « Ne « forte... et vivat in aeternum ». Nam, uti exposuimus, tota haec sententia potest optime explicari in sensu ironico: imo hunc ironicum sensum videntur haec ultima verba confirmare.

Quare magis arridet modus loquendi Hugonis Victorini de ligno vitae, « cuius virtus tam mirabilis fuisse perhibetur, « ut in certis temporibus sumptum vitam corporalem n « homine (quamdiu ipse homo illo uteretur) non solum a « morte, sed ab omni etiam defectu illaesam custodire po- « tuisset ».[5]

Caeterum in tota hac quaestione non est ab oculis dimittendum, etiamsi Adam in iustitia perseverans de ligno vitae comedisset, hic agi non de vera aeternitate, sed de vita plus minusve longe protrahenda, usquedum Deus absque morte

[1] *In Gen.*, l. II, c. 27.

[2] *Lib. de grat. prim. homin.*, c. 18.

[3] Op. cit., l. III, c. 30. En verba Ruperti: « Nequaquam, ut nonnulli arbitrantur, « frequentandum erat necessario lignum, tamquam perpetuanda vita transitivum « medicamentum; sed semel hoc sumpto viverent corpus in aeternum ».

[4] *In Genes.* homil. 18, n. 3. – *P. G.*, t. LIII, col. 151.

[5] *De Sacram.*, l. I, p. 6, c. 31. – *P. L.*, t. CLXXVI, col. 283.

hominem de hoc mundo transtulisset in gloriam. Unde sat probabiliter sustineri potest, longe minus in terris victurum fuisse Adamum obedientem ac vixit poenitens, quia citius fuisset absque morte in gloriam translatus. Sed de hac quaestione penitius inquirere otiosum est, quum de tam absconsis mysteriis nihil certi possit indagari.

In Corpore. Argumentum, duplici parte constans, hoc schemate contrahitur.

- Lignum vitae immortalitatem causabat:
  - I *aliquomodo:*
    - 1) remedium ad *instaurandum humidum:* — in statu innocentiae requirebatur: *caetera ligna* paradisi hoc praestabant;
    - 2) remedium ad *conservandam virtutem specificam:* — *lignum vitae* hoc conferebat.
  - II non *simpliciter:*
    - 1) *virtus animae* ad conservandum corpus non erat ab hoc ligno (art. 1);
    - 2) *ipsa virtus ligni,* utpote *finita,* non poterat in *infinitum;*
    - 3) quare restat ut vel:
      - *a*) semel sumptus cibus suffecisset usque ad finem hominis vitae terrestris;
      - *b*) homo de tempore in tempus de eo comedisset.

Discursus patet; remanent tamen quaedam dubia solvenda.

1) Nonne potuit Deus uni cibo utramque conferre virtutem, ut utrumque defectum repararet? Negari haec possibilitas non potest. Sapientius tamen Deus gradatione rem disposuerit, quo melius appareret tum conditio praeternaturalis immortalitatis, tum symbolica ratio sacramentalis ligni vitae.

2) Igiturne caetera ligna Paradisi nihil peculiaris habebant prae lignis quibus nunc vescimur? Nihil peculiaris, nisi illam maiorem perfectionem quam tota creatura habuit ante Adami lapsum. Insuper per praeternaturalem animae virtutem efficacius assimilabantur.

3) Si lignum vitae habuit virtutem, quoad tempus, reparandi ipsam virtutem specificam, nonne iam inutilis evadit virtus in anima collocata? Non, quia virtuti peculiari huius cibi debebat correspondere in anima, uti anima est, eodem gradu virtus peculiaris assimilativa; secus defuisset con-

tactus ille utrimque intimus, sine quo cibus effectu pleno frustratur.

Corollarium. Ex dictis in huius articuli decursu apparet, non unum sensum subesse ligno vitae. Imo in hac appellatione prostat patens exemplum ad illustrandam scripturistici sermonis ubertatem.

1) *Historice* et *realiter* lignum vitae, illa arbor est in medio paradiso divinitus plantata, de cuius virtute disputavimus. 2) Ob hanc ipsam virtutem lignum vitae est *symbolum* aeternitatis. 3) Si iam attenditur *allegoria,* plures alii sensus obtinentur, et quidem,[1] quatuor. Etenim lignum vitae est *a*) ipse Christus, qui seipsum declaravit vitem, cuius palmites sumus;[2] *b*) Crux Christi, in medio Paradisi Ecclesiae plantata, in qua est salus et vita; *c*) SSma Eucharistia, quae est « panis vitae », conferens vitam aeternam; *d*) ipsa Ecclesia, quae de grano synapis in arborem immensum excrescit. 4) *Tropologice* lignum vitae est *a*) B. V. Maria, quae vitae fructum nobis edidit Salvatorem ipsa christianorum et vita;[3] *b*) Sapientia divina, iuxta textus superius allatos; *c*) demum ipsa anima iusti, quae per gratiam opera iustitiae fert ad vitam aeternam, iuxta comparationes in pluribus psalmis adhibitas. 5) Demum *anagogice* lignum vitae est ipsa vitae divinae communicatio per caelestem beatitudinem, iuxta Apocalypseos verba in initio huius articuli adducta.

Quaeres. Estne probabile Adamum de ligno vitae comedisse ante peccatum suum? Res nihil habet impossibilis in se. Iuxta hanc hypothesim Vondel decribit nuptialem mensam ab Angelis sub umbra ligni vitae stratam, eiusdemque fructibus ornatam.[4] In hac pariter hypothesi verba Evae

[1] Cf. Cornelium a Lapide in hunc locum.

[2] Ioann., xv.

[3] Arbor vitae est egregium symbolum B. M. Virginis, cuius fructus benedictus aeternam gustantibus confert vitam. Ad calcem pulcherrimae tabulae P. P. Rubens Deiparam cum Prole exhibentis, hi versus leguntur:

O arbor felix, in qua non pabula mortis
Deceptus misero carperet ore pater,
Scilicet haec quisquis gustavit poma revixit,
Vitales vitae sola dat arbor opes.

[4] Op. cit., II, v, 360 sqq.

serpenti respondentis: « De fructu lignorum, quae sunt in « paradiso, vescimur »,[1] alluderent quoque ad esum ligni vitae. Nam per peccatum, deperditis donis supernaturalibus et praeternaturalibus, efficacia ligni vitae pariter amissa fuisset. Attamen, quum Adamus non videatur diu in gratia stetisse, sat probabile apparet, eum de ligno vitae, antequam laberetur, nondum gustasse. Sane verba Dei punientis ad praecedentem comestionem nullatenus alludunt; imo exclusa hac hypothesi, quasi melius intelliguntur.

Qui autem tenet, lignum vitae et in corpus Adami lapsi eandem servasse virtutem,[2] utpote sibi naturalem, singulari usu immortalitatem conferendi, negare debet, Adamum ante lapsum de fructu huius ligni manducasse. Non enim concipi potest amissum per lapsum quod servatum fuisset post lapsum.

Appendix de sententia S. Augustini, Lombardi et S. Bonaventurae.

I. **Augustini** doctrina de argumento huius Quaestionis sequentibus potest breviter comprehendi.[3]

1) Homo creatus est in tali statu, ut esset simul animalis et immortalis, quatenus cibis utebatur, et poterat mori vel non mori; dum in caelo homo fit spiritalis, cibis non utens, nec moriendi amplius capax.[4]

2) Mori posse, homo innocens habebat a natura; posse non mori, habebat a gratia, id est a ligno vitae.[5]

3) Etsi nos per Christum instaurati sumus, nihilominus non recipimus illud posse non mori; recipimus autem gratiam, cuius haec immortalitas erat indicium, recipiemus immortalitatem spiritalem, quam et ipse Adam nondum habebat.[6]

[1] GEN., III, 2.

[2] Hoc sensu scribit S. Augustinus: « Gustus arboris vitae corruptionem inhibe- « bat. Denique etiam post peccatum potuit insolubilis manere, si permissum esset « illi edere de arbore vitae ».*

[3] *De Genes. ad Litt.*, l. VI, VIII, XI.

[4] L. VI, c. 18.

[5] Ib., 25.

[6] Ibid., n. 26.

* Cf. *Quaest. Novi et Veteris Test.*, q. XIX. – *P. L.*, t. XXXV, col. 2227.

4) Lignum autem vitae erat virtutis supernaturalis, occultae, qualis fuit ille panis Prophetae ab Angelo allatus. Firmabat in sanitate stabili, inspiratione salubritatis occulta.[1] Erat arbor « altioris significationis », divinitus praestans « ne « corpus eius vel infirmitate vel aetate in deterius mutaretur, « aut in occasum etiam mutaretur ».[2]

5) Porro haec « altior significatio » erat quasi sacramentalis: figurabat enim sapientiam divinam, homini communicatam ipsumque in immortalitate spiritali confirmantem.

« Quod sapientia non sit corpus, et ideo nec lignum, nec « dubito, nec dubitari a quoquam puto: potuisse autem per « lignum, id est per corpoream creaturam, tamquam sacra- « mento quodam significari sapientiam in paradiso corporali, « ille credendum non existimat, qui vel tam multa in Scriptu- « ris rerum spiritualium corporalia sacramenta non videt, « vel hominem primum cum eiusmodi aliquo sacramento « vivere non debuisse contendit ».[3] Et affert verba ab Adamo visa uxore prolata,[4] et cum sententia Apostoli collata.[5]

6) Imo quodam in loco[6] hoc sacramentum ita exponit ac si unicus usus ligni vitae transtulisset hominem in immortalitatem perfectam, per aliquam mysticam communionem sapientiae divinae.

7) Parum constare videtur, utrum Augustinus in ipsa carne innocentis hominis aliquid posuerit independenter ab effectu ligni vitae, praeter plenam vigoris integritatem et aptitudinem ut per ligna paradisi sese conservaret et propagaret.

8) Nusquam apparet Augustinum, saltem ex professo, aliquam virtutem supernaturalem in anima posuisse.

9) Videtur dubitasse de necessitate absoluta quam habuerit corpus integrum ut alimentis uteretur. Alibi tamen hanc necessitatem videtur simpliciter agnovisse: « Cibus aderat « ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitae ne illum senecta

[1] L. VIII, c. 5.
[2] Ibid.
[3] Ibid., n. 10. – *P. L.*, t. XXXIV, col. 376.
[4] GEN., II, 24.
[5] EPHES., V, 31 sq.
[6] Cf. LOMBARDUM, II, in medio d. XIX.

« dissolveret;... nullus intrinsecus morbus, nullus actus « metuebatur extrinsecus ».[1]

II. **Lombardus** quasi nihil aliud agit nisi testimonia afferre S. Augustini, deque interpretatione ipsi data disserere. Quod facit ordine sequenti.

1) Distinguit stadium triplex: *a*) originalis innocentiae, in quo homo *potuit non mori, b*) status lapsi, in quo *non potest non mori, c*) gloriae in quo *non poterit mori.* Hisce respondent corpus *animale* (mortale quatenus mori potest); corpus *mortuum* (morti inevitabiliter destinatum), corpus spiritale. (Haec iuxta Paulum et Augustinum.)

2) Ostendit quid in hoc statu primae naturae, quid gratiae fuerit: posse mori, ex natura; posse non mori, ex gratia, per lignum vitae. (Hucusque nihil Lombardus haesitat.)

3) Inquirit demum subtilius in modum quo lignum vitae conferret immortalitatem, relinquens lectorem in dubio tum quoad modum quo Augustinum putat esse intelligendum, tum quoad solutionem quam ipse amplectitur.[2]

De virtute supernaturali sive praeternaturali animae Adami concessa, Lombardus nihil expresse habet.

III. **S. Bonaventurae** sententia[3] ad haec capita reducitur.

1) Anima humana est naturaliter immortalis, mortalis vero est uti vivificans forma caeterorum animalium.[4]

2) Attamen si Adam non peccasset, corpus eius dissolvi non potuisset, non quod non haberet intrinsecam potestatem ut dissolveretur, sed quod haec potestas, stante Adami iustitia, non posset in actum deduci.[5]

« Si poena deordinata est, nisi praecedat culpa, et cor- « poris dissolutio non potest animae purae et innocenti non

[1] *De Civitate Dei,* l. XIV, c. 26. – *P. L.,* t. XLI, col. 434. Nimis facile nobis videtur ex hoc loco Bellarminus deducere, Augustinum agnovisse necessitatem frequentis usus ligni vitae.

[2] Ad solutionem dubii, quod sibi Lombardus in fine ponit, forte animadvertere iuvabit, in mente Augustini immortale simpliciter esse illud quod mori non potest, dum illud quod solummodo potest non mori, potius est simpliciter mortale.

[3] II, D. XIX.

[4] Q. 1 et 2, part. 1.

[5] Art. 2, Q. 1.

« esse poena; inconveniens videtur et contra ordinem divi-
« nae iustitiae quod corpus hominis dissolveretur in statu
« innocentiae ». Quae argumentatio procedit ex hypothesi talis ordinationis divinae iustitiae, quae corporis immortalitatem adnecteret iustitiae servatae, mortis vero poenam, amissae. Unde dicit in resp. ad 1m. « Corpus Adae, etsi esset
« mortale et corruptibile, tamen voluntati subiacebat ex
« ordine divinae iustitiae; et ideo, nisi voluntas deordinare-
« tur, corpus illud numquam corrumperetur ».[1]

Huic autem immortalitati concurrisse felicem corporis complexionem, S. Doctor affirmat. « In statu innocentiae
« taliter commixta fuerunt (contraria) et proportionata in
« prima compositione et ad tantam concordiam redacta, ut,
« illo statu manente, mutuo non pugnarent. Et ideo propter
« illam compositionem corpus illud dissolvi necesse non
« erat ».[2]

Argumentum desumptum ex necessaria deperditione S. Bonaventura solvit distinguendo inter corrumpi secundum partem, et corrumpi secundum totum. « Sicut natura
« universalis patitur elementa corrumpi secundum partem,
« sed nullo modo patitur corrumpi secundum totum, sic et
« natura bene instituta in homine, regulata ab ordine iusti-
« tiae et providentiae, admittebat deperditionem fieri in
« homine secundum aliquam partem propter statum anima-
« litatis in quo erat; sed nullo modo patiebatur corruptio-
« nem fieri in toto. Sicut enim fiebat corruptio et deperditio,
« ita etiam fiebat restauratio; et ideo non consequebatur dis-
« solutio ».[3]

3) Incertum autem relinquit, utrum lignum vitae conferret immortalitatem unica an multiplici comestione.

« Utraque pars potest sustineri satis probabiliter, et quod
« lignum vitae unica comestione conferret immortalitatem.
« Nec huic obviat quod Dominus praeceperat Adae, quod de
« omni ligno paradisi comederet; praeceptum enim affirma-
« tivum non obligat ad semper, sed pro loco et tempore.
« Potest etiam intelligi quod non conferret illum effectum

[1] Ibid., art. 2, q. 1.
[2] Ibid., Resp. ad 2.
[3] Resp. ad 3.

« unica comestione, sed pluribus, et hoc quia lignum illud « non conferebat immortalitatem sicut causa principalis et « effectiva, sed sicut dispositiva. Et quemadmodum videmus « in medicina, quod frequentia disponit ad sanitatem, ad quam « non sufficienter disponeret semel sumpta, sic et in propo- « sito intelligendum est ».[1]

4) Quod si, peccato commisso, Adam de ligno vitae comedisset, hoc lignum non amplius potuisset illum a morte, nisi per aliquod tempus, servare, quum non posset frustrari divina mortis subeundae sententia, et iam per lapsum intrinsecus mutatus esset homo, unde ex eodem ligno non eumdem amplius valeret percipere effectum.[2]

Audiatur ipse S. Doctor: « Eadem lege, qua divina iusti- « tia non patitur innocentem puniri et mori, non patitur « etiam malum remanere impunitum. Et ideo divinum decre- « tum fuit, ut, si homo mandatum Dei transgrediendo pec- « caret, et ipsi Auctori suo inobediens existeret, spiritus « carnis dominium amitteret; et sicut voluntas a Deo reces- « serat, sic anima invita corpus ipsum desereret, et disso- « lutum in suam originem, unde sumptum erat, rediret. Et « quoniam divinum decretum erat inviolabile, hinc est, quod « postquam homo peccavit, quantumcumque de ligno ederet, « corpus eius non fieret indissolubile, ita quod mortem posset « evadere ».[3] Quod et alia ratione indirecta corroborat. Sicut enim sola virtus divina potest mortuum revocare ad vitam, ita « corpus dissolubile ad indissolubile redigere, hoc est solius « divinae virtutis ».[4]

Quare Scripturae verba: « ne forte sumat de ligno vitae « et vivat in aeternum », S. Bonaventura intelligit dicta non de vitae interminabilitate, sed de quadam vitae diuturnitate.[5]

Recusat autem argumentum desumptum ex eo quod esus huius ligni restaurabat humidum radicale. Nam « etsi « per sui esum sufficienter restauraret humidum in corpore

[1] Ibid., dub. 4.
[2] Q. II, art. 2.
[3] II Dist., XIX, q. 2.
[4] Arg. 4.
[5] Ibid., ad 1.

« hominis secundum statum naturae institutae, numquam « tamen in statu naturae lapsae sic restauraret quin semper « aliqua deperditio fieret ».[1]

Et infra sibi obiicit et respondet: « Lignum vitae signum « erat illius ligni vitae, quod Christus est, quod est in medio « paradisi Ecclesiae;[2] sed istud lignum potius obest quam « prosit illis qui indigne sumunt; ergo videtur, quod si Adam « comedisset de illo ligno indigne, potius nocuisset quam pro- « fuisset: ergo non viveret in aeternum ». Ad quae ita repo- nit: « Respondeo dicendum, quod verbum illud est verbum « Domini loquentis ad Angelos. Unde littera supplenda est « sic: " Nunc ergo „ supple " videte „ - " ne mittat manum « suam „„ etc. Hoc autem dixit Dominus, non quod Adam « in aeternum viveret, si post peccatum de illo ligno come- « deret, sed quia longiori vixisset tempore. Unde verbum « illud potest intelligi fuisse verbum misericordiae, quia « Dominus nolebat ipsum diu vivere in calamitate prae- « sentis vitae, in quam retrusus erat merito culpae suae.[3] Vel « potest esse verbum rigoris iustitiae, ut, quia Adam gustando « cibum ligni vetiti se indignum reddiderat ad percipiendum « effectum ligni vitae; ideo Dominus in verbo praemisso, in « quo fert sententiam contra eum, indicat, se Adam duplici « bono privare, videlicet ligni esu et effectu; non quia post « peccatum posset ad effectum pervenire, sed quia merito « peccati utrumque meruit amittere ».[4]

5) Si iam subtilius inquiritur de modo quo istud immor- talitatis donum primo homini conferebatur, haec possibilitas non moriendi erat in Adamo a natura quoad aptitudinem, a gratia quoad complementum. Quod S. Bonaventura egregie evolvit secundum tria ex quibus mors contingere solet. Sunt autem: elementorum pugna et dissolutio, humidi consumptio, et extrinseca laesio. Iam vero secundum haec tria S. Doctor distinguit id quod in Adamo erat ex naturali aptitudine, et id quod per virtutem gratiae complebatur.

[1] Ibid., ad 6.

[2] Aug., *De Gen. ad litt.*, l. viii, c. 11, n. 8 sq.; *De Civ. Dei*, viii, c. 20.

[3] Haec consideratio iam apud praecedentes scriptores occurrit; subtilior tamen, nostro iudicio, quam fundatior.

[4] Ibid., dub. 2.

Accipe hanc doctrinam schemate expressam:

I) *Elementorum pugna et dissolutio:*
- *a*) in Adamo erat ***aptitudo*** ad elementorum harmonicam concordiam propter optimam corporis complexionem;
- *b*) ***complebatur*** per virtutem ex gratia animae data ut eam harmoniam servaret; [1]

II) *Humidi consumptio:*
- *a*) ***aptitudo*** erat ad reparandam ordinariam humidi deperditionem, quod fiebat per lignorum esum;
- *b*) ***complenda*** erat per reparationem humidi radicalis, quod erat munus ligni vitae;

III) *Extrinseca laesio:*
- *a*) ***aptitudo*** erat ad illam vitandam ex habilitate et prudentia;
- *b*) ***complementum*** autem accedebat ex speciali gubernatione Dei. [2]

Hanc S. Bonaventurae expositionem, quoad rei summum cum doctrina S. Thomae convenire, manifestum est. Nisi quod forte Seraphicus Doctor in ipso Adami corpore aliquid amplius ponit. Virtutem autem a gratia dependentem in ipsa anima ad regendum et tuendum corpus exposcit.

Paulo aliter simile argumentum evolvit ipse S. Thomas, [3] ubi non tres, sed quatuor distinguit causas dissolutionis: 1) virtutem finitam ad essendum, communem omnibus generabilibus et corruptibilibus; 2) excessum inordinatum alicuius contrariorum, mixtis corporibus communem; 3) humidi consumptionem per calorem; 4) laesionem ab agente extrinseco.

Iam vero contra 3^m et 4^m inserviebant ligna Paradisi et Providentia, eodem modo quo supra vidimus; contra 1^m et 2^m inserviebat vis praeternaturalis animae data. Haec duo (1^m et 2^m) S. Bonaventura simul colligit in primo, vocans primum dissolutionem; alterum, pugnam.

Ex his vides, quod, etiamsi tanta vis ligno vitae tribueretur ut posset, absque speciali virtute animae data, humidum etiam radicale perfecte instaurare, [4] adhuc requireretur

[1] En verba S. Doctoris quoad hoc *b*) « Sed tamen illud non sufficiebat (*a*): hoc « enim non posset anima peccatrix facere si poneretur in consimili corpore. Et ideo « datum fuit illi animae donum gratiae, per quam posset corpori praesidere, et illud « regere et elementa quasi in quadam amicitia custodire, et hoc quamdiu vellet suo « auctori subiacere ».

[2] Art. 3, q. 1.

[3] II Dist. XIX, q. 1, a. 4.

[4] Quod non putamus, propter virtutem specialem requisitam ut alimentum tam mirae virtutis, quale erat lignum vitae, perfecte posset assimilari.

haec virtus ad praeveniendam quamvis dissolutionis causam ex ipsis componentibus corpus humanum. Stat proin firma doctrina S. Thomae.

Quoad tertium observa, alia quidem ligna fuisse, ne deesset humidum; lignum vero vitae, ne deesset calor, seu ne per multiplicatas assimilationes virtus intima vitae, qui calor est, minueretur..

Ubi adhuc observa, duplex dari stadium corporalis vitae: stadium augmentationis, ab infantia usque ad plenam corporis evolutionem, et stadium conservationis. Primum stadium defuisset in Adamo; non autem, modo postea explicando, in eius posteritate. Sed et alterum stadium aliter se habet pro homine qui non destinatur ut caput fiat generis, ac pro illo cui dicitur: « Crescite et *multiplicamini* ». Ex quo iam in Adamo innocente nova ratio assimilandi sibi cibum.

Scholion. Ex hucusque expositis iam patet quomodo immortalitas Adami se habeat ad immortalitatem beatorum post corporum resurrectionem.

S. Thomas[1] docet utramque immortalitatem esse eamdem quoad potentiam incompletam naturarum (secus iam non eadem esset natura beata cum natura innocente), sed differentem quoad gratiae munus; prima est per gratiam innocentiae, altera per gratiam gloriae; prima talis est victoria spiritus in carnem, quae sinat adhuc carnem esse animalem; altera, victoriam complens, illam dotibus spiritualibus per redundantiam illustrat.

Paululum aliter S. Bonaventura.[2] Eadem est immortalitas quoad essentiam: utraque enim consistit in virtute supernaturali animae in corpus. Sed differunt quantum ad dispositionem superadditam. In prima immortalitate haec animae virtus erat amissibilis, nondum sublata potestate peccandi; altera immortalitas iam excludit possibilitatem moriendi cum ipsa possibilitate peccandi.

Discrimen inter utramque solutionem est in hoc quod S. Bonaventura magis confert inter se posse non mori et non posse mori; dum S. Thomas potius confert inter se

[1] Loc. cit., art. 4.
[2] Loc. cit., art. 3, q. 2.

immortalitatem hominis animalis et hominis spiritualis. Coniunge responsionem S. Thomae et responsionem S. Bonaventurae, et habebis completam solutionem quaesiti, iuxta ipsam doctrinam S. Augustini, uti ex locis citatis apparet.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Immortalis fuit homo in statu innocentiae, non ex necessitate naturae, neque ex forma inamissibili, sed ex virtute supernaturali, maxime tamen naturae congrua, animae dependenter a iustitia tradita (a. 1). Excludebat haec immortalitas passibilitatem stricti nominis, a naturali dispositione removentem; non autem passibilitatem lati nominis, mutatione ipsam naturam perficientem (a. 2). Neque cibos excludebat, quum haec virtus esset virtus animae uti animalis, nondum uti spiritalis, quae non nisi in caelesti immortalitate sese explicabit (a. 3). Ciborum Paradisi efficacia reparabat humidum per calorem deperditum; ligno autem vitae fortificabatur virtus speciei contra debilitatem ex admixtione elementi extranei provenientem (a. 4).

Appendix de doctrina Ecclesiae orthodoxae circa conditionem originalem protoparentum. [1]

Ad finem huius Capitis remisimus brevem expositionem doctrinae quae prevalet apud theologos Ecclesiae dictae orthodoxae, non illos remotiores, qui adhuc antiquae traditioni altiori adhaerent, sed modernos qui, minus alta, audaciora sed a Germanis imprimis scriptoribus accepta, propugnant.

Fundamentum minoris aestimationis in qua isti primaevam protoparentum conditionem habent, est distinctio qualem fingunt inter Dei imaginem et similitudinem. Iuxta plerosque hos modernos theologos imago est ipsa natura spiritualis hominis; similitudo autem est vitalis perfectio in

[1] Cf. D. Placidum de Meester, O. S. B. (*Etudes sur la théologie orthodoxe Revue Bénédictine*, t. xxv, 1908), quem in hac appendice plerumque sequimur.

quam homo tendere debet ut finem suum assequatur. Quam similitudinem, per gradus evolvendam, peccatum destruit. Quousque autem per peccatum ipsa maculetur aut laedatur imago, loco suo exponemus.

In hac itaque via ab imagine ad similitudinem Antonius Amphithéatrov († 1879) triplicem veluti finem attingendum distinguit: ipsam facultatum evolutionem, felicitatem inde secutam in hac vita et in altera, demum gloriam Dei, in quam haec similitudo ordinatur tota.[1]

Hinc magnum faciunt isti theologi discrimen inter statum *innocentiae* et statum *iustitiae*. Status innocentiae (*nevinnost*, ἀθωότης), ille in quo homo est conditus, ipsa originalis conditio naturae; est iustitia negativa; status iustitiae (*pravednost*, δικαιοσύνη) per evolutionem facultatum, veluti seminum, obtentus, est iustitia positiva. Per iuvamen suum, quae gratia est actualis, Deus hanc evolutionem stimulat.

Non tamen distinguunt sedulo inter ea quae naturae et ea quae sunt gratiae. Priori nimis, alteri non satis tribuunt. Prior, uti iam diximus, constituit imaginem; altera imagini superaddit similitudinem.[2]

Ex dictis iam sequitur, istos theologos sat confuse permiscere ea quae diversi ordinis sunt naturalis, praeternaturalis et supernaturalis. Unde multum commune habent non solum cum schola plus minusve naturalistica Hermesii et Güntheri, sed et cum protestantibus passim: « Dans le dogme « catholique, ait D. Plac. de Meester, l'on distingue les dons « naturels, les préternaturels, les surnaturels. Selon les théo- « ries orthodoxes, ces conceptions n'ont pas leurs correspon- « dants. De plus, certains dons conférés à l'homme appa- « raissent comme des effets de la Providence divine: telles « la science infuse et l'immortalité; les autres dons dépen- « dant des principes constitutifs de la nature humaine, comme « l'impassibilité et l'intégrité: il en est enfin qui sont passés « sous silence. C'est seulement après le péché que la grâce

[1] *Dogmatitcheskoe Bogolovie* (*Theol. dogm.*), Petroburgi, 1862, § 125, p. 111 sq.

[2] Inde formula Sylvestri: Homo cum imagine creatus, similitudini destinatur. – Quantopere haec interpretatio distinctionis inter imaginem et similitudinem sit opposita tum ipsi loquendi modo Scripturae, tum traditioni, ex dictis superius abunde constat.

« deviendra sanctifiante; mais alors les relations de Dieu « avec la créature raisonnable, de *normales* qu'elles étaient « avant la chute, se seront transformées en relations *extra-* « *ordinaires* et *purement surnaturelles* ». [1]

Quum igitur iuxta hos theologos primus homo creatus sit in similitudinem, at nondum in similitudine, patet eos non nisi dimisse loqui de initiali perfectione a qua evolutionem suam Adamus incepit, seu de termino a quo eiusdem ascensionis in imaginem. Hinc comparationem instituunt inter statum quo Adamus est conditus et quo nascuntur infantes. Etenim Philarète ac Sylvester, maxime Svietlov, Adamum contendunt fuisse in conditione infantili conditum, non quidem quoad corpus, quod erat formatum veluti adultum, sed quoad animam: erat quippe innocens, nescius mali, sed inexpertus. « Svietlovii opinione, scribit D. Georgius « Matulewicz, [2] Adam infans non differt ab infante qui nunc « nascitur, nisi in eo quod iam adulta sit aetate, non ira- « cundus, non morosus, non sui amans: immunis enim adhuc « ab hisce defectibus nondum laesis viribus. Sed uterque « infans, Adam et noster, conveniunt in innocentia; uterque « enim nescit bonum et malum, uterque aeque imperitus, « credulus, curiosus, immaturus, simplex ».

Quum autem sentiant se, loquendo tam depresse de initiali scientia Adami [3] offendere in traditionem pluries saecularem, Augustinum imprimis exaggerationis hac in re insimulant. [4] Sed potius ipsi sub influxu rationalismi et evolutionismi germanici, a propria sua traditione recesserunt, quemadmodum Petrus Mogilas ostendit in opere cui titulus *Confessio orthodoxa*, ubi initialis scientia Adamo sensu prorsus catholico attollitur. [5]

Agnoscunt tamen in Adamo facultates optime dispositas. Admittunt insuper, Deum ipsum, sapientissimi instar paedagogi, personali interdum magisterio ingenium eius stimu-

[1] Op. cit., p. 517.

[2] *Doctrina Russorum de statu iustitiae originalis*, Cracoviae, 1903, p. 133. – Cf. D. PI. de Meester (op. cit., p. 505).

[3] Imprimis Uspenskii; nec aliter Macaire, Androutsos, Mésoloras, Z. D. Rosis, Philarète, Nicolaus Damalas. – Cf. D. PLAC. DE MEESTER (op. cit. p. 502 sq.).

[4] CHR. ANDROUTSOS, Δογματική, § 29, p. 139. Ibid., p. 502.

[5] Ep. 23. Michalcescu, p. 39.

lante et veluti ducente, primum hominem instituisse. Ita quando animalia Deus ad eum adduxit, « ipse, ut ait Syl- « vester, [1] adstabat vigil, ut videret quomodo animalia voca- « ret, ac ita salubrem in cognitionem et mentem hominis « influxum exercuit ». Quod sane sat leviter dictum est. Nam si Adamus indolem animalium ignorabat, quomodo poterat ea nominibus suis appellare? Et quomodo poterat Deus Adamum in hoc officio stimulare, nisi infundendo ei hanc scientiam, in quam tamen invehunt?

Porro de immortalitatis dono vel tacent, vel ita loquuntur quasi nihil esset nisi effectus specialis providentiae hominem gubernantis, eiusque vires per fructum ligni vitae stimulantis. Imo quum catholicam doctrinam circa hoc donum nimis crassam sibi fingant, dum eam impugnant, tali modo immortalitatem describunt, qui ab ipsa catholica traditione vix recedit.[2]

Plura de hoc argumento addemus ubi, post expositam doctrinam catholicam de peccato originali, quid de hoc dogmate doceant moderni theologi orthodoxi breviter afferemus.

CAPUT II.

DE PERTINENTIBUS AD CONSERVATIONEM SPECIEI.

Ordo huius Capitis ex initiali tabella constat. In prima parte quaeritur de ipsa generatione; (Q. XCVIII); in altera de conditione prolis generatae (Q. XCIX). Primae parti, appendicis instar, adnectetur Q. XCIX, de propagatione hominis quantum ad corpus.

[1] P. 507 sq.

[2] Exemplo sit haec expositio immortalitatis ab orthodoxo theologo facta: « Les « anciens docteurs de l'Eglise n'entendaient pas autrement l'immortalité d'Adam au « point de vue de son corps; il pensèrent, non pas que le premier homme *ne pouvait* « *pas mourir* par le fait même de la nature corporelle, mais qu'il avait été destiné « à l'immortalité; que par une grâce particulière de Dieu, au cas où il fût resté « fidèle, il *aurait pu ne pas mourir* en récompense de la fidélité; qu'enfin, l'arbre « de vie n'était dans le paradis que le canal de cette grâce divine ». *

* Cf. D. Placid. de Meester (op. cit. p. 509).

§ 1. – De ipsa generatione.

(Quaestio XCVIII).

Ordo Quaestionis est manifestus. – Primo statuitur *factum*, dein inquiritur *modus* facti. Scopus huius Quaestionis est distinguere quid in nuptiis sit a Deo, quid a peccato; dein illustrare quomodo in ipso statu innocentiae gratia naturam integram elevaverit.

ARTICULUS I.

UTRUM IN STATU INNOCENTIAE FUISSET GENERATIO.

I. **De ipsa Quaestione.** – Circa veritatem in hoc et sequenti articulo demonstrandam plures in Ecclesia errores invaluerunt. *a*) *Adamitae*,[1] ex hoc quod Adam non cognoverit uxo-

[1] *Adamitae* primi huius nominis apparuerunt in II saeculo. Refert de illis Epiphanius, * quin conditorem sectae appellet; Theodoretus vero ** nominat illum Prodicum, quem Clemens Alexandrinus depingit; Ioannes autem Damascenus Adamum quemdam, a quo nomen accepissent; dum alii putant illos hoc nomine seipsos decorasse ex cultu quem Adamo, tamquam primo Aeoni, – gnostici quippe, – tribuebant; dum alii credunt, illos ita appellatos fuisse ex turpi more quo, detractis vestibus, sacra audiebant. Omni lasciviae, promiscuitati mulierum pessime indulgebant; dum, teste Augustino, coniugium, utpote post lapsum inductum, abhorrebant. ***

Idem sectae nomen saec. XIV et XV usurpatum est a quibusdam Manichaeis, in Hollandia, Gallia, praesertim in Bohemia sat florentibus. Vocabantur quoque Picardi, sive a quodam Picardo conditore, sive a Picardia eiusdem patria. Auctor tamen huius sectae videtur fuisse sacerdos quidam, nomine Martinus Loquis, e partibus provinciae Moerensi, vicinae Bohemiae. Taboritae quoque vocati sunt, ex asseclis in hoc monte prope Pragam acquisitis, noti impietate erga altaris Sacramentum, quod merum esse panem ac vinum blasphemabant, necnon moribus lascivis et habitu inhonesto, adamitico, quo circumire non erubescebant. Quos, anno 1421, Ziska, in oppido Kerkot, ipsorum sede, repentine oppressit obstinatosque ignis supplicio damnavit. Revixerunt in oppido bohemico Gurrike, malueruntque patriam relinquere quam perversas doctrinas abiurare.

Ubi iam anno 1781 imperator Iosephus II, philosophismo indulgens, tolerantiam religiosam edicto sancivit, ecce Adamitas e cineribus iterum resurgere, lasciviasque

* *Haer.*, 52.

** *Haer. Fab.*, 1, 6.

*** Ad rem verba s. Pauli; « In novissimis temporibus discedent quidam a fide, « attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium « mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientium, prohibentium nubere » (I Tim., IV, 1-3).

rem suam ante peccatum, concludebant nuptias in Paradiso non fuisse futuras, si homo non peccasset. – *b*) Idem prognabant *Armeni*[1] et *Amalricus*,[2] contendentes humanum genus fuisse angelico more propagandum; imo Amalricus, in hoc sane sibi consequens, autumabat in statu innocentiae nec ipsam sexuum discretionem futuram fuisse.

Hos errores Innocentius III damnavit in Conc. Lat. IV: « Reprobamus etiam et condemnamus perversissimum dogma « impii Amalrici, cuius mentem sic pater mendacii excae- « cavit, ut eius doctrina non tam haeretica quam insana « sit censenda ».

suas cum impietatibus proterve instaurare. Exclusi ab edicti privilegiis ob nimiam foeditatem, anno 1848 rursus caput attollere Adamitae conati sunt; sed, inquieti, vicinisque molesti, manu militari repressi, brevi siluerunt.

Sed apud Protestantes, in Hollandia praesertim, inter Anabaptistas Adamitarum horrores grassabantur saeculo XVI. Inter quos citandus Adamus Pastoris, qui Christum merum hominem blasphemabat, nuptiasque malas sese praedicabat. *

[1] *Armeni* primaevae aetatis christianismi doctrinam evangelicam admixtis variis erroribus deturparunt, usquedum saeculo IV integrius dogmatibus christianis adhaeserunt. Inter quos errores etiam gnosticorum Adamitarum placitis adhaesisse videntur.

[2] *Amalricus* (Amalric de Chartres), Benae, in dioecesi Carnutensi, ortus indeque Benensis quoque vocatus, fuit philosophus pantheisticus, auctor sectae a suo nomine *Amalricanorum* nuncupatae. Parisiis in Universitate educatus, mox in falsum mysticismum incidit. Eius doctrinam examine probandam curavit Innocentius III; Amalricus, iam ab Universitate damnatus, sententia Pontificis prius iudicium confirmantis, imperatam sibi retractationem voce praestitit, corde autem recusavit, pauloque post, invidia et acerbitate corrosus, anno 1204, obiit. Asseclae eius, inter quos praecipue numerandi sunt David a Dinanto et Gulielmus Parisiensis, pessima dogmata sub mystico sermone velata sequebantur. Dum autem falsam charitatem nimis extollebant, ab omni lege morali se liberos iactitabant, simulque spreto omni coniugali vinculo, lasciviis indulgebant pessimis, ne verbum dicamus de erroribus quos circa revelationem, triplex eius stadium, incarnationem Spiritus Sancti, caelum ac infernum, Romanam Sedem, etc., diffundebant. Detecta fraude per imprudentiam Gulielmi Parisiensis, qui, se tamquam Dei ministrum iactitans, Radulpho de Nemours, celebri magistro, revelato sermone cuncta patefecerat, huius magistri custodiae capita sectae mancipata sunt, conciliumque Parisiis congregatum (1205). Gulielmus ignis supplicio scelera expiavit; igneque pariter consumptae sunt exuviae Amalrici, cum ipsius necnon Davidis a Dinanto scriptis. Demum Concilium Lateranense (1215) solemni iudicio Amalrici eiusque asseclarum doctrinam damnavit. Extinctum visum est incendium; sed sub cinere scintilla non periit, imo posterioribus temporibus in perversis Beghardorum aliorumque sectis nonnihil eiusdem revixisse constat. **

* Cfr. Card. HERGENROETHER, *Kirchen-Lexic.*, I, p. 216, sq., necnon auctoritates ibidem allatas.

** Cfr. id. opus.

Et sane 1) ex ipsa *narratione Mosaïca* multipliciter appareret nuptiarum initialis dignitas et divina ordinatio.

a) *Ante lapsum.* α) « Et creavit Deus hominem ad imagi- « nem suam: ad imaginem Dei creavit illum: *masculum et « feminam creavit eos* »[1]. Ergo ipse sexus a Deo. In quid autem, nisi essent a Deo et nuptiae? Satius fuisset formare androgynum, quemadmodum quidam moderniores antiquum errorem instaurantes, somniant primum hominem fuisse conditum.

β) Corroboratur ex immediate sequentibus: « Benedixit- « que illis Deus et ait: Crescite et *multiplicamini* ».[2] Quomodo? nisi nuptiali unione, quam habes inde non solum intentam, sed a Deo benedictam.

γ) Deus, adiutorium viro daturus, non alterum virum efformat ut ipsi sit amicus et in labore socius, sed feminam. Curnam, inquirit Augustinus, nisi propter nuptialem unionem?[3] Optime S. Ambrosius: « Faciamus, inquit ei adiuto- « rium simile sibi. Adiutorium ad generationem constitutio- « nis humanae intelligimus ».[4]

δ) Huc spectat et locutio: « Et *aedificavit* Dominus Deus « costam, quam tulerat de Adam, in mulierem ».[5] Alia enim

[1] GEN. I, 27.

[2] V. 28.

[3] *De Genes. ad Litt.* hoc loco.

[4] *De Paradiso,* c. 10, n. 48. – *P. L.,* t. XIV, col. 298.

[5] Imo huc spectabat quoque adductio animalium ad Adamum, ut videret sibi deesse simile sibi ad propagationem familiae humanae, quale in animantibus conspiciebat; ideoque melius intelligeret veritatem effati divini: « Non est bonum ho- « minem esse solum ». * Bene id exprimit laudatus Scheeben: « Adducendo animalia « Adamo Deus fecit intendere se non habere similem sibi in terra ac in eo suscitavit « desiderium accipiendi a Deo sociam similem sibi. Non est vulgaris et sensualis appe- « titus carnalis voluptatis in bestiis repertae, quemadmodum mytosophi, uti Bauder, « contendunt; sed desiderium habendi sociam se dignam et humanam naturam mul- « tiplicandi; quod involvebat dispositionem sese in hunc finem Deo dedendi, de suo « tribuendi, propriam tradendi personam ».

Ipsum somnum Adamo immissum describit uti « operationem spiritus supra « se elevati supernaturali influxu; Adam in spiritu videbat, dum complebatur, « Dei actum uti creantem; suam voluntatem operationi divinae uniebat voluntaria « deditione propriae substantiae; huius actionis intelligebat finem et sensum; id « enim verba ab Adamo immediate prolata testantur ». **

Bene quoque de hoc versu 20 scribit Hoberg: « Der folgende Vers: " Der Mensch « nannte die Tiere „ sagt, dass der Mensch den Willen Gottes aus freier Entschlies-

* *Gen.* II, 18.

** Op. cit., n. 423.

est structura, sive aedificatio corporis muliebris, ac corporis virilis. Quare nova ars divina huic operi praeest. Quonam fine teleologico, nisi ut mulier esset viro adiutorium in opus generationis per nuptiale commercium?

Bene de hac locutione exclamat Bossuet: « Grave expres« sion de l'Ecriture pour nous faire voir dans la femme quel« que chose de grand et de magnifique, et comme un admira« ble édifice où il y avait de la grâce, de la majesté, des pro« portions admirables et autant d'utilité que d'ornement ».[1]

ε) Huc pariter spectat modus quo Deus aedificatam e se mulierem *adduxit* ad Adamum, veluti nuptiarum coryphaeus.

ζ) Ipse Adam, visa uxore, agnovit dignitatem nuptiarum et arctissimum coniugale vinculum. « Quamobrem relinquet « homo patrum suum et matrem, et *adhaerebit uxori suae,* « *et erunt duo in carne una* ».[2] In quo habemus duo: 1°) Supponuntur futurae generationes: quia relinquet « patrem suum et matrem » homo, qui nondum erat. 2°) Proclamatur nuptiale in naturalibus vinculum arctissimum.

Sed de his verbis mox sermo recurret ubi agemus de doctrina s. Pauli.

b) *Post lapsum.* Poena quidem fertur in Evam ut matrem viventium, ita tamen ut *modus* parturitionis cum dolore, et conceptionis per multiplicationem aerumnosam, non autem ipse conceptus, neque partus tamquam consequens lapsus appareant. Ergo supponebantur ipso ordine divino instituta.

2) Haec doctrina corroboratur *verbis ipsius Domini,* confirmantis verba Moysis: « Non legistis quia qui fecit ho« minem, ab initio masculum et feminam fecit eos? » etc. et concludit: « *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* ».[3] Quo testimonio nihil fortius.

« sung erfüllte, d. h. er nahm jene Betrachtung vor und kleidete ihr Resultat in « adaequate Worte, aber er fand, dass zwischen ihm und dem Tiere eine unüber« brükbare Kluft bestände, indem keines ihm zur "Hilfe,,, dienen konnte ». *

[1] *Elévations sur les mystères.* De hac mulieris aedificatione subtiliter disserit SCHEEBEN (op. cit., n. 423 sqq.). Cfr. quae de hoc argumento in praecedenti volumine diximus.

[2] II, 24.

[3] MATTH., XIX, 4, 6.

* Op. cit., p. 40, sqq.

Unde, ipse de desponsata Virgine natus, Canae nuptias praesentia sua honestare dignatus est. Optime S. Augustinus: « Quod Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta « mystica significatione, confirmare voluit, quod ipse fecit « nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, pro- « hibentes nubere, ac dicentes quod malum essent nuptiae, « et quod diabolus eas fecisset: cum idem Dominus dicat in « Evangelio, interrogatus utrum liceat homini dimittere « uxorem suam ex qualibet causa, non licere, excepta causa « fornicationis. In qua responsione, si meministis, hoc ait: « " Quod Deus coniunxit, homo non separet „ ». [1]

3) Nec satis. *S. Paulus,* mysterium huius coniunctionis ab ipso Deo in Paradiso institutae contemplans, ait: « Sacra- « mentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in « Ecclesia ». [2] Bene Bossuet affirmat: Deus formando alterum sexum alio modo ac formaverat priorem, « veut donner au « monde dans les deux sexes l'image de l'unité la plus par- « faite et le symbole des grands mystères de Jésus-Christ ». [3]

Nec obiicias, hoc dici de sacramento matrimonii Novae Legis, non de unione illa primordiali. – Resp.: Non negamus vim argumenti, quod ex hoc loco eruitur ad probandam ex Scripturis dignitatem sacramentalem unionis coniugalis inter Christianos. Sed simul contendimus, Paulum rationem typicam vindicasse huius unionis in seipsa consideratae. Ita enim hanc propositionem introducit. Tota argumentatio Pauli evolvit relationem viri ad uxorem et uxoris ad virum, secundum relationem Christi ad Ecclesiam et Ecclesiae ad Christum. Ratio communis est, quia Christus efformat unum corpus cum Ecclesia mysticum, sicut vir et uxor sunt « duo « in carne una »; modus autem quo in probanda illa comparatione citantur verba Adami uxorem accipientis, probant Paulum de ipsa initiali unione, hoc est de ipsa unione coniugali per se cogitasse.

Neque urgens, ante lapsum repugnare figuram rei quae pertinet ad ordinem reparationis. Quid, si ipse Adam est « forma futuri », et Eva forma futurae, iam de unione ipso-

[1] Tract. IX in Ioann. versus initium.
[2] Eph., V, 32.
[3] *Elévations.*

rum ambigendum restat?[1] Caeterum undequaque truncaretur haec difficultas pro illis qui tenent decretum Incarnationis non fuisse in ordine praedestinationis dependens a praevisione culpae. De quo recolat lector sententiam quam de hoc argumento alibi exposuimus.[2]

Quidquid sit, ex Pauli verbis Adami verba afferentis manifestum est, primum hominem divinam nuptiarum dignitatem agnovisse quando de somno evigilans, visa Eva exclamavit: « Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. Haec « vocabitur Virago, quoniam ex viro sumpta est. Quamob« rem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhae« rebit uxori suae, et erunt duo in carne una ».[3]

[1] Idem dic de utroque ligno in medio Paradiso collocato. Cf. Praefationem pro tempore Passionis.

[2] Cf. t. III, *De Christologia,* p. 44 sqq.

[3] GEN., II, 23, sq. Haec verba: « Quamobrem », etc., esse etiam ab Adamo prolata, non, uti quidam censent, a sacro scriptore addita, bene declarat Hoberg: « V. 24. « Besteht ebenfalls aus Worten Adams, welche aus göttlicher Eingebung stammen, « daher können sie Matth., XIX, 5 auch als von Gott gesprochen citiert werden. « In ihnen ist die Unauflöslichkeit sowie die Einheit der Ehre gelehrt ». Obiectionem autem ex verbis « relinquet homo patrem et matrem » petitam, quasi Adamus has notiones nondum habere potuerit, bene solvit asserens has notiones in ipsa notione matrimonii esse contentas. « Der Einwurf ist belanglos; denn da Adam das Wesen « der Ehe erkannte, so waren ihm auch die Begriffe Vater und Mutter nicht « fremd ». * Dolendum sane eumdem auctorem in tota hac exegesi tantopere a sensu historico recessisse, ut eius expositio nullatenus concordet tertio responso Pont. Commissionis de Re Biblica, iuxta quod uti historica est admittenda « formatio primae « mulieris ex primo homine ». Scribit enim: « creatio primi viri et primae mulieris, « masculi et feminae – des ersten Menschenpaares – est *unicus* actus creativus Dei, « qui tamen in narratione biblica, ob suam indolem doctrinalem, apparet tamquam « distinctus ». ** Etenim quod dicitur de eductione mulieris e latere viri sumendum est in sensu figurativo, « sicuti quando Patres dicunt, Ecclesiam esse aedificata « tam e latere Christi ». *** Et, hoc posito, Hoberg citat in favorem suae sententiae S. Chrysostomum et S. Augustinum, quos tamen habet manifestissime contrarios. Hic arguendi modus est omnino recusandus. Ecclesia non potuit nisi figurative educi de latere Christi, quia est ens morale, Sponsa eius mystica; sed reale fuit prorsus latus Christi realiter vulneratum e quo realiter fluxerunt sanguis et aqua. In omni comparatione figurativa unus e terminis realis sit oportet. **** Est quasi

* Op. cit., p. 42, sq.

** Ibid., p. 42.

*** Ibid.

**** Eodem modo arguit, de Cherubim arcae disputans, P. Gaudentius Orfali, O. M.: « Symbola non sumuntur nisi ex rebus revera existentibus; et symbola, quae, « in tabernaculo et in templo adhibebantur, erant veluti corporizatio vel adum« bratio eorum spirituum (quos Cherubim vocamus) in regno Dei » (*De Arca foederis.* Parisiis, Picard, 1918, p. 42).

Quaenam esset conclusio logica contenta in hoc « quam-« obrem », nisi Deus formando mulierem de substantia viri iam indicasset, genus humanum multiplicandum esse per adiunctionem intimam quae sit multiplicationis principium?

Plura de hoc argumento, Deo dante, dicemus in tractatu *De Sacramento matrimonii.*

4) Rectissime proin *Concilium Tridentinum* exorditur Sess. XXIV *de matrimonio,* hisce verbis: « Matrimonii per-« petuum indissolubilemque nexum *primus humani generis* « *parens divini Spiritus instinctu pronunciavit,* quum dixit: « " Hoc nunc ... „ ».

Pergit Concilium unitatem matrimonii urgens ex ultimis verbis: « et erunt duo in carne una ». « Hoc autem vinculo « duos tantummodo copulari et coniungi Christus Dominus « aperte docuit, cum postrema illa verba tamquam a Deo « prolata exhibens dixit: " Itaque iam non sunt duo, sed una « caro „, statimque eiusdem nexus firmitatem ab Adamo ante « pronunciatum his verbis confirmavit: " Quod ergo Deus « coniunxit, homo non separet „ ». Igitur, iuxta Concilium Tridentinum « Christus in Nov. Test. uti divina sancivit « verba, quae Deo inspirante Adamus ipse pronunciavit ».[1] Iam vero si Adamus divino instinctu pronunciavit arctissimum esse omnium vinculum coniugale, istud vinculum a Deo sit oportet.

5) Porro adverte, argumenta ex divinis Scripturis allata valere non solum de unione coniugali in se, sed et de modo naturali propagationis humani generis, uti attente perscrutanti apparebit.

De hoc altero adspectu argumenti, iuxta ordinem S. Thomae, in proximo articulo directe agetur. De primo considerationes quaedam addendae sunt ad ostendendum ex una parte quantopere multiplicatio humanae familiae sit confor-

dicerem: « Hic homo est leo. Atqui hic homo non est nisi figurative leo; ergo nec leo « realiter leo est ». Porro duplex actus distinctus quo Adamus prior a Deo creatus est et Eva dein de Adamo formata, tam expresse in *Genesi* affirmatur et in N. T. confirmatur, ut non videam quomodo catholicus scriptor hoc possit negare aut imo tantum in dubium vocare.

[1] Hic solemnis loquendi modus Concilii Tridentini demonstrat quam leviter nonnulli scriptores denegent verba: « Quamobrem », etc., fuisse ab ipso Adamo prolata.

mis ordinationi naturae, id est, ipsius Dei naturae auctoris; ex altera vero, quam futiles sint rationes quae in oppositum possunt adduci.

6) Magnum bonum esse hanc multiplicationem, ex ipsa hominis dignitate constat. Quo nobilior enim species, eo maioris pretii est non solum ut servetur, sed ut individua eius magno exstent numero. Quod tantopere verum est, ut S. Thomas non timeat asserere, peccatum fuisse necessarium, imo, ubi ait « valde necessarium », si haec multiplicatio sine peccato obtineri non potuisset.

7) Hic autem discrimen adverte magni momenti. In specie cuius individua singula pereunt ex toto, natura per generationem intendit directe conservationem speciei, non autem conservationem singulorum individuorum;[1] at in specie cuius individua quoad partem nobiliorem sunt immortalia, intentio naturae directe cadit non solum in conservationem speciei, sed imo magis in singula individua.[2]

Adde rationem inde petitam quod mundus visibilis sit a Deo in hominem ordinatus, ac proin hominis praesentiam veluti exigat. « Igitur, ait recte Scotus, ex hoc mundo, sublatis « duobus hominibus, quos Deus condidit, si hi filios in inno- « centiae statu non procreassent, species mundi sensibilis « in aliam fuisset immutata, cessante fine, cuius gratia hanc « sibi Deus condidit. Necessario ergo in statu innocentiae « erat generatio futura ».[3]

8) Quum igitur tanta sit excellentia boni quod per generationem obtinetur, in ipso statu innocentiae, – imo maxime in isto ob maiorem humanae naturae integrae et elevatae dignitatem, – a priori patet, inanes esse debere rationes quae eidem opponuntur.

Sane *a*) futilis est ratio quae petitur a corruptione, quae est a generatione inseparabilis. Etenim corpus humanum in statu innocentiae erat quidem integrum, a concupiscentia

[1] Si tamen species alicui fini destinatur qui attingi non possit nisi individua existant magno numero, hic magnus quoque numerus intenditur a naturae auctore, non autem individua quibus constat.

[2] Ex quo patet gravitas peccati contra bonum prolis in matrimonio a Deo intentum. Etenim qui pessimo huic vitio sunt dediti, non solum sanctitatem coniugii conculcant, sed ipsam Dei providentiam graviter offendunt.

[3] *Oxon.*, II, d. XIX, n. 3-6.

imo a morte immune, at nondum glorificatum,[1] ac proin natura sua corruptibile, cui proin, sicuti competebat usus ciborum, ita et generationis opus.

b) Nec maiorem efficaciam habet ratio petita ex generationis inutilitate, quatenus humana species poterat per unum individuum immortale conservari. Etenim, uti iam resultat ex dictis sub n. 8, hominum multiplicatio non tantum tendebat in speciem conservandam, quantum in multiplicanda individua. Non ideo tamen excluditur conservatio speciei, quae hac in terra a multiplicandis individuis pendere potuit, iuxta consilium Dei de transferendis individuis in gloriam, et iuxta bonum vel malum usum libertatis, ex quo dependebat vel conservatio vel amissio donorum praeternaturalium, ac proin immortalitatis.

c) Nec valet demum ratio deducta ex bonis terrenis dividendis iuxta numerum semper crescentem individuorum. Haec obiectio non attendit ad ea quae supra diximus de dominio ab hominibus in statu innocentiae exercendo. Utique in statu praesenti, in quo, iuxta Ioannis profundam syntesim, dominantur « concupiscentia carnis, concupiscentia « oculorum, et superbia vitae »,[2] bonorum terrestrium divisio et aemulatio rixas generat inter individua,[3] discordias inter familias et bella inter nationes. At nihil huiusmodi accidisset in statu innocentiae, utpote in quo omnia fuissent ordinata. Rebelles autem huic beato statui ab hac pacifica communione fuissent exclusi. De quo argumento mox plura dicemus.

[1] Gravis proin est excessus in hac sententia Leonis Bloy: « Adam, avant sa « chute, était dans un état inimaginable, analogue, semble-t-il, à celui de Notre- « Seigneur dans son Humanité glorieuse, après la Résurrection: luminosité, agilité, « subtilité, ubiquité, etc., la matière ne pouvant lui faire obstacle. Adam, avant sa « chute, était comme un charbon à l'état d'incandescence. Brusquement éteint, il « a perdu sa lumière et sa chaleur, et il est devenu froid et noir ».* Eodem forsan excessu ductus, paulo superius dixerat, tempus incipere non potuisse nisi cum peccato, ac proin durationem mansionis Adami in Paradiso ad aeternitatem pertinere, nec posse humanis exprimi numeris.

[2] I Ioann., II, 16.

[3] Unde quidam profunde dixit, magnum esse discrimen auri sparsi inter colores et inter homines; inter colores, discordes harmoniose componit; inter homines, dissociat concordes.

* *Le mendiant ingrat*, p. 323 sq.

II. Ad Textum. – *1ª Obi.* Negligit dicta n. 8, *a*). Non considerat, statum primae immortalitatis non exlusisse corpus animale cibis indigens, proin neque corpus generatione sese transfundens. Caeterum axioma « Corruptio unius, generatio alterius » non est semper eodem modo sumendum. Proin in casu nihil ex tali corruptione, qualis est hic intelligenda, cum statu innocentiae repugnabat.

2ª Obi. Non attendit dicta n. 8, *b*). Procedit ac si conservatio speciei esset unicum bonum in generatione intentum. Utrumque considerandum est: et speciem servari, et individua multiplicari. Imo per individuorum multiplicationem ipsa species servatur; et appetentia individui tendit in individuum prius quam in speciem.

3ª Obi. Negligit dicta n. 8, *c*). Ardua hic quaestio tangitur de titulo ad dominium privatum quod et in statu innocentiae haberi posset. Ratio patet. Concesso etiam quod omnes homines manerent in hoc statu, quae est hypothesis a qua procedit solutio S. Thomae, non ideo negantur variae activitates ac proin variae relationes operantium, sive manibus, sive ingenio, ad sui laboris fructum. Quaestio igitur est, utrum in innocentiae statu istae relationes potuissent conferre ius privati dominii; an potius privatum dominium fuisset incompossibile cum perfectione huius status. Ne nimii simus, satis sit paucas de hac quaestione propositiones proferre.

a) Quo maior fit in sociali vita moralis perfectio et elevatio, eo magis in ea viget illud quod SSmus Legislator monachis imponit, ut « nullus quod sibi utile iudicat, sequa« tur, sed quod magis alii ».[1] Unde *vita communis* in apostolico collegio a Christo instaurata, et ab Apostolis in primaeva Ecclesia servata, norma fuisset societatis in statu innocentiae.

b) Quae vita communis nullo modo nocuisset profectui societatis, quum ex una parte defuissent rationes quae hodiedum inaequalitates requirunt in bonum communem, ex altera parte quodcumque meritum speciale, ex quo ius in bonum privatum derivatur, compensatum fuisset speciali quadam

[1] *Reg. S. B.*, c. LXXII.

auctoritate, iuxta ea quae supra vidimus, ubi de dominio in statu innocentiae agebamus.

c) Neque ullo modo ex hac theoria sequitur, legitimum esse socialistarum, communistarumve systema. Etenim – ut nihil dicamus de impietatibus quas isti solent contra divinitatem religionis christianae et coniugale vinculum eructare, neque de via violenta qua praesentem conantur subvertere ordinem, in quo, si non omnia, saltem multa iuste ordinantur, – socialistae errant praecipue in tribus: α) Impugnant absolute dominium privatum, saltem in bona terrae, quod est subversivum, nec ulla potest convincenti ratione fulciri. – β) Abstrahunt a conditione status praesentis, in quo ex vitiis, ex mortalitate, etc., oriuntur necessario, et servandae sunt necessario tales munerum et virium disproportiones, quae systema aequalitatis absolutae non patiantur. – γ) Abstrahunt a causa primaria huius status, a peccato originali, quod totum hominem invasit, et ex quo impossibile redditur, propter pronitatem in vitia, ut societas in membrorum aequalitate et in communitate bonorum subsistere possit.

Ibi unice viget modo supernaturali, ubi perfectionis studium facit abnegare non solum sua, sed et semetipsum. Quare, nisi ignorantia vel mala fide praeoccuparentur, deberent socialistae, nedum in illa inveherent, in institutis monasticis tamquam in speculo intueri, eorumque mores imitari. Quod si facerent attentius, iam Illum inciperent revereri, ob cuius amorem primaevi collegii aemuli, virtutes pristini status pro modulo conditionis lapsae, spe futurorum bonorum, instaurare conantur.[1]

Sed contra est. De aliis argumentis ex Scripturis, vide in antedictis. Huc facit prior textus S. Augustini quem in *Sed contra est* articuli sequentis afferemus.

[1] Hinc et terrenae rei publicae constituendae non parum contulerunt illis qui, supernae civitatis intuitu transitoria calcantes, in medio saeculo idealem vitam communem instituerunt, cuius activitas, ipso abnegationis studio stimulata, eo magis in bonum commune tenderet quam privata bona anhelaret. Princeps huius vitae codex in Ecclesia Occidentali est Regula S. Benedicti. De qua optime Card. Gaquet O. S. B.: « As a code of laws it has undoubtedly influenced Europe; and, « indeed, there is probably no other book, save of course the Holy Bible, wich with « such certainty can be claimed as a chief factor of the work of European civili-

In Corpore. Duplici argumento S. Thomas probat institutionem divinam generationis humanae etiam in statu innocentiae. Primum, indirectum, petitur ex hoc quod non potuit tantum bonum causari a peccato. Quod argumentum, ut sit stringens, supponit multiplicationem humani generis fuisse antecedenter a Deo intentam.[1] Alterum argumentum petitur ex intentione divina quae apparet ex ipsa hominis natura.

Hic autem duo consideranda occurrunt: 1) hominem constare ex anima incorruptibili et ex corpore corruptibili, ita ut multiplicatio fiat per instrumentum corporis; 2) hoc interesse inter corruptibilia et incorruptibilia, quod in istis intentio naturae cadit in multiplicationem *individuorum* per se, in illis autem in conservationem *speciei*. Unde ad demonstrandum quod in statu innocentiae generatio extitisset, sufficit ostendere in intentione fuisse naturae ut species servaretur multiplicatis corporibus, quae per se enim mortalia erant, et insuper ut animae immortales multiplicarentur. Ubi rursus vides supponi, magnum bonum creandae multitudinis animarum immortalium fuisse in intentione divina antecedenter ad praevisionem peccati. Adverte cum Caietano, propter aeternam durationem individuae animae, iam generationem cuiusvis hominis singularis fieri in intentione generationis humanae.

« sation. It is indeniable that most of the nations of modern Europe were converted « to the christian faith and tutored in the arts of peace by the influence of the mode « of life known as monastic ». *

Recolo me olim in monasterio Maretiolensi unum ex antesignanis Belgici socialismi excepisse, qui votum expresserat de variis argumentis ad quaestionem « socialem », uti aiunt, spectantibus mecum colloquendi. Antequam collationem inchoaret, ultro dixit: « Scio vos ad haec problemata solvenda duplicem habere veluti dogma- « ticam clavem: peccatum originale et instaurationem humani generis per Christum. « Fateor has geminas claves esse mirabiliter efficaces. Sed nemo eis utitur nisi « habens fidem, qua careo ». Postquam multas quaestiones tetigerat, praesertim liberum amorem, de quo videbatur maxime sollicitus, iam abiturus, deque accepta hospitalitate gratias agens, mihi subridendo dixit, se in monasterio nostro cum voluptate vidisse « une coopérative modèle ». Cui respondi: « Sane, et laetor; sed recole, quaeso, « nostram " coopérative „ superstructam esse principiis quae vos eradicare moli- « mini ». Tacuit ille. Et quid respondere potuisset?

[1] Cf. cum hoc argumento exclamationem Ecclesiae de Christo redivivo exsultantis: « O felix culpa! O vere necessarium Adae peccatum! » (*Bened. cerei paschalis*).

* *The rule of St Benedict. Introduction.*

Obicies. Nonne Incarnatio est effectus peccati? Quid mirum ergo si generatio et multiplicatio humani generis pariter essent effectus eiusdem peccati?[1]

a) Caietanus solvit difficultatem distinguendo inter *tale* bonum, et *tantum* bonum; valet, ait, principium pro tanto bono, seu pro *quantitate* boni, quae magis naturam respicit; non autem valet pro tali bono, seu pro *qualitate* boni, quae magis ordinem gratiae et ordinationis divinae respicit. Quid quid sit de valore huius responsi, en duplicem alium modum hanc difficultatem solvendi.

b) Incarnatio non est effectus peccati, sed gratuitae bonitatis divinae, cuius quidem, ut se exerceret, peccatum occasio fuit. In casu autem, ex hypothesi, generatio esset effectus peccati, non quidem per se, sed per conditionem in quam hominem redegit. – *c*) Sed utrimque restringendo causam ad occasionem, alia causalitas a qua dependet ut aliquid *sit*, alia a qua dependet ut *melius sit*.

ARTICULUS II.

UTRUM IN STATU INNOCENTIAE FUISSET GENERATIO PER COITUM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Depulso radicali excessu qui generationem omnem a statu innocentiae excludit, iam quaestione ad generationem modum reducta, quatuor de eodem sententiae concipi possunt, iuxta sequentem ordinem decrescentem.

a) Prima tenet, generationem non fuisse per coitum, sed modo quodam angelico. Quae sententia, quum habeat contra se structuram utriusque sexus ad coitum ordinatam, eius fautores difficultatem evaserunt dicendo, hanc structuram factam esse ob peccatum praevisum. Haec sententia, iam olim a S. Gregorio Nysseno expressa, a S. Thoma in prima parte *Corporis* confutatur.

b Secunda sententia admittit in statu innocentiae fuisse quidem generationem per coitum, sed absque sensuali delectatione. Quae sententia pariter excedit, confundens delecta-

[1] Inde ex Incarnationis bono, a peccato tamen derivato, Scotus arguit ut infirmet rationem a S. Thoma in initio *Corporis* adductam (*Oxon.*, III, d. VII, q. 3, n. 3).

tionem ordinatam cum delectatione inordinata seu libidine presse sumpta. Hanc sententiam S. Thomas directe confutat in solutione obiectionis tertiae.

c) Tertia sententia admittit generationem per coitum cum delectatione naturali, imo maiori, correspondenti perfectiori organismo in statu innocentiae, at exclusa omni concupiscentia inordinata et libidinosa. Haec sententia veritatem tenet. Optime id evolvit Scotus, ambiguum sermonem Magistri explicans. « Corpora illa, seu a Deo immediate efformata, « seu in statu innocentiae progenita, erant perfectissime « complexionata, et ita actus potentiarum sensitivarum opor- « tuit fuisse longe perfectiores illis, qui de potentiis corpo- « rum minus perfectorum procedunt; ac proin quum con- « venientibus eis uniebantur obiectis, maior delectatio illos « sequebatur ».[1]

d) Quarta sententia excessu opposito contendit, generationem per coitum, uti est in praesenti statu, nihil habere inordinati, ac per consequens nullam esse rationem cur non et ab initio talis fuerit. Haec sententia naturalismum sapit. Quare S. Augustinus,[2] princeps peccati originalis defensor, eam vehementer depellit, imprimis contra libidinis patronum Iulianum.

2) Porro pleraque argumenta in principio expositionis praecedentis articuli allata valent, non solum ad demonstrandum in statu innocentiae futuram fuisse generationem, sed et generationem quae masculo et feminae ex ipsa naturali ordinatione ad invicem manifesto respondet.

Unde mandatum « Crescite et multiplicamini » masculo et feminae immediate iniunctum, ad melius significandam hanc fundamentalem veritatem, scilicet sexuale discrimen inter homines esse ab ipso exordio non aliquid accidentale, sed e contra aliquid a naturae Conditore praefixum in ordine ad humani generis multiplicationem.[3] Quare a Deo est intenta

[1] *Oxon.*, III, d. XV, n. 16-18.

[2] Cf. S. AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram*, l. IX, c. 10; *De Civitate Dei*, l. XIV, c. 25.

[3] Inde scaturit illa lex moralis summi momenti: quemadmodum discretio sexuum ex divina ordinatione tendit in generis multiplicationem, ita sexuum commixtio nulla licet, quae non sit huic divinae institutioni conformis. Quare ab initio ipse Adam, visa uxore, matrimonii legamen arctissimum, quin et sanctissimum proclamat.

non solum generatio in genere, sed illa ipsa cui correspondet, aut imo in quam tendit sexualis discretio et teleologica structura.[1] Fundamento ergo caret sententia primo loco posita. Unde S. Augustinus: « Factam feminam viro, de viro, in eo « sexu, in ea forma et distinctione membrorum, qua femi- « nae notae sunt;... quisquis dubitaverit, omnia cogit nutare « quae credimus, longeque a fidelium mentibus repellendus « est ».[2]

3) Excessus autem ultimae sententiae apparet iam ex ipsa narratione Mosaica. Nam irruens de nuditate erubescentia manifestat turbationem per peccatum inductam.[3]

[1] Optimo iure philosophi christiani ex evidenti teleologica structura sexuali argumentum deducunt contra materialismum, utpote qui huius teleologicae ordinationis nullam sufficientem rationem adducere valet.*

[2] *De Gen. ad litt.*, l. IX, c. 11, n. 29. – *P. L.*, t. XXXIV, col. 400.

[3] Verum proin habet effatum Eduardi Montier:

Le corps n'est dégradé que si l'âme a fait mal,

sicuti et Arthuri Rimbaud de homine:

Il a des vêtements parce qu'il n'est plus chaste.

Sed sensus ab utroque poëta intentus est falsus. Eduardus Montier culpam intendit personalem, non originalem, quippe a Christo sublatam. Unde Christianis commendat cultum pulchritudinis quae in nudis corporibus fulget.

Praefert enim

Au voile provoquant la chaste nudité.

Et hominem ita audacter, quin et impie appellat:

Homme, lève-toi donc, en ta jeunesse saine.
Et debout devant Dieu, sans honte et sans remords,
En face du soleil, dans les fleurs de la plaine,
Fais-lui l'honneur ému de tes membres très forts.
Adam jadis a pu craindre un jour ta présence,
Mais Dieu l'a de sa crainte à jamais affranchi;
Comme autrefois il met toute sa complaisance
A se voir en son fils tout entier réfléchi.

Et paulo ante splendorem nudi corporis exaltans, dixerat:

Epanouis-toi donc, humanité fleurie,
*Dont le Christ a cloué les laideurs sur la croix.***

Peius adhuc effatum intendit Arthur Rimbaud. Praeiudicia scilicet pudoris christiani corpus humanum deturparunt. Quare hunc pudorem vocat impurum, castum vero paganum nuditatis cultum: unde carnis rehabilitationem a redivivo Veneris cultu expectat:

Tu viendras lui donner la rédemption sainte,
O splendeur de la chair, o splendeur idéale. ***

* Cf. GUTBERLET, op. cit., loc. cit.

*† *L'Effigie – Empires sans fin.* Et tamen in praefatione huius libri auctor se aperte christianum orthodoxum proclamat.

*** *Soleil et chair*, II-III.

Quae turbatio in membris generationi inservientibus praecipue obveniens ostendit, ipsum sexualem instinctum profundam immutationem subiisse. Ab ordinato quippe inordinatus prorupit. Oportet ergo summopere distinguere inter ipsum coitum et modus coitum in natura lapsa. Hic alter in statu innocentiae non fuisset. Falsa proin est quarta sententia superius exposita.

Si iam quaeris in quonam consistat haec deturpatio, reducitur ad sequentia.[1] *a*) Ex una parte voluntas non habet in imperio suo uti iubens, illud quod in origine ab ipsa iubebatur, et proin quiete regebatur. *b*) Ex altera parte patitur sollicitationem quam non vult, et quae in hoc tendit ut carnale spirituali dominetur. Ex absentia utriusque sequebatur illa serena tranquillitas, superius descripta, libera ab omni verecundia, quippe cui deerat substratum; libera ab omni impetu, quippe cui deerant tum vis impellens, tum obiectum appellans.

4) Quare quidquid praesens status adiectum habet inhonesti ac foeditatis, erat in hoc beato statu non solum ab hoc defectu liberum, sed et bonum et honestum et purum. Unde quidquid in delectatione consequitur naturam perfectam, etiam quoad hunc generationis usum aderat plenissime; quidquid autem ab inordinata derivatur libidine, undequaque aberat. Ex quo apparet excedere secundam ex quatuor sententiis ab initio enumeratis, et tertiam esse sententiam veram.

5) At, obiicies, nonne in favorem sententiae quae negat coitum fuisse statui innocenti condecentem, militat factum quod re vera usus huius coitus non appareat ante lapsum? Sane protoparentes non nisi post lapsum coniugaliter coivisse, quasi constat[2] tum ex Scripturae silentio quoad innocentiae stadium, tum ex modo quo eorum nuptialis congressus post eiectionem e Paradiso narratur. Inchoatur enim historia huius novi stadii per verba: « Adam vero cognovit « uxorem suam Hevam ».[3] Sed ex hoc nihil sequitur in favo-

[1] Cf. nostram dissertatiunculam de originali integritate et de origine sensus pudoris. Cfr. Magister, II, Dist. XX, c. 1.

[2] Anglicus tamen poëta Milton Adamum et Hevam describit mutuo nuptiali affectu absque mora congressos.*

[3] GEN., IV, 1.

* Op. cit., l. IV.

rem sententiae coitum excludentis. Etenim S. Thomas, iuxta Magistrum, sapientissime duplicem huius facti rationem suggerit, quin ullo modo ad illam praeposteram sententiam recurrat. Nam vel spatium inter Hevae creationem et lapsum fuit brevissimum; vel protoparentes expectabant a Deo [1] signum temporis, quo inchoanda esset executio legis in genere latae: « Crescite et multiplicamini ».

Aliam rationem suggerit S. Irenaeus, sane futilem, de qua iam alibi sermo factus est, et quae directe tendit in explicandam utriusque erubescentiam de hucusqne veluti ignota nuditate. « Erant utrique nudi in paradiso et non « confundebantur, quoniam paulo ante facti non intellectum « habebant filiorum generationis. Oportebat enim illos primo « adolescere, dein sic multiplicari ». [2]

Haec sententia, sane singularis, non una ratione inanis demonstratur. Hevam in forma adulta esse a Deo Adamo praesentatam, manifesto apparet. Dein, uti loco suo diximus, nexum intimum inter peccatum et erumpentem concupiscentiam, erubescentiae fontem, ipse Deus declaravit.

Qualiscumque autem ratio fuerit ob quam protoparentes in Paradiso non convenerint, haec etiam brevis dilatio ostendit in protoparentibus innocentibus animorum sublimitatem, qua in ea quae corporis, etiam integri, erant, nulla praecipitatione ferebantur, spirituali afflatu carni perfecte dominantes.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Procedit ex indole angelica status innocentiae originalis. Duplici vitio laborat. Primo distinguit inter vitam angelicam ratione absentiae concupiscentiae carnalis, et vitam undequaque angelicam ratione absentiae vitae terrenae. Dein non distinguit inter statum innocentiae et statum gloriae.

2ª Obi. Arguit ex facto quod protoparentes ante lapsum non coierint. Sed a « non factum esse » falso concludit ad

[1] Inde quidam moderniores censent, peccatum protoparentum in hoc constitisse quod impatienti concupiscentia ante tempus a Deo ordinatum convenerint. Cuius sententiae levitatem ostendemus in secunda Sectione, agentes de protoparentum lapsu.

[2] *Adv. Haeres.*, l. III, c. 32. - *P. G.* t. VII, col. 959.

non futurum fuisse, si conditio primaeva permansisset (cf. dicta ni 5). Vide ipsum textum Augustini.

3ª Obi. Arguit ex inordinatione libidinis. Adverte in S. Thomae responso quantopere salvetur bonitas naturae originalis, in qua non solum fuerit congrua delectatio rectis actibus propria, sed et longe maior quam in praesenti. Sicut enim vir sobrius maiorem in cibis gustum percipit quam gulosus, sed libera mente eo fruitur: ita homo in statu innocentiae excellentiorem delectationem percepisset, sed plenum in ea et super eam dominium servasset.[1]

Ex quo iam conclude ad castas delicias quas ipsa corpora in caelo expertura sunt, ut stultissimus appareat ille, qui propter foeda oblectamenta corruptae naturae, brevissimo tempore subeunda potius quam gustanda, aeternas, incorruptibiles voluptates amittat, sortemque sibi eligat cruciatus in ipso corpore sine fine horrendos.

4ª Obi. Procedit ex corruptione inhaerente violatae virginitati. Cf. dicenda inferius, ubi de poena inflicta Hevae.

Sed contra est. Argumento Scripturae hic allato adde alia superius in initio Quaestionis adducta. En verba S. Augustini ad quae alludit S. Doctor: « Si ad hoc adiutorium « gignendi filios non est facta mulier viro, ad quod ergo « adiutorium facta est? Si quae simul operaretur terram, « nondum erat labor ut adiumento indigeret; et si opus esset, « melius adiutorium masculus fieret. Hoc et de solatio dici « potest, si solitudinis forte taedebat. Quanto enim congruen- « tius ad convivendum et colloquendum duo amici pariter « quam vir et mulier habitarent? Quod si oportebat alium « iubendo, alium obsequendo pariter vivere, ne contrariae « voluntates pacem cohabitantium perturbarent; nec ad hoc « retinendum ordo defuisset, quo prior unus, alter posterior, « maxime si posterior ex priore crearetur, sicut femina « creata est. An aliquis dixerit de costa hominis Deum fe- « minam tantum, non etiam masculum, si hoc vellet, facere « potuisse? Quapropter non invenio ad quod adiutorium « facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahitur ».[2]

[1] Cf. BILLUART, op. cit., Dist. V, a. 4.

[2] *De Gen. ad litt.*, l. IX, c. 5. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 396.

Sed in statu innocentiae ab unione coniugali omnem illam inordinationem removet, quam in statu lapso ab eo removere vellent qui recte sapiunt. « Quis autem amicus sapien-« tiae sanctorumque gaudiorum, exclamat eloquenter, coniu-« galem agens vitam, sed, sicut Apostolus monuit, sciens vas « suum possidere in sanctificatione et honore, non in morbo « desiderii, sicut et gentes quae ignorant Deum,[1] non mallet, « si posset, sine hac libidine filios procreare, ut etiam in « hoc serendae prolis officio, sic eius menti ea quae ad hoc « opus creata sunt, quemadmodum caetera suis quaeque « operibus distributa membra servirent, nutu voluntatis acta, « non aestu libidinis incitata? ».[2]

Eleganter Hugo Victorinus eamdem doctrinam contrahit. « Quia coniugium inter masculum et feminam ante pec-« catum a Deo institutum, eisque ut crescerent et multi-« plicarentur dono benedictionis concessum atque iniunctum « legimus: commixtionem carnis in generatione prolis sine « turpitudine et concupiscentia futuram nullatenus dubitare « debemus ». Ex quo immediate deducit conseq uens, cuius vis mox erit perpendenda: « Qui ergo sine peccato generantur, « consequens omnino est quod etiam sine peccato nasce-« rentur, quemadmodum ii qui modo generantur cum con-« cupiscentia, quasi ex ipso radicis suae vitio corruptionem « trahentes, nascuntur cum culpa ».[3]

Doctrinam praesentem Ecclesia solemniter sancit per Liturgiam. In Missa pro sponso et sponsa sacerdos dicit orationem quae ita incipit: « Deus, qui potestate virtutis tuae « de nihilo cuncta fecisti: qui dispositis universitatis exor-« diis homini ad imaginem Dei facto, ideo inseparabile mu-« lieris adiutorium condidisti, ut femineo corpori de virili « dares carne principium, docens quod ex uno placuisset « institui, numquam liceret disiungi; Deus, qui tam excel-« lenti mysterio coniugalem copulam consecrasti, ut Christi

[1] I Thess., IV, 4, 5.

[2] *De Civ. Dei*, l. XIV, c. 16, – *P. L.*, t. XLI, col. 425. Hanc intrinsecam libidinis inordinationem S. Augustinus alibi nervose ita exprimit: « Est in nobis quiddam « bestiale, quo in carne vivimus; sed intellectu regendum est ». *

[3] *De Sacram.*, l. I, p. 1, c. 23. – *P. L.*, t. CLXXVI, col. 277.

* In Ioann., *Tract.* XV, n. 19. – *P. L.*, t. XXXV, col. 1516.

« et Ecclesiae sacramentum praesignares in foedere nuptia-« rum; Deus per quem mulier iungitur viro,[1] et societas « principaliter ordinata, ea benedictione donatur, quae sola « nec per originalis peccati poenam, nec per diluvii est « ablata sententiam ». Ergo, iuxta Ecclesiam, nuptiae tantopere sunt a Deo institutae, ut benedictio nuptiis adnexa, nec per deiectionem ab originali iustitia fuerit ablata.[2]

In Corpore. Argumentum S. Thomae duplici parte constat. In primo exponit et repellit sententiam excessivam S. Gregorii Nysseni,[3] primo loco a nobis superius expositam. Reiicit eam S. Thomas ex inspecta ipsa structura corporum protoparentum, quorum membra sexuum discretiva ex sese ordinabantur ad usum generationis per coitum.

Explicatio autem a patronis huius sententiae inducta, hanc scilicet sexualem discretionem factam esse intuitu praevisi peccati, non est nisi evasio difficultatis.[4] Etenim, si ipse modo propagationis generis humani per coitum est malus,

[1] Hinc pulcherrime Vondel describit nuptias in paradiso ab ipso Deo, stirpis Parente, celebratas.

In 't paradijs, daar twee te gader
Gewettigd zijn van d'eerste macht,
Die hun verscheen, gelijk een vader,
Hen trouwde, en minzaan samenbracht. *

Cui festo Angeli fraterna veluti laetitia intersunt, caelestem unionem cum beatis hominibus in caelo paratam iam praegustantes.

D'Aartsengel underhield ons met die bruiloftswijzen,
En hoopte 't menschdom eens in 's hemels paradijzen
Te wellekomen, op een blijder bruiloftsfeest. **

Hic rursus Vondel longe superat Miltonem, apud quem nuptialis unio inter Adamum et Evam est, ut ita dicam, prope laica; dum apud Vondel sacra excellentia splendet.

[2] Unde rursus apparet, quantopere a vero aberrent illi exegetae, qui per fructum ligni vetiti ipsum sexualis commercii usum intellexerunt.

[3] Similia reperiuntur apud Ioannem Damascenum,*** et Athanasium Sinaitam.****

[4] Eodem vitio quo sententia Nysseni, laboraret fictio illius qui crederet, ideo hominem conditum esse in corpore naturaliter mortali, quia praevidebatur caesurus a statu innocentiae. Insuper, in quonam corpore apte disposito homo conderetur, quod non esset per se corruptioni subiectum?

* Op. cit., I, v, 293–295.

** Ibid., IV, v. 996–988.

*** L. II, 2, c. 30.

**** *Hor. de resurr.* apud Mich. Glycan (cf. PETAVIUM, op. cit., c. 8).

ipsa illa natura a Deo creata iam erat in se mala, quum evidenter ex sua structura in rem malam tenderet.

Adde: si Deus intendebat multiplicare homines modo multiplicationis Angelorum, nulla ratio probabilis adesset cur non omnes ab initio simul homines conditi essent. Nisi quis somniet, in initio unum Angelum fuisse, a quo, spirituali via, omnes educti sint.

Vitium huius excessivae sententiae fuit non distinxisse inter *modum* et *modum modi*. Quod iam expresse facit S. Thomas in secunda parte suae argumentationis.

Totum reducitur ad hoc: distinctio maris et feminae tendit in coitum, in quo utrumque elementum proprias agit partes.[1] Ab hoc autem coitu removenda est in statu innocentiae libidinis inordinatio. Quae doctrina, a S. Augustino variis in locis illustrata, in resp. ad 3^m magis evolvitur.

Ad pleniorem vim huius argumentationis adverte, absolute loquendo, Deum ita potuisse condere hominem, ut duplex in uno individuo adfuisset principium sexuale discrimen determinans, androgynum scilicet illum constituendo, quemadmodum erronee censent nonnulli.[2] Nec certe defuerunt altissimae rationes propter quas, gemino principio individualiter distincto, Creator maluit consulere foecunditati familiae humanae. Ad quod geminum principium sexuali structura distinguendum alludere videtur illud *Geneseos*: « Non est bonum esse hominem solum ».[3]

[1] Embryo generatur per compenetrationem intimam elementi masculini, cellulae scilicet vivae spermatozoidae, et elementi feminei, cellulae vivae ovulae. In hac compenetratione diversae partes (protoplasma cellulare et nucleare, et alimenta nuclearia) utriusque cellulae commiscentur et modo maxime intimo coagulantur. Cellula masculina caret quibusdam qualitatibus quas possidet cellula feminea, et vicissim. Utriusque commixtione physiologica, – vitali actu, – novum constituitur individuum, quod habet in potentia omnes proprietates entis completi. Est embryo iam propria vita vivens, sibique per nutritionem assimilans circumiacentes liquidas substantias, sanguinem et lympham, a matre ministratas. Quare theoria heic a S. Thoma exposita de elemento masculino mere activo, feminino vero mere passivo, non amplius hodiedum eodem gradu recipitur. Cf. addenda in appendice.

[2] Cf. dicta in I Parte huius tractatus, p. 735.

[3] Gen. II, 18. Milton fingit longum discursum de hac solitudine inter Deum et primum hominem.* Caute legendi sunt isti ascetici scriptores, qui vitio vertunt Adamo quod hac solitudine contentus non fuerit. Nimis enim solemne dicit Scriptura: « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum,

* Op. cit., lib. VIII.

Eleganter S. Augustinus arguit ex forma simul singulari et plurali sententiae: « Ad imaginem Dei creavit illum, « masculum et feminam creavit eos »: « Ne quisquam arbitra- « retur ita factum, ut in homine singulari uterque sexus « exprimeretur, sicut interdum nascuntur quos androgynos « vocant, ostendit, se singularem numerum propter coniun- « ctionis unitatem posuisse, et quod de viro facta est, sicut « postea manifestabitur, cum id quod hic breviter dictum « est, diligentius coeperit explicari. Et ideo pluralem nu- « merum continuo subiecit dicens: "Fecit eos et benedixit « eos „ ».[1]

Corollarium I. – Quum in statu innocentiae valeret mandatum humani generis propagandi et nulla actui generandi, fuisset admixta inordinatio,[2] in hoc statu non datum fuisset servandae virginitatis consilium.

« masculum et feminam creavit eos », * quam ut dicatur hanc discretionem sexualem non fuisse apprime a Deo intentam, sed postea additam, tamquam « pis aller », ad tollendam Adami solitudinem.

Possunt tamen haec Dei verba: « Non est bonum esse hominem solum », alio sensu accipi. Homo factus est ut Dei consortio fruatur. Vae proin homini qui se a Deo seiungit, seseque contra Deum in solitudine collocat! Quantopere haec solitudo altiores mentes deprimat, ostendit celebre carmen vere tragicum Sully Prudhomme:

Je voudrais bien prier, je suis plein de soupirs!
Ma cruelle raison veut que je les contienne.
Ni les vœux suppliants d'une mère chrétienne,
Ni l'exemple des saints, ni le sang des martyrs,

Ni le besoin d'aimer, ni mes grands repentirs,
Ni mes pleurs, n'obtiendront que ma foi me revienne.
C'est une angoisse impie et sainte que la mienne:
Mon doute insulte en moi le Dieu de mes désirs.

Pourtant je veux prier, je suis trop solitaire.
Voici que j'ai posé mes deux genoux à terre:
Je vous attends, Seigneur, Seigneur, êtes-vous là?

J'ai beau joindre les mains et, le front sur la Bible,
Redire le Crédo que ma bouche épela,
Je ne sens rien du tout devant moi. C'est horrible.

[1] *De Genes ad. litt.*, l. III, c. 22. – *P. L.*, l. XXXIV, col. 294.

[2] Hinc ipse Deus superna illustratione Adamo nuptiarum excellentiam manifestavit: « Illa exstasis, quam Deus immisit in Adam, ut soporatus obdormiret, recte « intelligitur ad hoc immissa, ut et ipsius mens per exstasim particeps fieret tam-

* GEN. I, 27.

Unde, salva reverentia tanto oratori debita, non sine quodam moderamine intelligenda sunt verba Chrysostomi: « De verbis: "Adam autem cognovit Evam uxorem suam „ « considera quando hoc factum est. Post inobedientiam, « post Paradisi amissionem, tunc primum usus rei venereae « coepit. Ante inobedientiam enim angelicam vitam imita- « bantur, et nullus de re venerea sermo erat.... Itaque ab « initio virginitas palmam principatus accepit: sed postquam « per desidiam intravit inobedientia, et aditus patefactus est « peccato, illa quidam avolavit, utpote ab iis qui indigne « tantae virtutis magnitudine facti erant: subintravit autem « congressus ».[1] Et alibi haec habet: « Congressus ille post « praevaricationem fuit: nam usque ad illam quasi Angeli « versabantur in Paradiso, non concupiscentiis flagrantes, « non ab aliis affectionibus infestati... ».[2] Sane huiusmodi locutiones nimis abstrahunt a mandato protoparentibus ante lapsum lato: « Crescite et multiplicamini ».

De quo mandato S. Bonaventura disserens, haec optime scribit: « Ad illud quod quaeritur, utrum mandatum illud « fuerit revocatum: dicendum quod aliter obligabat tem- « pore naturae institutae, aliter nunc. Tunc enim omnes « obligabat, quia omnibus erat in officium; nunc autem non « obligat omnes, pro eo quod multi sunt, qui sufficiunt illud « implere, aliis consilium virginitatis servantibus ». De quo addit sapienter: « Hoc autem consilium competit statui natu- « rae lapsae, non autem naturae institutae, quia tunc, cum « nulla esset pronitas, non esset maior virtus continere « quam nubere, et omnes prolem ad cultum Dei genera-

« quam angelicae curiae, et intrans in sanctuarium Dei intelligeret in novissima. * « Denique evigilans tamquam prophetia plenus, eructavit continuo, quod magnum « sacramentum commendat Apostolus: ** "Hoc nunc os ... erunt duo in carne una „. « Quae verba cum primi hominis fuisse Scriptura ipsa testatur, Dominus tamen « in Evangelio Deum dixisse declaravit. Ait enim: " Non legistis? „, etc., *** « ut hinc intelligeremus, propter exstasim quae praecesserat in Adam, hoc eum « divinitus tamquam prophetam dicere potuisse ». Ita pariter Augustinus. ****

[1] *Homil. XVIII in Gen.*, n. 4. – *P. G.*, t. LIII, col. 153.

[2] *Homil. XV in Gen.*, n. 4. – Ibid., col. 123.

* Ps. LXXII, 17.

** EPHES., V, 31, 32.

*** MATTH., XIX, 4.

**** *De Gen. ad litt.*, l. IX, c. 19, n. 36. - *P. L.*, t. XXXIV, vol. 408.

« rent; nunc autem propter difficultatem et arduitatem « omnino continere magnae est virtutis et dignitatis ».[1]

Nec solum, sed in innocentiae statu coniugium fuisset virginitate excellentius. Audiatur de hac re Billuart: « Nihil « immoderatum fuisset in actu coniugii, nulla in coniugio « molestia sive circa coniugem, sive circa liberos, sive circa « res domesticas; sed fuisset inter coniuges amor castissimus, « fides intemerata, denique bonum perpetuum foecunditatis, « ex quo tot sancti laudarent et glorificarent Deum, quo « bono caruissent virgines absque compensatione alterius « boni, sicque coniugium fuisset excellentius virginitate ».[2]

Corollarium II. – Ex dictis in hoc articulo collige discrimen magni momenti inter delectationem sensualem et libidinem presse sumptam. Libido dicit inordinationem, rebellionem carnis spiritum captivantis; non ita delectatio. Quare libido involvit intrinsece imperfectionem, et in statu lapso est a peccato et ad peccatum.[3] Non ita delectatio quae per se nihil imperfecti dicit, imo involvit perfectionem organi cui inest. Potest tamen mala fieri ex inordinatione. Voluptas, proprie dicta, non magis libidinem involvit quam delectatio, licet frequentius in libidinosa adsignificatione usurpetur. Imo non semel in Scripturis castissimo sensu adhibetur.[4]

[1] II, Dist. XXI, dub. 3. - Suarez tamen probabile censet, in statu originalis iustitiae non defecturum fuisse ex toto virginitatis cultum, tum quia virginitas maiorem praebet animi libertatem, tum quia statuum varietas pulchritudini humani consortii contulisset (*De op. sex dierum*, l. V, c. 2).

[2] Op. cit., dist. V, a. 4, § 2. Optime quidem. Cum hoc tamen moderamine quod, quum proles non nata esset in iustitia confirmata, defectio singulorum potuisset domesticam illam pacem minuere, et ita coniugalem vitam gravare molestiis.

[3] Quare abominanda est porcina philosophia illorum qui, cum Nietzsche, in explenda quam maxime libidine beatitudinem hominis collocant.

[4] Hoc autem nolo hoc sensu dictum intelligi, quasi libido nonnnisi pro hac carnali stare possit, sed quia usus invaluit ut, nisi alio vocabulo ad aliam voluptatem trahatur, pro hac nostra sumatur. Ad rem S. Augustinus: « Est libido ulciscendi, quae « ira dicitur, est libido habendi pecuniam, quae avaritia; est libido quomodocumque « vincendi, quae pervicacia; est libido gloriandi, quae iactantia nuncupatur. Sunt « multae variae libidines, quarum nonnullae habent etiam vocabula propria, quae« dam vero non habent. Quis enim facile dixerit, quid vocetur libido dominandi, « quam tamen plurimum valere in tyrannorum animos, etiam civilia bella testan« tur? Quum igitur sint multarum libidines rerum, tamen cum libido dicitur, neque « cuius rei libido sit additur, non fere assolet animo occurrere nisi illa qua obscoenae « partes corporis excitantur » (*De Civ. Dei*, l. XIV, cc. 15, 16. - *P. L.*, t. XLI, col. 424).

De voluptate in sensu pravae libidinis eloquenter dixit Massillon: « En vain le monde a donné des noms spéciaux « à la volupté; en vain l'usage a tâché de l'ennoblir par la « pompe des théâtres, par l'appareil des spectacles, par la déli- « catesse des sentiments, et par tout l'art des poésies lascives; « en vain des écrivains profanes prostituent leurs plumes, leurs « talents à des apologies criminelles de ce vice; les louanges « qu'on lui donne n'ont rien de plus réel que les scènes elles- « mêmes où on les débite. Sur des théâtres fabuleux, c'est « la passion des héros, c'est la faiblesse des grandes âmes; « au sortir de là, c'est-à-dire dans la vérité et dans la réa- « lité des choses, dans la conduite ordinaire de la vie, c'est « un avilissement qui déshonore l'homme, c'est une tache « qui flétrit les grandes actions, et qui jette un nuage sur la « plus belle vie du monde ».[1]

Ex hac intrinseca pravitate luxuriae manifesto apparet quam graviter errent illi pseudo-mystici scriptores pagano-christiani, qui aliquod connubium somniant inter luxuriam et altiorem religionem a Spiritu Sancto suam perfectionem accepturam.[2] De qua schola, nonnihil in secunda Sectione huius tractatus dicemus.

Corollarium III. – Quum voluptas, qualem modo descripsimus, sit effectus et indicium amissi primaevi innocentis vigoris, qui generationis opus sancte continebat simul et

[1] *Sermon du vendredi de la Semaine Sainte.*

[2] Ad hunc errorem alludunt haec verba Leonis Bloy: « Les adorateurs du « Père me semblent dévolus aux péchés d'Orgueil, d'Envie, de Colère et de Paresse. « Ceux du Fils, aux péchés d'Avarice et de Gourmandise. Ceux du Saint-Esprit, au « seul péché de Luxure. C'est parmi les luxurieux que le Paraclet ramassera son « troupeau ». *

* *Le Mendiant ingrat,* p. 127. Sane in libris a Leone Bloy conscriptis non desunt paginae quae sincerum religionis amorem redolent, quin et ardentem catholicismi zelum. Sed haec bona tot falsis conceptibus, tot inverecundis imo impiis assertionibus auctor permiscet; tam acriter, prope anarchice, – contra egestatem quippe luctans, – in divites invehit; tam audaci libertate Ecclesiae ministros summosque rectores iudicat; pornographicos scriptores tam porcino stylo insequitur, ut eius scripta nullatenus commendari possint, nec Leo Bloy, – quod tamen incaute interdum factum est, – genuinis catholicismi apologistis adnumerari mereatur. Taceo superhumanam conscientiam sui, qua auctor, scribendi artis nullatenus expers, ab altissimo quaeque tractans, et omnia omnesque prope despiciens, perpaucos vix servavit amicos, plurimos autem sibi infensos reddidit, ex quo innata eius sarcastica eloquentia in effrenatam violentiam, ne dicam rabiem, laxatis habenis prorupit.

foecundabat, frenatio voluptatis non est deperditio, sed incrementum castae energiae a Deo hominibus inditae. Quot enim iuvenes eo gradu robur animi, quo corporis castitatem amittunt! Quot fortes conatus insidiis irruentis luxuriae devicti! [1] Inde blaspheme nimis exclamat Arthur Rimbaud:

Christ, ô Christ, éternel voleur des énergies,
Dieu qui pour deux mille ans vouas à ta pâleur
Cloués au sol, de honte et de céphalagies,
Ou renversés, les fronts des Femmes de douleurs [2]

Quid mirum? Erat quippe hic iuvenis, ingenii poëtici non communis, lascivo impioque paganismo imbutus, indeque Christi Crucis osor acerbus, quales et apud Italos, duce Carducci, [3] non unus repertus est.

Je regrette les temps de l'antique jeunesse,
Des satyres lascifs.....
Je crois en toi, je crois en toi, divine mère,
Aphrodite marine! Oh! la route est amère,
Depuis que l'autre Dieu nous attelle à sa croix. [4]

Hic reditus ad paganam sensualitatem, unam nec minimam causam habuit reviviscens ars pagana, iniuste, sub hoc saltem respectu, Renascentiae nomine decorata. Quare reditus ad spiritum artis dictae primitivae, adiuncta sane technica perfectione ab eadem aetate imprimis in re anatomica ma-

[1] Pulchre Dantes sub pardae imagine luxuriam sibi obviam depingit:

Una lonza leggera e presta molto
Che di pel maculato era coperta;
E non mi si partia d'innanzi al volto,
Anzi impediva tanto il mio cammino,
Ch'io fui per ritornar più volte vólto. *

Efficaciam huius imaginis bene illustrat D. Philippus Trucco in optimo libro cui titulus: *Gesù supremo benefattore degli uomini* (p. 206).

[2] *Les premières Communions* (Œuvres d'Arthur Rimbaud, p. 82. - Paris, *Mercure de France*). Pessima carmina Rimbaud sunt illa semper quibus, pruritu prope satanico, titulum praemittit specie pium, uti, praeter citatum, *Oraison du Soir*, *Les Sœurs de Charité*.

[3] Aiunt, Carducci, a matre satis pagane educatum, in fine vitae suae ad melius de christiana religione sentiendum, Dantis imprimis commercio, fuisse adductum.

[4] *Soleil et chair* (op. cit., *Appendice*). Haud dissimili mente apud Italos, ut Stecchetti aliosque taceam, Gabriel d'Annunzio celebri carmine votis appellavit tempus quo iucundus Veneris cultus redivivus moestum dolentis Virginis cultum supplantaret. Sed et iste paulatim a suo paganismo recedere fertur. Unde non censeam eum tam hostili mente ac pluribus visum est, eucharisticum symbolum nuper usurpasse

* *Inf.*, Canto I, *esordio*.

gis evoluta, longe felicius hoc nomen acciperet. Pulcherrime de hac arte scripsit celeber Anglus criticus Ioannes Ruskin: « Spiritus artis dictae gothicae fuit spiritus christia-« nus, ac proin fuit spiritus veritatis, quum naturae veritas sit « a Deo; libertatis, quum Deus omnes creaverit liberos capa-« cesque voluntatis et sensus personalis; dignitatis, quum « homo sit imago Dei; humilitatis, quum omne quod pos-« sumus et possidemus, sit donum Dei ». Unde mortificatio quae magna pars est vitae christianae, et christianam artem pervadat oportet.[1] De hac mortificatione artistica, quae sola artem a sensuali materiae cultu praeservat, valent verba Francisci Jammes: « Respecter la matière, l'aimer dans la « mesure où Dieu le veut, mesure qui dut trouver son par-« fait équilibre au commencement: tel est le devoir du chré-« tien, et telle est la permission qui lui est accordée. Et « que fait le Saint qui se flagelle dans sa cellule sinon de « châtier, non pas la matière, mais les imperfections de « celle-ci? Et par cela de la respecter et de l'aimer? ».[2]

ad exprimendam cordium unitatem bellico sacrificio sancitam. Fuit sane irreverentia sermonis, nec levis; blasphemum autem adfuisse intentum, vix credam.

Dolendum sane, hunc Arthurum Rimbaud, qui tam impia et tam lasciva cecinit, ob quaedam in praematuro vitae fine aenigmatice dicta, ab incautis dicam an consciis scriptoribus, quin et in ephemeridibus catholicae iuventuti dicatis, non excusari modo, sed et prope exaltari. *

[1] Hanc legem artis sacrae egregie illustravit pictor belga Josephus Janssens, ob genuinam operum suorum pietatem simul et technicam peritiam apud suos et exteros optime notus, in concione quam habuit in catholico congressu Mechlineensi anno 1890, - Cf. et concionem a nobis habitam in congressu eucharistico Bruxellensi anno 1902 cui titulus: *Principes d'art religieux,* et aliam in congressu archaeologico et historico Brugis anno 1902, cui titulus: *La voix de nos Primitifs.* De eodem argumento nuper egimus in ephemeridibus *Alma Roma* sub titulo: *De artis sacrae excellentia et indole* (anno 1915, fasc. 2 et 4).

[2] *Réflexion sur la matière, Feuilles dans le vent,* p. 253. Et tamen idem auctor, in aliis scriptis pagano sensualismo imbutis, hanc legem saepe nimis infrangit.

* Ultimam suorum scriptorum partem, cui titulus: *Une Saison en Enfer,* claudit sententia: « *il me sera loisible de posséder la vérité dans une âme et un corps* ». De qua sententia, quae non involvit forsan nisi quemdam subiectivae incarnationis sensum abusivum et valde damnabilem, haec audacia, imo scandalosa verba leguntur Roberti Vallery-Radot in *Revue des Jeunes* (25 Févr. 1917, n. 205): « *Il me sera loi-« sible* etc. avait entonné Arthur Rimbaud. Ces lyriques (alter est Paulus Claudel) « retrouvaient la formule qui brisait le divorce entre la Pensée et l'Action, l'Esprit « et la Matière; ils retrouvaient l'évidence de l'Incarnation qu'était venu rappeler « en vain Paray-le-Monial, en mois de Juin 1675, le Verbe fait chair à Marguerite-« Marie. ... L'apparition sous les noisetiers des Visitandines, comme elle est éclatante maintenant »! Haec et similia nonne sunt lugendae profanationes?

Corollarium IV. – Quum unio coniugalis sit a Deo, et nonnisi per peccatum admixta sit corruptela, imagines quae in Scripturis a nuptiis desumuntur ad spiritualem unionem exprimendam Deum inter et animam, Christum inter et Ecclesiam, derivantur ab istis nuptiis sanctissimis quas Deus in Paradiso condidit; ac proin sedulo semovendum est quidquid in statu lapsae naturae a prima illa nobilitate decidit. Quod maxime est prae mente tenendum in *Cantico Canticorum*.

Corollarium V. – Ex dictis in hac Quaestione collige rursus quam pulchre catholica doctrina medium servet. Ex una parte opus Creatoris agnoscit ut sanctum, nuptias in ipso statu lapso praedicat legitimas, imo a Christo ad sacramentalem dignitatem erectas; ex altera tamen parte omnia reiicit ut debellanda quae in vitiata natura hominem ad ima trahunt, pudoremque, quem Deus eidem per tegumenta medendo veluti sacravit, non modo non spernit, sed uti caste colendum fovet. Unde tam verecunda cautela nuptias tuetur, ut, licet acerrima libidinis inimica, quin et altioris virginitatis praeco et altrix, finem tamen coniugii sanctissimo zelo promoveat.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Competit homini ut multiplicatio generis per generationem fiat, quatenus natura intendit conservationem speciei per corporum, ex se mortalium, multiplicationem, et auctor naturae intendit per se multitudinem incorruptibilium animarum (art. 1).

2) Modum autem generationis ipsa natura ab initio demonstravit per sexuum discretionem; ita tamen, ut quodcumque in eiusdem usu post lapsum dedecet, in statu innocentiae omnimode remotum fuisset (art. 2).

Appendix.

De propagatione hominis quantum ad corpus.

(Quaestio XCIX).

Placet huic Quaestioni, ad modum appendicis, adnectere doctrinam quam S. Thomas in Q. XCIX evolvit, et quam, in praecedenti volumine omissam, ad hunc locum distulimus. Complet enim doctrinam in hac Quaestione expositam, quatenus sapientiam illustrat modi quo Creator propagandum genus humanum curavit.

Etenim ad hoc ut ex primis parentibus tot millia millium hominum per decursum saeculorum generari potuerint, non sufficit ille mirabilis vitalisque mechanismus, quo duo principia coeundo vitam transmittunt et naturam humanam eamdem in novis individuis multiplicant; oportet ut individuorum materia possit ita excrescere ut ex mole duorum in immensum augeatur, semper tamen ad humanam naturam pertinens, et ex hac materia aliquid possit esse vitalis transfusionis medium.

En ratio duplici quaesiti heic solvendi, primo de assimilatione per alimenta producta, dein de modo quo semen ab hac assimiliatione dependet.

I. Ut primum quaesitum bene circumscribatur, praemittendae sunt aliquae distinctiones.

1) Humana natura potest accipi duplici sensu: vel *a*) in communi, secundum speciem, vel *b*) secundum quod est in hoc vel illo individuo. Quando quaeritur: « utrum aliquid de « alimento convertatur in veritatem humanae naturae », hoc est altero sensu accipiendum. Quaeritur enim utrum alimentum a Petro vel Paulo sumptum, transeat in naturam, scilicet in carnem humanam vivam Petri et Pauli.

2) Imo ipsa caro in individuis potest duplici modo considerari, iuxta distinctionem Philosophi, a S. Thoma bene illustratam (resp. ad 2^{m}): scilicet *a*) secundum speciem, quatenus ab anima informatur, et sic non magis transit quam ipsa anima. Quae ratio est cur, etsi iuxta rei medicae peritos, omni septennio elementa humani corporis mutantur, nihilo-

minus manet corpus numero idem. *b*) Alio modo consideratur secundum materiam, quae, iuxta Philosophum, « advenit et transit », de quo modo hic directe quaeritur.

3) Nec praetermittendum est duplex alimentationis munus. Etenim tempore crescentiae est tum augmentativum, tum reparativum; expleto autem hoc tempore, est simpliciter reparativum (cf. resp. ad 5m).

4) Haec autem reparatio non est totalis, secus sola alimentatio sufficeret ad impediendam mortem. Quod explicant philosophi distinguendo inter humidum radicale, quod reparari nequit, - reparabatur autem modo quo inquirere conati sumus per lignum vitae; - et humidum nutrimentale, ad cuius reparationem tendit nutritio (cf. resp. ad 3m).

5) In assimilatione igitur, qualis datur in animalibus, duo conveniunt: ex una parte manet identitas subiecti, ita tamen ut, expleto augmenti stadio, virtus paulatim decrescat usque ad finalem dissolutionem. Prius solent illustrare per exemplum aquae paulatim adiectae vino. Vinum attrahit aquam in suam substantiam, ita tamen ut vigor eius minuatur usque ad gradum quo vini formam amittit (cf. resp. ad 4m). Alterum per distinctionem inter ignem qui generatur erumpens; et ignem qui, novis adiectis alimentis, nutritur et idem perdurat (cf. *Corp.* in fine et resp. ad 3m).

6) His veluti praemissis, iam facilis evadit quaesiti solutio. Omnino tenendum est, aliquid [1] de alimento converti in veritatem humanae naturae individuè sumptae. Tanta scilicet est vis animae corpus informantis, ut ad suam formam per assimilationem trahat quidquid in sumpto alimento proprietatem habet ut, amissa propria forma, transeat in formam carnis humanae. Hic processus habetur non solum in homine, sed et in omnibus animantibus, imo et in plantis. Est enim processus pertinens ad vitam vegetativam, uti in praecedenti volumine ostendimus. Vita est processus proprius viventibus.

Et sane, nisi haec assimilatio admittatur, deberet admitti, augmentum quantitatis fieri per creationem: nam per rare-

[1] Non totum. Quo melius autem est alimentum, eo maior pars assimilatur. Reliquum ab ipsa natura via naturali eiicitur. Hoc sensu accipienda est sententia Domini (MATTH., xv). Cf. resp. ad 1.

factionem materiae id fieri, absonum est. Iam vero praeter rarefactionem et assimilationem, non remanet nisi creatio. Quo igitur spectarent vires naturales per omnia viventia sparsae, si Deus semper miraculose intervenire deberet? Optime id contrahit Philosophus dicendo, alimentum nutrire in quantum est potentia caro.

7) Depellendae sunt ergo, uti prorsus insufficientes, duae sententiae quas S. Thomas heic in *Corpore* confutat: quarum prima contendit « quod forma humana non potest salvari nisi « in materia quadam signata, quae scilicet a principio fuit « tali forma formata in primo homine »; quae « in seipsa « multiplicatur », ita ut nutrimentum acceptum non transeat, sed sit « quoddam fomentum naturae, id est ut resistat actioni « caloris naturalis, ne consumat humidum radicale; sicut « plumbum vel stannum adiungitur argento, ne consumetur « per ignem ».

Hanc sententiam Angelicus quadruplici ratione depellit. *a*) Quidquid potest propriam materiam deserere, potest et in suam formam alia accipere. Ergo nulla est ratio cur vera assimilatio alimenti in veritatem humanae naturae negetur. *b*) Materia non invenitur tota nisi in individuis unicis in sua specie.[1] *c*) Exclusa assimilatione, non potest multiplicatio explicari nisi aut per rarefactionem, quae repugnat, aut per additionem, quae creationem involvit. *d*) Idem valeret pro aliis animalibus, imo et pro plantis; quare inutiles essent vires naturales (cf. dicta n. 6, in fine).

8) Nec sufficit sententia altera minus radicalis, quae differt a prima quoad duo: *a*) admittit, fieri posse novam formam, sed solum in generatione seu formatione novi individui; *b*) admittit, quantitatem huic quantitati initiali accedentem aliqualiter pertinere ad humanae naturae veritatem, at non nisi secundario; nam non nisi primario ad eam pertinet quantitas initialis.

Hanc sententiam S. Thomas triplici argumento reiicit. *a*) Negligit virtutem nutritivam, quae propria est viventium et in assimilatione consistit. *b*) Illogice ponit in semine vir-

[1] Haec ratio negligi potest, quum procedat a falsa hypothesi Angelici tempore recepta de incorruptibilitate corporum caelestium.

tutem maiorem virtute ipsius animae. *c*) Non attendit in alimento nisi augmentum, et negligit restaurationem, quae exigit conversionem in veritatem eiusdem individuae naturae humanae.

Quare hic processus conversivus omnino admittendus est.[1]

Heic autem duo monerè iuvat: 1) hanc doctrinam Aristotelis et Sancti Thomae esse recentioribus medicae artis dictaminibus conformem; 2) hanc assimilationem facilius intelligi in systemate scholastico, quod in praecedenti volumine exposuimus, de substantiali unitate compositi humani. Et sane quo magis anima humana consideratur tamquam unica forma continens in se eminenter virtutem formarum inferiorum, eo facilius concipitur haec virtus in veritatem humanae carnis elementa nutrimenti attrahens et alia elementa deponens, vi huius perpetui motus, qui tamen nihil nocet permanentiae eiusdem formaliter compositi.[2]

*
* *

II. Doctrina hucusque exposita iam continet solutionem secundi quaesiti: « Utrum semen sit de superfluo alimenti ». Ad cuius quaesiti meliorem intelligentiam iuvat praemittere tria.

1) Substantia generantis potest intelligi dupliciter: vel *a*) in genere, caro animata virtute generantis; vel *b*) specifice, caro uti iam ad hanc vel illam corporis partem pertinens (resp. ad 1[m]).

2) Quum alimentum transeat in veritatem humanae naturae, generatio fit per aliquid quod transit in veritatem humanae naturae; secus, quomodo posset per eam humana natura communicari? Iam vero ista assimilatio potest duplici modo aut veluti gradu intelligi: aut *a*) ita ut alimentum iam trans-

[1] Patet ex dictis, a vera deficere sententia Hugonem Victorinum, quando scribit: « Fomentum habet (particula per nativitatem traducta) a cibis; sed non trans- « eunt cibi in ipsam hominis substantiam ». Quod inde probat quod « puer qui « moritur die qua nascitur, in illa natura resurget quam habiturus erat si viveret « usque ad plenam aetatem, nulla aegritudine vel vitio corporis impediente ». Pergens, ait: « Nec tamen negamus quia cibi et in humores et in carnem transeunt ».*

[2] Quantopere haec consideratio iuvet illustrando dogmati resurrectionis corporum, alibi data opera ostendemus.

* *Summa Sent.*, trad. III, c. 10. – *P. L.*, t. CLXXVI, col. 106.

ierit in veritatem huius vel illius partis corporis, puta femoris aut brachii; aut *b*) ita ut ad nullam partem pertineat, sed sit veluti in potentia ad totum, utpote alimenti residuum. (*In Corp.*). Sed et heic est addenda subdistinctio. α) Aliud residuum alimenti qualecumque, β) aliud residuum alimenti quod ab ipsa natura ad generationis opus praeparatur. De tali residuo hic quaeritur.

3) Ubi assimilatio facta est, iam parum refert qualis fuerit terminus a quo alimenti, utrum bos vel porcus, quum assimilatio praecise in hoc consistat quod alimentum iam principio formali humano informetur (Resp. ad 2m).

His positis, iam fluit solutio. Semen, quo agente transfunditur humana natura per generationem, non est de substantia uti ad hoc vel illud corporis membrum pertinente; sed de substantia uti iam assimilata, at nondum ad unam alteramve partem pertinente. Quare iure vocatur alimenti residuum,[1] et sicut alimentum est caro in potentia, ita in ordine ad transfusionem est humana natura in potentia, quatenus nondum[2] habet determinatam affinitatem ad unam alteramve corporis partem (*In Corp.*).

Hoc autem verum est non solum de parte quae in generatione spectat ad agens masculinum, quam Augustinus vocat rationem seminalem, sed et pariter de parte quae spectat ad agens femininum,[3] - utrimque enim habetur aliquid activi, uti alibi vidimus,[4] – quam idem vocat corpulentam substantiam (Resp. ad 4m).

[1] Eo scilicet sensu in subdistinctione β) exposito.

[2] Quidquid sit de parte quae utrique sexui competit in ipso actu foecundationis, certum est, partem virí esse transeuntem, partem autem mulieris protrahi usque ad prolis editionem. Bene Scheeben: « Pater ponit modo actum cui Deus suum con« cursum adnectit; mater autem, fructum foecundans, exercet vivificum influxum « ipsius Dei. Sinus eius est templum in quo Deus propriam suam imaginem creat. « Unde Ecclesiae benedictio nuptialis principalius respicit matrem » (op. cit.).

[3] Hinc, iuxta theoriam hoc tempore receptam, S. Thomas comparationem instituit. Quemadmodum in via generationis primo generatur animal, dein tale animal, ita in assimilatione, prima fit assimilatio communis, dein assimilatio ad hanc vel illam corporis partem.

[4] Ibi etiam monuimus, in hac veriori sententia facilius concipi virgineam maternitatem. Placet hic afferre textum, etsi longiorem, laudati Scheeben: « Hinc enim « plenius et profundius concipitur: 1) perfecta unitas naturae in utroque sexu, qua« tenus femina ad ipsam primam formationem foetus non mere passive, sed active « seu vere generando concurrit; 2) unitas carnis inter coniuges ut unitas *substan-*

Uti recte monet S. Thomas, semen esse de residuo alimenti, corroboratur experientia, quae docet animalia grandia quae plus alimenti indigent ut molem suam nutriant, parci realiter esse seminis; quod et in hominibus pinguibus prae aliis verum esse solet (*In Corp.*).

Corollarium I. – Quum doctrina in hac quaestione exposita procedat iuxta generationem qualem a Deo humanae naturae est instituta, quidquid superius dictum est de generatione, qualis in statu innocentiae fuisset, et heic valorem suum servat.[1] Imo quum in hoc statu corpora fuissent optime disposita, nulla ibi adfuisset in ordine ad generationem nec impotentia nec sterilitas.

Corollarium II. – Ex doctrina huius articuli consequens solet ab asceticis scriptoribus deduci. Quum semen sit de superfluo alimenti, sicuti qui epulis indulget, fatali se exponit libidinis igni, ita qui parco utitur victu, facilius servat conti-

« *tialis eiusdem carnis* in foetu utrimque veluti fructu arborum prodeunte, id est « tum materialiter deprompto tum formaliter producto; ... 3) possibilitas genera- « tionis virginalis *servata vi et ratione verae generationis,* quatenus scilicet germen « maternum aut simul iam natura ita comparatum est, ut non egeat determinatione « et complemento extrinsecus adveniente (ut in generatione apum melliflarum fit « in regina apum, * quae idcirco semper habebatur symbolum Virginis Deiparae), ** « vel egeat quadam vi extrinsecus determinativa et completiva, ea vero non modo « naturali per semen materiale extrinsecus adveniens, sed supernaturaliter per appli- « cationem, obumbrationem vel inspirationem virtutis divinae seu Spiritus Sancti « exerceatur. In altera enim sententia, ut disputationes antiquorum theologorum « ostendunt, nonnisi difficulter ostenditur quomodo beata Virgo non sit utcumque « mater, sed vere *genitrix,* et praesertim quomodo proto-evangelium loquatur de « Christo ut semine mulieris; *** semen enim dicitur alicuius non simpliciter, ut *in* « aliquo, vel ex aliquo materiam praebente, sed ut *ab* ipso ex *se ipso* formatum. ****, Adde, uti ibi monuimus, in hac sententia longe facilius explicari quomodo Christus sit filius hominis eiusdem nobiscum humanae naturae.

[1] Cf. inferius dicenda in appendice de mente S. Bonaventurae.

* Hanc imaginationem acutiores indagationes falsam esse ostenderunt; foecundatur enim coitu cum mari.

** Imo et Ecclesia, quae ab Augustino invocatur « sine corruptione foecunda, virgo mater » (*Contra Faustum,* l. xv, c. 3).

*** Adverte non nisi improprie vocari semen mulieris fluidam substantiam quae in coitu excernitur. Elementum vitale quod generationi confert, continetur in semine virili et in muliebri ovula, quae unice semen mulieris vocari meretur.

**** Op. cit., n. 421. Textus latinus ipsius Scheeben est, sicuti verba linea subsignata.

nentiam, iuxta illud hymni liturgici: «Carnis terat superbiam, potus cibique parcitas».[1]

§ 2. – De conditione prolis generandae.

Iam accedamus cum S. Thoma ad analysim conditionis prolis generandae. Haec autem conditio considerari debet tum quantum ad corpus, tum quantum ad animam. Hinc distributio huius argumenti. Inquisitio conditionis prolis generandae quantum ad corpus absolvetur unica Quaestione; inquisitio autem quantum ad animam duplici Quaestione: in prima quaeretur de prolis generandae conditione quoad dona supernaturalia, scilicet quantum ad iustitiam; in altera vero, quoad dotes praeternaturales, quantum ad scientiam.

Nec obiicias, per has duas ultimas Quaestiones nos remitti in argumenta quae respiciunt animam, quum in toto hoc Membro agatur de conditione primi hominis quoad corpus. Sed quum per corporis tramitem proles generanda ab Adamo derivetur, quidquid in hac prole consideratur, sive quoad corpus, sive quoad animam, potest ad hanc partem distributionis reduci.

A) De conditione prolis generandae quantum ad corpus.

(Quaestio XCIX).

Praenotamen. – Duplici articulo haec Quaestio resolvitur. Prior respicit evolutionem mox genitae prolis, alter sexualem eius discretionem.

Criterium generale solvendis hisce argumentis praemittendum est, et quidem gemino elemento veluti conflatum. Ex una enim parte consulendi sunt revelationis fontes, quibus describitur originalis conditio generis humani; ex altera vero consideranda est ipsa natura humana a Deo auctore cum suis intimis condita legibus, quae vim suam servant, nisi contrarium ex revelato criterio tenendum appareat.

[1] Ad *Primam*. Quam bene vocetur carnis *superbia*, ex dictis superius de dono originalis rectitudinis patet.

Porro in evolutione huius argumenti ab utroque excessu cavebimus, tum nimiae brevitatis, ne despicere videamur adspectus de quibus praeclari scriptores olim magna reverentia egerunt; tum nimis minutae curiositatis, ne offendamus in Pauli consilium: « Sapere ad sobrietatem ».[1]

ARTICULUS I.

UTRUM PUERI IN STATU INNOCENTIAE MOX NATI VIRTUTEM PERFECTAM HABUISSENT AD MOTUM MEMBRORUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iuxta criterium in praenotamine descriptum, eatenus tenendum erit pueros vixdum editos in statu innocentiae ab initio habuisse perfectam virtutem ad motum membrorum, quatenus constabit vel *a*) id contineri in revelationis documentis, vel *b*) id esse consequens perfectionis naturae integrae.

2) Iam vero primum sane directe non constat. Nihil enim hac de re directe nos docent Scripturae. Nisi forte quis contendat, ex poena in Adam inflicta aliquid indirecte erui posse circa conditionem conceptus et partus in statu innocentiae, ac proin circa conditionem prolis conceptae et editae. Ad summum autem posset dici, tempus gestationis futurum fuisse brevius, quum ex eiusdem diuturnitate « aerumnae » matris « multiplicentur »; et per consequens edita proles fuisset velocius evoluta.

3) De altero autem duplex potest moveri quaestio: *a*) Utrum interfuisset temporis spatium inter prolis editionem et perfectam membrorum evolutionem; *b*) utrum hoc spatium fuisset idem ac nunc est in statu naturae lapsae.

4) Putamus, argumenta a S. Thoma in prima parte *Corporis* adducta solum valere ad probandum primum; pronique sumus in sententiam quae affirmat, hac in re, sicuti in diuturnitate vitae, et aliis huiusmodi, naturam, etsi eamdem quoad essentialia, posse se habere plus minusve perfecte; ac proin imperfectioni status lapsi partim saltem esse adscribendum tam ingens spatium temporis nunc requisitum ut

[1] I Rom. XII, 3.

infans in puerum excrescat, plenumque membrorum ac rationis usum acquirat. Ipse S. Thomas in secunda parte *Corporis* plus in infantibus ponit in statu innocentiae quam in statu lapso. Quod « plus » etiam in velociorem totius corporis expeditionem redundare videtur.

5) Si iam quaestionem restringimus ad immediatam membrorum evolutionem sufficientem ut infantes actus aetati tenerrimae proprios per se, obedientibus membris, agere possint, videtur indirecte hoc contineri in plenitudine rectitudinis in qua homo, teste Scriptura, ab initio conditus est. Non tamen credimus, argumentum inde deductum omnino esse stringens; non quidem ex defectu potentiae, sed ex nexu forte minus necessario inter auctoritatem allatam et consequens inde deductum. Est nihilominus maxime suasivum, ac proin tenenda conclusio.

6) Nec urgeas, ex ista rectitudine posse deduci usum membrorum ante editionem. Neganda est haec instantia. Ante editionem infans aliquid unum censetur cum matre ipsum gestante, a qua recipit, quin agere debeat, quidquid virium augmento inservit; dum, modo editum, iam per se agere debet, ut perfecta adsit ordinatio illa de qua Scriptura loquitur.

7) Caeterum in hoc argumento prae oculis tenendum est, – quod in praecedente volumine fusius exposuimus, – animalia habere instinctum velocius evolutum, quia non reguntur principio altiore; hominem vero prae instinctu esse ornatum ratione. Quid mirum proin si in exordio, organis nondum sat evolutis ut valida possint esse instrumenta rationis, homo appareat in conditione inferiori prae conditione vix editi bruti? Sane quo excellentius est opus complendum, eo et longiori tempore indigere solet ut perficiatur (Cf. resp. ad 2^{m}).

II. **Ad Textum.** – *1^{a} Obi.* Non distinguit inter aliquam virtutem et virtutem plenam. Prior exigitur ex perfectione status; altera non.

2^{a} Obi. Non attendit ad maiorem perfectionem complexionis corporis humani, quae, caeteris paribus, maius tempus requirit. Dicimus: *caeteris paribus,* quia maius opus non requirit maius tempus, si virtus maior illud perficiat. Quam

virtutem longe maiorem futuram fuisse in statu innocentiae quam nunc est, propter rationes supra allatas credimus.

3ª Obi. Confundit terminum a quo cum termino ad quem. Terminus a quo infantiae est conceptus et partus, qui cum statu innocentiae non pugnat; terminus ad quem senectutis est mors, quae ab hoc statu remota fuisset.

Sed contra est. Cf. argumentum supra expositum, ubi agebatur de passionibus et passibilitate. Idem processus hic recurrit.

In Corpore. Argumentum S. Thomae triplici parte constat. *In prima* statuitur criterium solutionis, duplici elemento constans: analysi naturae et auctoritate revelata. – *In secunda parte* consideratur primum elementum, et ex eo solvitur quaestio in sensu simpliciter negativo (cf. modo dicta n. 3, et in *Obi. 2ª*). – *In tertia parte* consideratur alterum elementum, et ex eo solutio negativa temperatur per affirmationem usus membrorum non quidem perfecti, sed requisiti ad agendos actus correspondentes aetati.

Reliqua patent.

Si doctrinam hic a S. Thoma traditam confers cum solutione quam S. Doctor eiusdem quaesiti proponit in Commentario Magistri,[1] nonnihil discriminis invenies. Ibi enim S. Doctor sistit in secunda parte, quin esprimat moderamen heic in tertia parte contentum. In *Corpore* ita ait: « Homo « ante peccatum etsi vitae termino caruisset, tamen habuisset « vitae principium per nativitatem. Unde hos defectus qui « ordinantur ad vitae terminum, ut aegritudines et defectus « seniles non habuisset; *defectus autem illos qui principium « originis consequuntur, nihil prohibet eum habuisse,* ut Ma- « gister in littera dicit; nec hoc fuisset ei in poenam, quia « ex hoc nullum incommodum sentiret, divina providentia « eum gubernante ».[2]

Et in resp. ad 4m, urget hanc doctrinam, distinctione facta inter defectus tenerae aetatis. « Infirmitas carnis nunc « in pueris duo complectitur: scilicet defectum usus mem- « brorum; et hoc congruit naturali infirmitati mentis, in quan-

[1] II, Dist. XX, q. II, a. 1.

[2] Lombardus ipse, in medio, argumentum non solvit, sed rem in dubio relinquit.

« tum adhuc non pervenit ad ultimum complementum scien-
« tiae vel virtutis, quod etiam in primo statu esse potuit;
« complectitur etiam quandam poenam in esurie et fletu;
« et talis infirmitas congruit infirmitati culpae ».

Igiturne S. Thomas sibi contradixisse dicendus est? Nequaquam; sed in *Summa* complevit doctrinam hic positam, quatenus distinguit inter actus requisitos ad perfectum infantiae statum et alios; pro primis exigit usum membrorum, pro aliis non. Et revera, quomodo tolles esuriem et fletus in infantili aetate lactentium, nisi sufficienter membra movere possint ad ubera matris quaerenda? Conclusio sit tenendam esse doctrinam in *Summa* a S. Doctore traditam, sin minus uti omnino demonstratam, saltem uti maxime probabilem, dignitatique primi status summe congruam.

Appendix
de mente S. Augustini et Hugonis Victorini.

I. Placet heic afferre pulchram paginam in qua S. Augustinus evolvit quaestionis adspectum quem superius descripsimus: « Movet, si primi illi homines non peccassent, utrum
« tales essent filios habituri, qui nec lingua, nec manibus, nec
« pedibus uterentur. Nam propter uteri capacitatem fortasse
« necesse fuerit parvulos nasci. Quamvis, cum exigua sit
« pars corporis costa, non tamen propter hoc Deus parvulam
« viro coniugem fecit, quam aedificavit in mulierem; unde
« et eius filios poterat omnipotentia Conditoris mox editos
« grandes protinus facere. Sed, ut hoc omittam, poterat
« certe, quod multis etiam pecoribus praestitit, quorum pulli,
« quamvis sint parvuli, neque accedentibus corporis incre-
« mentis etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam
« non habent, tamen etiam minutissimi et currunt, et matres
« agnoscunt, nec sugendis uberibus cura et ope admoventur
« aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita
« mirabili facilitate noverunt. Contra homini nato nec ad
« incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum
« habiles, et, nisi ope nutrientis admotis labiis papillae uberis
« ingerantur, nec ubi sint sentiunt, et iuxta se iacentibus

« mammis, magis possunt esurientes flere quam sugere ». Concludit Augustinus: « Proinde infirmitati mentis congruit « haec omnino infirmitas corporis, nec fuisset caro Christi « in similitudine carnis peccati, nisi caro esset ista peccati, « cuius pondere rationalis anima sic gravatur ».[1]

II. Hugo Victorinus de praesenti argumento sententiam exprimit magis conformem modo loquendi S. Thomae. Integrum textum afferre non pigeat: « Si vero quaeritur quales « homo generare filios debuisset, si non peccasset, utrum « videlicet quemadmodum primus homo secundum staturam « corporis et secundum sensum mentis perfectus mox con- « ditus est, ita quoque qui ex eo nascituri fuissent, tam cor- « pore quam sensu, in ipso mox nativitatis suae exordio per- « fecti esse deberent. Nos secundum existimationem nostram « id magis approbamus, ut primus quidem homo, sicut dixi- « mus, et corpore et sensu perfectus mox factus fuisse cre- « datur; illos vero qui ex ipso nascerentur eadem lege qua « et nunc nativitatem humanam ordinatam cernimus parvos « nascituros; ac deinde per intervalla temporum, tam in « sensu animi, quam in statura corporali incrementa acce- « pturos ». Et arguit ex lege universali: « Sic enim in omni

[1] *De peccat. merit. et remiss.*, l. I, c. 37, 38.

Eodem sensu Illmus Ullathorne arguit ad probandum hominis collapsum ab originali dignitate, adducta prius parabola Ezechielis, in qua status miseriae: « Proiecta super faciem terrae in abiectione animae tuae, in die qua nata es », decoris statui opponitur: « quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te ».* Quae pius et profundus theologus ita commentatur: « In the opening picture of this « divine parable every Christian may contemplate his own portrait as he first ap- « peared in this world. Fear precedes his birth. Pain and distress attended his com- « ing to the Light. His first infant cries proclaimed his sufferings. Clothed in the « bload of the father Adam, his trembling down of life brings with it such a state « of want, and such a cry of helplessness, that the heart of every beholder is « moved to compassion. The poor little body is in want of everything, and can « provide for nothing. The tender soul, fresh from its Creator's hand, is immersed « in that fragile body, and is become an object under the mortal sensibilities that « quiver in the feeble earthly frame, still ignorant of her eternal destiny. Can this « be the original state in which God created man? Can this represent the condi- « tion in which God originally designed that man should come into the world? « Assuredly not, for everything about the new-born child proclaims its descent « from an ancestor who has fallen from good to evils, from an ancestor whose blood « is attained because of treason against the Sovereign of the universe ». **

* Ezech., XVI, 5, 14. Lege integrum hunc locum.

** Op. cit., *Lect.* XIV. *From the beginning to the end of man*, p. 374.

« genere rerum aliam legem primam conditionem habuisse « cernimus, atque aliam subsequentem propagationem. Prima « enim omnia perfecta sunt; caetera autem omnia quae ex « ipsis oriuntur et post ipsa subsequuntur, nisi per inter- « valla temporum crescendo ad perfectionem pervenire non « possunt. Hoc in arboribus et plantis et germinibus cun- « ctis; hoc in bestiis et cunctis viventibus cernimus: quia a « modico universa incipiunt, ac deinde paulatim per incre- « menta ordinem ad perfectionem evadunt ». Quum igitur haec sit lex universalis, potest absque ullo dedecore et in innocenti homine servari. « Quocirca nequaquam pro vitio « humanae naturae reputandum est si in principio suo a « perfecto inchoata, per subsequentem propagationem a mo- « dico ad maiora et meliora proficiat ».[1] Quo posito quoad corporalem evolutionem, ostendit nihil inconveniens sequi si idem principium extendatur ad vitam sensus et mentis. De quo argumenti adspectu sermo infra redibit.

Concordant sane Augustinus et Hugo quoad principium fundamentale. Augustinus autem penitius considerat conditionem omnino debilem quo pueruli nascuntur, et investigat utrum in conditione innocenti haec parvulorum evolutio non fuisset velocior. De quo quaestionis adspectu Victorinus tacet.

ARTICULUS II.

UTRUM IN STATU PRIMO FEMINAE NATAE FUISSENT.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Praesens quaesitum, quod primo intuito tam absonum videtur ut risum prope excitet, non moveretur, nisi, iuxta communem olim peritorum rerum naturalium sententiam, natura per prius intenderet maris conceptum, uti maioris vigoris et foecunditatis opus. Unde, quum in primo statu utrimque, et in patre et in matre, vigor fuisset optimus, videtur quod non nati essent nisi mares. Quo magis autem iuxta recentiores indagationes in generationis opere et feminae pars positiva tribuitur, eo minus remanet huic quaesito fundamentum.

[1] *De Sacram.*, l. I, c. 26. - *P. L.*, LXXVI, col. 278 sq.

2) Optime S. Bonaventura [1] dicit, hanc quaestionem facillime solvi, si consideretur terminus *ad quem*, difficulter autem si consideretur terminus *a quo*. Terminus *ad quem* est ipsa multiplicatio humanae familiae, ad quam non sufficit una generatio, ac proin generari debent capaces vice sua generandi. Terminus *a quo* ipsa est causa ex qua producitur conceptus unius vel alterius sexus. Quam causam possumus considerare directe vel indirecte.

3) *Indirecte,* quum effectus sit in intentione naturae, iam oportet ut ipsa causa possit in natura eaque optima inveniri. Ad quod sufficit, discretionem sexuum habere in seipsa aliquam rationem boni, in quod natura ferri possit. Quod bonum iam in ipsa varietate reperitur.

4) *Directe* autem nequit admitti causa quae ex carentia virtutis imperfectionem ponat in agente; sed debet esse causa quae nec intrinsece nec extrinsece ullam talem imperfectionem involvat: *a*) extrinsece, uti influxus temperiei astrorum, aliaeque causae similes; *b*) intrinsece, imaginatio et voluntas. Quae sane voluntas in statu innocentiae fuisset magis potens ad effectum intentum ac est in statu praesenti, propter perfectam totius hominis rectitudinem.

5) Quare nulla, nostro iudicio, adesset imperfectio in agente si consideraretur generatio in hoc statu ita disposita, ut primus conceptus esset maris, utpote magis directe a natura intentus, alter feminae, utpote minus directe intentus, sed tamen post maris conceptum intentus magis, quia ex utroque veluti una vis naturae plene hauritur; quae vis rursus excitata, iterum post marem ederet et feminam. Hoc modo non solum ratio daretur editionis feminae in statu innocentiae; sed et numerus aequalis utriusque sexus hominum facili via explicaretur. Quem numerum saltem ut approximative tenendum docent passim Scholastici, quin inquirant de alio modo illum obtinendi, nisi per parentum voluntatem. Hanc voluntatem admittimus, adiungendo ei secundum hanc interpretationem fundamentum in ipsa natura.[2]

[1] II Dist. xx, a. 1, q. vi.

[2] Quid iam, si quis tantam futuram fuisse generationis virtutem in statu innocentiae teneret, ut gemello conceptu mas et femina simul ederentur? Cf. textum S. Bonaventurae in proxima appendice adducendum.

II. Ad Textum. – *1ª Obi.* Non attendit ad dicta n. 3.

2ª Obi. Negligit rationes allatas n. 4, *a*) et *b*).

3ª Obi. Negligit dicta n. 2 et n. 5.

Sed contra est. Procedit iuxta terminum *ad quem.*

In Corpore. Procedit iuxta rationem indirectam in termino *a quo.* Completur per rationes directas expositas in resp. ad 2.m

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum in statu naturae innocentis plenissima dependentia corporis a voluntate adfuerit, sequitur quod, praeter legem naturae sibi relictae, infantes modo editi habuissent membrorum usum quem illa aetas requirit (a. 1).

2) Pariter quum generatio feminarum ad multiplicationem generis humani omnino requiratur, in statu naturae innocentis feminae ac mares, aequali prope numero, generati fuissent (a. 2).

Appendix.

De doctrina S. Bonaventurae.

De argumento utriusque Quaestionis XCVIII et XCIX S. Bonaventura subtiliter et ingeniose discurrit.

1) Primo circa *factum* quaerit « utrum in statu innocen-« tiae fuisset sexuum commixtio ». Cui quaesito sine ulla haesitatione respondet: « In statu innocentiae absque dubio « homo haberet generari ex homine, et hoc attestatur aucto-« ritate Scripturae et iudicio rationis notae ».

Ex *Scripturis* adducit duplex argumentum: iussionem Dei « Crescite et multiplicamini », et declarationem de muliere in viri adiutorium facta.

b) Ex *ratione* ita eleganter arguit: « Rationi etiam rectae « hoc consonat, quae dicit, potentiam generandi spectare ad « completionem naturae, usum vero generationis ad com-« plementum et perfectionem civitatis supernae. Et quia in « statu innocentiae natura perfectior erat quam in statu viae, « et si homo stetisset, superna civitas suorum civium nume-« rositate nequaquam frustrata esset, ponendum est quod

« homo in statu innocentiae generare potuit et genuisset. « Et quia nec vir per se, nec mulier per se suffecisset ad « generandum, ideo per commixtionem fieret coniunctio « unius ad alterum, ut mutuum ibi praeberent auxilium « in procreatione prolis ad multiplicandum genus huma- « num ». [1]

Insistit S. Bonaventura rationi deductae ex multiplicando electorum numero, « quam ignoravit Philosophus ». Quare generatio humana non solum tradit in perpetuanda corruptibilia. Hanc autem multiplicationem « sic disposuit facere « successive propter congruentiam multiplicem: tum vide- « licet propter divinae gloriae manifestationem; tum etiam « propter hominum maiorem coniunctionem, ut magis ad « invicem se diligerent; tum etiam propter universi deco- « rem et perfectionem, quae non solummodo attenditur « secundum esse permanens, immo etiam secundum esse « decurrens; decursus autem in rebus irrationabilibus debet « esse secundum ordinem et exigentiam ad res rationales « propter quas factae sunt ». [2]

2) Iam *modum* huius commixtionis investigans S. Doctor quaerit, utrum fuisset per seminum decisionem. En quomodo utrimque adductis rationibus quaesitum solvit: « Cum gene- « ratio prolis quantum est de ordine et potestate naturae, « habeat fieri per coniunctionem et commixtionem duorum « sexuum in hominibus, qui respectu prolis se habent per « modum materialis et efficientis, ita quod ratio materialis « plus residet penes mulierem, et efficientis sive activi plus « residet penes virum, [3] necesse est ad generationem aliquas « particulas tam a muliere quam a viro decidi in quibus « esset virtus et ratio seminalis respectu corporis propa- « gandi. Quia igitur hic est ordo naturae non solummodo « lapsae, sed etiam institutae, ideo dicendum est quod in « statu innocentiae et vir et mulier per decisionem semi- « num generassent ». [4] Unde superius ex ipsa viri et mulieris structura quartum argumentum adduxerat.

[1] II Dist. XX, art. unic., q. 1.
[2] Ibid. resp. ad 3m.
[3] Quam felix sit haec locutio « plus », ex dictis superius est manifestum.
[4] Ibid., q. 2.

Ad solvendam difficultatem ex seminis superfluitate motam, S. Bonaventura distinguit inter superfluitatem residuitatis et impuritatis. « Superfluitas residuitatis est in semine « et haec superfluitas necessitatem non excludit, imo idem « quod est necessarium, est superfluum, sed necessarium « speciei, superfluum individuo; necessarium virtuti generativae, sed superfluum nutritivae; et haec superfluitas non « repugnat bonitati et completioni naturae, quia non sonat « in vitium, sed in complementum ». [1]

3) Ulterius iam *modi modum* investigat, « utrum in emissione seminis in statu innocentiae fuisset delectationis intensio ». Quod sat subtile quaesitum solvit modo parumper diverso a solutione superius a S. Thoma accepta. Placet ex integro afferre verba S. Doctoris:

« Intelligendum est, hic duplicem esse modum dicendi. « Quidam enim dicere valuerunt, quod tanta vel maior « erat delectatio tunc quam nunc; et tamen non erat immoderata; tanta erat propter naturalis virtutis perfectionem, « immoderata non erat propter inferiorum virtutum subiectionem. Ratio enim dominabatur illi delectationi et eam « deferebat in suum finem; et ideo non absorbebatur, nec « erat ibi repugnantia ».

Sed haec sententia Seraphico minus placet. « Est et alius « modus dicendi, qui magis concordat verbis Augustini et « probabilitati rationis, scilicet quod in decisione seminum « et commixtione sexuum tempore naturae institutae aliqua « fuisset delectatio, moderata tamen et mensurata, secundum quod exigebat hominis rectitudo, et secundum quod « eam volebat temperare hominis ratio, et ideo non erat « tanta, quanta est modo ».

Quod sequentibus verbis pulchre describit: « Nunc enim, « quia virtus illa maxime exivit rationis imperium, dum « ratio amisit originalis iustitiae vinculum ut retinaculum, « per quod imperabat viribus inferioribus; ideo laxatis sibi

[1] Ibid. Pariter distinguit in superfluitate impuritatis, inter superfluitatem ex debilitate virtutis contentivae et conversivae, sicuti sudor et rheuma, quae in statu perfecto non adfuissent, et ex nutrimenti qualitate et nutriti puritate, quae adfuisset, sicut « satis indicant vasa et intestina et foramina, quae sunt homini a sua « prima conditione naturaliter deputata » (Ibid.).

« habenis, toto impetu et conatu se praecipitat in delecta-
« bile sibi oblatum, non propter intentionem virtutis moven-
« tis, sed propter defectum virtutis retardantis. Unde, sicut
« equus lascivus, rupto freno, velocius currit et impetuosius,
« quam cum infrenatur et detinetur a suo sessore, licet non
« habeat maiorem virtutem; sic et in proposito intelligen-
« dum est se habere ». Et corroborat suam explicationem per auctoritatem S. Augustini: « Et hoc est quod dicit Augu-
« stinus *De Civitate Dei*:[1] Nuptiae illae dignae felicitate para-
« disi, si peccatum non fuisset, et diligendam prolem gigne-
« rent, et pudendam libidinem non haberent ».

Claudit S. Doctor: « Et ideo concedendae sunt rationes
« ostendentes, quod non esset tunc tanta delectationis in-
« tentio, quanta est nunc, cum modo tanta sit, ut modum
« et ordinem debitum non observet ».[2]

Nescio utrum verba S. Augustini heic allata efficacia sint ad infirmandam sententiam primo loco expressam. Confirmant utique nullam ibi adfuisse delectationem immoderatam; sed quaestionem non solvunt, utrum tanta fuisset ac nunc est. Forsan utraque sententia conciliari poterit opere distinctionis. In statu innocentiae delectatio non fuisset tanta relative, quia ratio eam rexisset; fuisset autem tanta imo maior absolute, ob maiorem naturae perfectionem.

4) Ulterius quaerit S. Bonaventura utrum in statu innocentiae esset in coitu *integritatis corruptio*. Quae quaestio praesertim ob textum S. Augustini moveri solebat. Unde S. Doctor solutionem inducit his verbis: « Proposita quae-
« stio plus habet curiositatis quam utilitatis, quia tamen
« habet ortum ex verbis Augustini, ideo introducta est ». Solvit autem quaesitum ope distinctionis. « Integritatis cor-
« ruptio tria dicit: claustrorum aperitionem, formalem pas-
« sionem et foedam delectationem. Primum est naturae, se-
« cundum est poenae, tertium vero est corruptionis vitiosae,
« quae tenet medium inter culpam et poenam ». Quare S. Doctor concedit primum et alia duo a statu innocentiae excludit.

[1] Lib. XIV, c. 23, n. 2.
[2] Ibid., q. 3.

5) Investigans demum usum et *efficaciam* seu perfectionem actus coniugalis in statu innocentiae, S. Bonaventura sciscitatur, utrum « quoties fuissent coniuncti, toties prolem « genuissent ». Quae quaestio magni momenti est, quia multum inservit illustrando non solum dominio quod habuisset natura innocens in ea quae sunt generationis, sed et discrimini quod sub hoc respectu interest inter matrimonium in statu innocentiae et in statu lapso.

In praesenti enim statu partim matrimonium est et in remedium concupiscentiae, quod remedium in illo erat inutile. Quare ex una parte appetitus generandi fuisset limitatus ad generandam prolem, et ex altera parte, ob naturae utriusque sexus perfectionem, generandi actus effectu suo non caruisset.

Solutionem S. Doctor ita inducit et contrahit: « Vir in « quolibet actu, quo cognovisset uxorem, suscepisset ex ea « prolem. Et ratio huius est, quia congruentia ordinis (hoc) « exigebat, et perfectio virtutis ad hoc sufficiebat ». [1]

6) Circa eamdem efficaciam S. Doctor in fine quaerit « utrum *aequalis* fieret multiplicatio *virorum et mulierum*, « si homo stetisset ». De qua quaestione subtiliter et eleganter discurrit. En verba quibus solutionem inducit. « Di« cendum quod, si homo stetisset, aequaliter natura multi« plicaret viros et mulieres. Rationem autem huius facile est « accipere a parte finis ad quem, sed difficile est accipere a « parte principii a quo ».

Primum ita exponit: « Cum enim distributio sexuum esset « propter multiplicationem generis humani et completionem « numeri electorum, et illa multiplicatio ad omnes specta« ret, et hoc solum secundum legem matrimonii, in qua « tantum una erat unio; necesse est, si natura stetisset, « tot fuisse mulieres, quot viros, quum nulla mulier careret « viro, et nullus vir careret uxore, nec una esset plurium, « nec plures unius ». [2]

Fusius alteram partem S. Doctor evolvit. Solutio cui magis adhaeret, reduci potest ad haec. In statu innocentiae maior fuisset cognitio virium naturae. Et quum pariter

[1] Ibid., q. 5.
[2] Ibid., q. 6.

adfuisset perfecta ordinatio, quum ordo, ex praedictis, postularet aequalitatem, intentio generantium in hanc aequalitatem ferretur, et ob maius in leges naturae dominium effectus intentioni responderet.

In fine solutionis ultimae obiectionis ingeniose addit: « Si « quis autem vellet dicere, quod aliqui existimant, quod mu- « lier semper gemellos conciperet, ... tunc facile esset ad ea « quae obiecta sunt respondere ». Sed modeste addit: « Hoc « autem nec de facili probatur, nec etiam reprobatur certi- « tudine rationis ».[1]

Obiectionem inde motam quod sexus masculinus sit melior, S. Bonaventura optima distinctione depellit: « Ad illud « quod obiicitur, quod natura semper desiderat illud quod « melius est; dicendum quod non intelligitur, quod semper « desiderat quod melius est simpliciter, sed melius in ordine; « licet autem sexus masculinus melior sit in se quam femi- « ninus, non tamen esset ita sufficienter salus naturae in solo « virili sexu, sicuti est in virili et muliebri; et ideo natura « magis desiderat utrumque quam alterum solum ».[2]

7) In solutione dubiorum huic distinctioni appositorum S. Bonaventura breviter disserit de *evolutione* physica et intellectuali parvulorum in statu innocentiae.

a) Admittit « parvulos paulatim proficere et crescere ad « usum membrorum. Teneritudo enim membrorum debetur « proli hominis propter bonitatem complexionis et congruen- « tiam naturae, quae procedit a debiliori complexione ad « fortiorem; unde parvuli habent teneriora membra quam « adulti. Processus autem in incremento non esset miracu- « losus, sed naturalis, etiam tempore naturae institutae ». Et paucis interiectis de mente Magistri et Augustini, addit: « Quod obiicitur de illis generibus animalium, non valet, « quia alterius sunt complexionis et organizationis ».[3]

b) Unde similem sententiam amplectitur quoad evolutionem vitae sensilis et intellectualis. « Haec est probabilior « posito quod aliquo modo per intervalla temporum in sensu « et cognitione profecissent. Anima enim, dum est in corpore

[1] Ad 3.
[2] Ad. 2.
[3] Dub. 5.

« complexionem corporis imitatur. Et quoniam in infantia « est mollis et fluida complexio cerebri, ideo non potest ibi « esse fortis impressio specierum nec fortis conversio super « illas ». Et eleganter addit comparationem: « Unde sicut « facies non relucet in aqua mota, sic parvuli non essent « idonei statim ad usum cognitionis ». Et obiectioni motae de habitu scientiae respondet: « Si puer haberet scientiam « quantum ad habitum, non tamen haberet quantum ad na- « turalem considerationem propter organi ineptitudinem, « sicut etiam non habent dormientes ». [1]

Ex allatis verbis apparet, Seraphicum Doctorem dubium solvere iuxta principium generale, quin penitius ingrediatur quaestionem de velociori evolutione parvulorum in statu innocentiae ob maiorem vigorem melioris complexionis.

B) De conditione prolis generatae quantum ad iustitiam.

(Quaestio C).

Ordo Quaestionis. – *Temporis* ordinem simul ac *gradationis* S. Thomas in hac quaestione sequitur, inquirens primo de *origine* in iustitia, dein de *confirmatione* in eadem.

ARTICULUS I.

UTRUM HOMINES FUISSENT NATI CUM IUSTITIA.

I. De ipsa Quaestione. – 1) Quo plenius intelligatur haec quaestio, distinguenda est iustitia duplex. *a*) Alia enim est *iustitia originalis* sive integritas, complectens ea omnia dona quae vocantur *praeternaturalia;* *b*) alia est *iustitia* specialiori modo *gratuita* dicta, quae est merendi principium et complectitur dona *supernaturalia*. De utraque hic sermo est.

2) Porro nexus inter utramque pendet a modo quo concipitur prima elevatio Adami. Si quis tenet, Adamum fuisse quidem creatum in iustitia originali, non autem in iustitia

[1] Dub. 6.

principio merendi, quam non nisi postea accepit, tunc perire videtur ratio cur oriundi de Adamo in utraque nascituri praedicentur. Si autem verius tenet, utramque iustitiam Adamo fuisse ab initio collatam, adhuc superest distinguendum. Si hoc fuit mere factum, sine intima ratione petita a nexu inter utramque iustitiam existente, hoc factum non tale videtur quod indigeat reproduci, nisi ex gratuita voluntate Dei, de qua constare deberet, vel quae saltem deberet erui posse. Si autem verius huius simultaneae collationis ratio petitur ex intimo nexu inter utramque iustitiam, tunc logice sequitur quod una transfusa, transfundetur et altera.

3) Hic autem nexus dupliciter potest intelligi: ascendens, vel descendens. *a*) *Ascendens* est, si logice praecedat iustitia originalis, quatenus per integritatem carnis, per perfectam subiectionem corporis ad animam, praeparatum esset gratiae supernaturali dignum habitaculum, gratiam appellans, non quidem per se, sed ex praeordinatione divina, quae originalem iustitiam tamquam viam ad gratiam contulit.

b) *Descendens* nexus est, si ipsa iustitia supernaturalis ope gratiae sit radix donorum praeternaturalium, ex ipsa gratia ad instar radiantis lucis emanantium. Hoc altero modo S. Thomas nexum considerat; ex quo sane maior oritur similitudo inter homines in gratiam constitutos et Christum, quum in Christo omnes gratiae et dona ex primario sublimissimo dono unionis hypostaticae effluxerint.

4) Admisso potius hoc altero nexu descendente, apparet, aliquam circulationem aut ordinis inversionem esse admittendam, quae ita explicatur. Gratia est radix iustitiae originalis, ita ut ambae, ex intentione Conditoris, intime inter se copulentur: quatenus ubicumque fuerit iustitia originalis, ibi etiam sit et eius radix, seu gratia. Atqui iustitia originalis, tamquam accidens naturae originalis, cum eadem natura communicata fuisset; ergo una cum natura fuisset communicata pariter et gratia: quatenus scilicet Deus eam cum ipsa anima in corpus infudisset. Adest proin circulatio vel ordinis inversio. Etenim dum in Adamo iustitia originalis est a gratia sanctificante, in posteris gratia sanctificans est veluti appellata a transfusa iustitia originali, quam et concomitatur. Huius doctrinae momentum magis apparebit in

secunda parte tractatus, ubi quaerendum erit de transfusione peccati originalis.

5) Quodsi quaeras, cur iustitia originalis magis quam gratia sanctificans consideretur tamquam accidens naturae, et medium transfusionis seu communicationis gratiae, respondetur: *a*) Hoc interest, uti supra vidimus, inter dona praeternaturalia et supernaturalia, quod priora perficiunt naturam in se, dum altera eam elevant supra se; inde facile intelligitur, priora cum natura communicari formaliter, altera potius materialiter.[1] *b*) Iustitia originalis partim in corpore residebat, per absentiam concupiscentiae et donum immortalitatis, quod non ex toto in anima fuit; gratia autem tota est in anima; unde, quum anima non sit a traduce, sed natura per corpus transfundatur, consequens est, iustitiam originalem, tamquam accidens naturae, communicari formaliter, gratiam vero non.

6) Esto, inquies, iustitia originalis fuerit accidens in natura Adami. Quomodo autem demonstretur fuisse accidens naturae tale quod debuerit communicari, et non accidens personale? Huic quaestioni, quae totum nervum argumenti continet, responderi potest *directe* et *indirecte*.

a) *Indirecte.* Opposita per opposita illustrantur. Iam vero privatio iustitiae originalis constituit peccatum originale in totam naturam humanam sese extendens; ergo iustitiae originalis dona toti naturae transfusione destinabantur. Secus haec privatio posset quidem esse perfectionis carentia, peccatum autem verum inducere nequiret; quod in II Sectione fusius explicabitur.

b) *Directe.* Inspecta in Adamo dignitate capitis, et horum donorum singulari momento, morali certitudine constat, excellentiam in qua conditus est et quae toti generi pari titulo conveniret, non ipsi pro ipso solo, sed pro gente universa ab eo oriunda fuisse collatam.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Confundit meritum ex gratia, cum ipso principio meriti. Primum est accidens personale, alterum accidens naturae.[2]

[1] Licet sint a Deo per prius intenta, et formalem iustitiam constituentia.

[2] Cf. appendicem de mente Hugonis Victorini in proxima appendice.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

2ª Obi. Confundit naturale quod sequitur ex principiis cum naturali quod communicatur cum natura.

3ª Obi. Negligit dicta n. 5.

Sed contra est. Doctrina huius articuli continetur indirecte in can. 2, sess. V, Conc. Trid.: « Si quis Adae prae-« varicationem sibi soli *et non eius propagini asserit nocuisse,* « et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, « sibi soli *et non nobis etiam perdidisse*... ». Atqui, quomodo nobis perdidisset sanctitatem (supernaturalia) et iustitiam (praeternaturalia), nisi haec nobis fuissent destinata, id est, nisi ea, cum natura ab ipso traducta accepissemus, nisi peccasset? iuxta breve argumentum S. Pauli: « Si radix sancta, et rami ».[1] Idem eruitur ex can. 2. Concil. Arausicani II, licet minus expresse.[2]

Iuvat hic afferre ex integro verba S. Anselmi, utpote in speculatione theologica iure famosa: « Dedit illi (Adamo) Deus « hanc gratiam, ut sicut quando illum condidit nulla propa-« gandi operante natura, aut voluntate creaturae, simul fecit « illum et rationalem et iustum: ita simul cum rationalem « haberent animam, iusti essent quos generaret operante « natura et voluntate, si non peccaret. Eadem quippe ratione « qua monstratur rationalem naturam iustam esse creatam, « ... probatur etiam quod, qui ex humana natura propaga-« rentur non praecedente peccato, ex necessitate iustitiam « pariter haberent cum rationalitate. Siquidem qui creavit « primum hominem sine parentum generatione, creat etiam « eos qui per creatam ab illo fiunt propagandi naturam. « Omnis igitur homo, si peccatum non praecessisset, simul « esset sicut Adam, et iustus et rationalis... ». Et paulo inferius: « Adam... gratiam quam acceptam propagandis de se « semper potuit servare, perdidit ».[3] In initio eiusdem operis idem docet: « ... Potest dici originalis et personalis iustitia. « Siquidem Adam et Eva originaliter, hoc est in ipso sui « initio, mox ut homines extiterunt, sine intervallo[4] iusti « simul fuerunt. Personalis autem dici potest iustitia, cum

[1] *Rom.*, XI, 16.

[2] Cf. infra, ubi de peccato originali.

[3] *De conc. Virg. et pecc. orig.*, c. 10. - *P. L.*, t. CLVIII, col. 414.

[4] Vide inde Anselmum nullum heic temporis spatium admisisse.

« iniustus accipit iustitiam, quam ab origine non habuit. « Ergo Adam et Eva, si iustitiam servassent originalem, qui « de illis nascerentur originaliter, sicut illi, iusti essent ».[1] Vides, totam hanc S. Anselmi doctrinam, de qua fusius infra sermo recurret, intimum supponere nexum originalem inter iustitiam originalem et naturam primi hominis, quatenus homo perfectus a Deo intentus esset homo in gratia conditus.[2]

In Corpore. Vis argumenti est in demonstrando iustitiam originalem non fuisse accidens personale, sed accidens ipsam speciem affectans. Quam demonstrationem S. Doctor instituit indirecte per oppositionis relationem cum peccato originali, sicuti S. Anselmus iam arguerat in locis supra citatis.

Corollarium I. - Ex praesenti doctrina de modo quo in servata originali iustitia per transmissionem naturae transmissae fuissent omnes originalis iustitiae dotes, colligitur rursus mirabilis eiusdem primaevi status excellentia. Bene cl. Abbas Vonier: « It is not so much original Sin, and « the Fall, that are difficulties; it is the state of original « justice and perfection that would seem fabulous, if we « had not Faith. To be, through the laws of heredity, im- « mortal in body, divine in soul, without error in the mind, « without defect or imperfection of any kind, that is what « God meant man to be ».[3] Et paulo superius ait: « Original « justice means this: that by a most special dispensation of « God...[4] every human being who receives life from ano- « ther human being, should receive it in such a way, as to « be radically, and intrinsically fit for the Blessed Vision of « God; that the mysteries of heredity, already so great, « should have been rendered more mysterious, through man « having eternal life, i. e. Sanctifying Grace, by heredity. « For such would have been the condition of mankind with- « out original sin ».[5]

[1] Ibid., c. 1 et 2.

[2] Cf. pulcherrimum textum S. Irenaei in art. 1, Q. xcv allatum.

[3] *The human soul*, ch. xxvii: *How the fall differs from original sin*, p. 170.

[4] Omitto comparationem parumper audacem, quam cl. auctor hic facit inter hanc elevationem humanae naturae et transsubstantiationem.

[5] Ibid., p. 169.

Corollarium II. – Pariter ex eadem doctrina via sternitur ad degradationem status lapsi et originalis peccati facilius intelligendam. Nam, uti in altera Sectione ostendemus, originale peccatum, quum supponat primaevum ordinem supernaturalem, concipiendum est maxime per viam comparationis. Optime rursus cl. Vonier: « All the evils and all the « harm done to the human soul through the fall and through « original sin, are evils by comparison with a higher good. « Original sin cannot be described in itself; it has to be stated « by comparison, and the term of comparison is the high « and privileged state in which man was created originally; » we must keep our eyes fixed on that ideal state if we are « to understand original sin ». Unde bene concludit: « No- « thing shows more clearly what a high opinion our masters « had of the spirituality of the human soul than their teach- « ing on original sin ».[1]

ARTICULUS II.

UTRUM PUERI IN STATU INNOCENTIAE NATI FUISSENT IN GRATIA CONFIRMATI.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Ex articulo praecedenti sequi videtur talem futuram fuisse in posteris Adae gratiam, qualem fuisset in generante. Quid iam de confirmatione in gratia?

Antequam ad solutionem accedamus iuvat duplicem in hac confirmatione distinguere gradum: « Hominem esse in « gratia et iustitia confirmatum, ait optime Scotus, potest « dupliciter intelligi: uno modo, quemadmodum sunt beati « sic in iustitia confirmati ut nullatenus peccare queant: « penitus enim summo bono inhaerentes, ab illo averti non « possunt per peccatum. Alio modo aliquis dici potest in « sanctitate confirmatus, eo quod non peccat, nec sit ali- « quando peccaturus graviori peccato, sicut multi viatores « gratia Dei praeventi in utero matris sanctificati fuere; « de quibus proin creditur nunquam mortaliter peccavisse,

[1] Op. cit., ch. XXVI: *Original sin and the human soul.*

« etsi fortassis omnes, excepta Virgine Maria, Christi matre « beatissima, venialiter peccaverunt, secundum quod scri- « ptum est:[1] "Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, « ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est„ ».[2]

Uti iam apparet ex dictis, et ex mox dicendis clarius apparebit, quaestio movetur praecipue de hac altera confirmatione, et quidem eo gradu, licet minori longe titulo, quo fuit in B. Christi Matre, si tenenda sit sententia quae affirmat a statu originali ob ipsam huius status excellentiam, servata iustitia, excludendum esse peccatum mere veniale.

2) Hac praemissa distinctione, triplex facienda est hypothesis. *a*) Vel post superatam tentationem Adam fuisset in perfectam immortalitatem translatus; vel *b*) fuisset quidem in gratia confirmatus, sed nondum gloria coronatus; vel *c*) nondum in gratia fuisset firmatus. De unaquaque hypothesi sint pauca.

a) Primae hypotheseos solutio patet. Etenim translatus in immortalitatem caelestem, iam Adam factus esset homo undequaque spiritualis, neque generationi incubuisset. Unde ista hypothesis est reiicienda, utpote incompossibilis cum multiplicatione generis humani. Tunc solum stare posset, si ante probationem homo genuisset. Quae positio, revelationi non consona, redundaret in tertiam hypothesim.

b) Secunda hypothesis est subtilior. Posse quidem dari confirmationem in gratia ante gloriam, ex privilegio B. M. V. constat. Neque ex singularitate tam perfecti privilegii[3] in statu praesenti potest legitime concludi quod istud privilegium non adfuisset de lege communi in statu naturae integrae. Unde haberemus Adamum in gratia confirmatum et tamen filios procreantem. Quid igitur? Num filii haeredes essent istius confirmationis in gratia, sicut essent ipsius gratiae? Solutio negativa deducitur ex principiis in praecedenti articulo positis.

In Adami enim gratia illud accidens inamissibilitatis esset meritum personale. Iam vero vidimus, communicata natura,

[1] I Ioann., I, 10.

[2] *Oxon.*, VI, D. XX, q. 1.

[3] Communis est theologorum sententia, sanctos Apostolos post acceptum Spiritum Sanctum fuisse, quoad mortales culpas, in gratia confirmatos.

non transfundi accidentia personalia. Ergo Adam genuisset filios gratia originali ornatos, sed nondum in ea confirmatos. Quam solutionem ipse S. Thomas alibi propugnat (Q. II, a. 3 ad 5): « Si tamen concedatur quod Adam confir- « matus fuisset statim post victoriam tentationis, adhuc non « sequitur quod filios confirmatos in iustitia genuisset: quia « hoc sequebatur actus personales eius, et ita erat perfectio « ad personam pertinens, quam non oportet in filios propa- « gari; sicut si Adam donum prophetiae habuit, vel mira- « cula faciendi, non oportet quod filii eius hoc habuissent ». [1]

c) Tertia iam consideretur hypothesis. Si Adam nondum confirmatus in gratiam genuisset filios, nulla ratio afferri potest cur eius filii quoad hanc confirmatam gratiam in meliori statu originali nati essent quam haberet pater.

Bene hanc doctrinam ita exprimit cl. Laminne: « Si Adam « n'avait pas péché, tous ses descendants n'eussent pas été « par là même assurés de leur salut. Ils auraient sans doute « comme Adam lui-même et comme les anges, eu à subir « l'épreuve nécessaire pour que la béatitude soit non seu- « lement un bienfait, mais encore une récompense et que « l'être libre soit l'auteur de sa propre destinée. Mais tous « les hommes auraient été ornés de la grâce en naissant « et eussent possédé par conséquent le moyen de réaliser « leur fin surnaturelle ». [2]

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Petitur ex loco sane difficili S. Gregorii M. Quam S. Thomas sequenti modo solvit.

Si Adam non peccasset, filii eius non nascerentur

filii gehennae dist.:
- 1) quatenus nullum ab ipso contraherent peccatum, *concedo;*
- 2) quatenus non possent fieri filii gehennae, subdist.:
  - *a*) quia confirmati, *nego;*
  - *b*) ex speciali divina Providentia, transeat.

Uti apparet, potest hic haberi aequivocatio. Etenim ultima verba S. Gregorii: « Sed hi qui nunc per Redemptorem sal-

[1] II Dist., XX, q. 2 a 3 ad 5. Adverte tamen sedulo, non negari possibilitatem talis transmissionis confirmatae iustitiae. Poterat enim talis transmissio esse quasi pars mercedis. Hoc sensu videtur S. Anselmus rem concepisse, quemadmodum ex textu mox explicando apparebit.

[2] Op. cit., ch. VII, p. 199.

« vandi sunt, soli ab illo electi nascerentur ». Quae verba supponunt perseveraturos in gratia, ac proin saltem illud ultimum quod S. Thomas in responsione concedit. Sed inter confirmationem gloriae et meram externam Providentiam praeservantem, datur confirmatio illa quam, iuxta Scotum, secundo loco posuimus. Unde quaestio remanet, utrum ultra eam quam S. Thomas suggerit, S. Gregorius hanc intenderit. Fateor verba per se sumpta affirmative potius sonare.

2ª Obi. Petitur ex famosa sententia S. Anselmi desumpta ex capit. 18 libri I tractatus *Cur Deus homo.* In hoc capite auctor investigat subtilissime: utrum plures futuri sint sancti homines, quam sint Angeli mali. Unde adducitur ad comparationem instituendam inter confirmationem Angelorum et hominum. En verba quae allatum a S. Thoma locum immediate praecedunt: « Quod autem eamdem con« firmationem (omnium Angelorum) usque ad mundi futu« ram renovationem differri Deus voluerit, inconveniens « videtur, praesertim cum illam in aliquibus tam cito per« fecerit, et cum intelligi possit quod in primis hominibus, « quando peccaverunt, illam fecisset si non peccassent, sicut « fecit in perseverantibus Angelis. Quamvis enim nondum « proveherentur ad illam aequalitatem Angelorum, ad quam « perventuri erant homines cum perfectus esset numerus de « illis assumendus, [1] in illa tamen iustitia in qua erant, vide« tur quod, si vicissent, ut non peccarent tentati, ita con« firmarentur cum omni progenie sua, quod ultra peccare « non possent ». Uti apparet ex hoc textu, iuxta S. Anselmum primi parentes superata tentatione confirmati fuissent in gratia, quin tamen in gloriam fuissent translati, et hanc confirmationem non solum sibi ipsis, sed et a se orituris meriti fuissent. Igitur Anselmus admittit hypothesim secundam, eamque solvit modo affirmativo, dum S. Thomas illam solvit modo negativo, et admittit hypothesim tertiam.

3ª Obi. Desumitur ex eodem loco S. Anselmi. Etenim sententiam modo allatam fulcit ope comparationis ex transmissione peccati originalis depromptae.

[1] Agnosce quam bene Anselmus duplicem gradum in confirmationem distinguat.

« Quemadmodum quia victi peccaverunt, sic infirmati « sunt, ut, quantum in ipsis est sine peccato esse non pos- « sint ». Et urget valorem comparationis hoc pacto: « Quis « enim audeat dicere plus valere iniustitiam ad alligandum « in servitute hominem in prima suasione sibi consentien- « tem, quam valeret iustitia ad confirmandum eum in liber- « tate, sibi in eadem prima tentatione adhaerentem? Nam, « quemadmodum, quoniam humana natura tota erat in paren- « tibus primis, tota in illis victa est ut peccaret (excepto illo « solo homine, quem Deus sicut scivit sine viri semine de « Virgine facere, sic scivit a peccato Adae secernere); [1] ita « in eisdem vicisset, si non peccassent ». [2]

Iam quaeritur de valore comparationis a S. Anselmo allatae. S. Thomas illam non solum recusat, sed contra intentum Anselmi retorquet. Etenim, ait, quemadmodum ex malis parentibus sunt quidem nati filii mali, sed non confirmati in malo; ita de bonis parentibus nati fuissent quidem filii boni, sed non in bono confirmati. Putamus retortionem S. Thomae magis valere quam argumentum S. Anselmi.

Quod si instes in favorem auctoris operis *Cur Deus homo*, negando hominem in peccato originali per se posse « ad « iustitiam redire », uti affirmat Angelicus, ac proin dari utrimque impossibilitatem; respondeo: aliud est non posse hominem in peccato originali natum reacquirere illud quod amisit, aliud, eum in mala voluntate esse confirmatum. Tunc solum comparatio valorem haberet, si, quemadmodum confirmatio in bono ponit voluntatem quae non possit declinare a bono quod beata necessitate semper amplectitur; ita confirmatio in malo, qualis est in homine lapso, poneret voluntatem malo indeclinabiliter adhaerentem. Atqui talis non est mala voluntas quae ex lapsa natura resultat. Haec enim non provenit a voluntate necessario malum amplectente, sed a privatione boni cum relatione ad peccatum Adami, cuius est effectus, et cum impotentia illud bonum per se recuperandi.

[1] Ibid.

[2] Ex hac parent esi vide confirmatam nostram sententiam de opinione S. Anselmi circa Immac. Conc. B. M. V.

Quare cum S. Thoma standum esse censemus. Caeterum S. Anselmus sententiam suam non nisi opinantis more modeste insinuat: « inconveniens videtur », « videtur quod ». Ad hanc autem comparationem eum adducebat fundamentalis conceptus de elemento voluntarii a peccato Adami in posteros derivati. Unde pronus erat in dilatandum influxum bonae voluntatis Adami in posteros, si stetisset. Et quum putaverit Adamum, devicta illa tentatione, accepturum fuisse confirmationem in bono, conclusio facilis erat ad confirmationem eamdem in posteros extendendam.

Corroboratur solutio S. Thomae ex comparatione cum Angelis bonis et malis. Utique boni Angeli confirmati sunt in gratia, sed et daemones confirmati in damnatione et malo. Quum iam Adam peccato commisso in malo non fuerit confirmatus, sed e contra habuerit poenitentiae spatium, iam deest ratio, cur propter analogiam cum Angelis bonis, victoriae de illa tentatione tribuatur virtus confirmandi in gratia. Caeterum et hoc concesso, nihil inde sequeretur pro orituris de Adamo.

4ª Obi. Arguit directe ex Angelis statim in gratia confirmatis. Sed haec obiectio dupliciter deficit. Non attendit ad rationem discriminis inter liberum arbitrium Angeli; eo quod ex ipsa intellectionis perfectione immutabiliter eligit quod eligit. Dein, etiamsi, ut modo dicebamus, primi parentes post superatam tentationem in gratia fuissent confirmati, nondum inde sequeretur intentum pro eorum filiis.

Sed contra est. Accipe integra verba S. Augustini.

« Quam igitur felices erant primi homines, et nullis agi-
« tabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lae-
« debantur incommodis: tam felix universa societas esset
« humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros traii-
« cerent, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem com-
« mitteret, quae damnationem reciperet;[1] atque ista perse-
« verante, donec per illam benedictionem, qua dictum est:
« " Crescite et multiplicamini „ praedestinatorum sanctorum
« numerus compleretur, alia maior daretur, quae beatissimis

[1] Adverte iam heic quam pulchre Augustinus distinguit inter peccatum in posteros traiiciendum, quia Adamus erat totius generis caput, et peccatum posterorum singulari poena plectendum.

« Angelis data est ». [1] In quibus verbis S. Augustinus aeque loquitur ac si post superatam tentationem primi parentes fuissent in gratia confirmati. Unum fortiter affirmat beati status originalis a primis parentibus iustis manentibus transmissionem in filios, cum possibilitate ut filii eam amitterent, sicuti eam parentes amiserunt.

In Corpore. S. Thomas excludit primam hypothesim quia est contra providentiam de multiplicando genere humano, et proin redderet quaestionem inutilem. Excludit quoque secundam hypothesim, quatenus non videtur procedere iuxta legem communem. Quod illustrat per singulare privilegium B. M. V. [2] Restat igitur tertia hypothesis, cuius solutio nullam habet difficultatem.

Quaeres I. – Nonne saltem aliquam probabilitatem habere dicenda est illa sententia S. Anselmi secundum quam primi parentes, si vicissent tentationem qua victi sunt, in mercedem suae victoriae fuissent in gratia confirmati?

Resp. Auctoritas tanti Doctoris huic sententiae sane aliquid probabilitatis confert, saltem extrinsecae. Sed in modo hanc sententiam exponendi cavendum est ab excessu, uti habetur in comparatione cum confirmatione Angelorum. Quam comparationem inefficacem superius ostendimus. Validior consideratio adduci posset ex solemni tentationis apparatu, qui suadet, agi de quadam lucta decisiva inter servatum aut violatum Dei praeceptum. [3]

Quodsi admittatur protoparentes fuisse in gratia post relatam victoriam confirmandos, potest logice aliquid simile admitti in filiis et ipsis post victoriam confirmandis. Qui est modus sentiendi Scoti. Exclusa prima confirmatione, quae non est viatorum, Scotus de altera ait: « Nati in statu inno-
« centiae talem recepissent, si primam tentationem superas-

[1] *De Civit. Dei*, l. XIV, c. 10. - *P. L.*, t. XLI, col. 417.

[2] De hoc privilegio B. M. V. vide Mariologiam Tract. nostri *De Verbo Incarnato*, et dicenda in tractatu *De Gratia*, ubi agemus de possibilitate vitandi peccatum.

[3] Ita legimus S. Benedictum in specu Sublacensi et S. Thomam Aquinatam in castello paterno, quo captivus detinebatur, ob tentationem heroice superatam divinitus accepisse mercedem ut deinceps a pravae concupiscentiae motibus essent ambo immunes.

« sent, sicut et primus parens in iustitia confirmatus fuisset, « si primae tentationi restitisset ».[1]

Prudentius tamen censemus de huiusmodi quaestionibus nimis abditis nihil affirmare, quum elementa nobis desint ad certum iudicium de eis efformandum.

Quaeres II. – Quid, Adamo fideliter in gratia perseveverante, si quis ex eius posteris peccasset, num gratia originali posteros suos orbasset? – Affirmat Card. Billiot;[2] sed negat his verbis Palmieri: « Qui ex iis peccatoribus nati « fuissent, hi, non secus ac alii, nati fuissent cum iustitia « originali, quia eius amissio a peccato tantum capitis pen- « debat, sicut modo nascuntur filii cum peccato, etsi parentes « sancti sint ».[3] S. Thomas in hoc loco *Summae* hanc hypothesim non directe tangit. At in Q. IV, art. 8 opusculi *De malo* eam ita exprimit in obi. quinta: « Si primo homine non pec- « cante aliquis posterorum eius peccasset, corrupta fuisset « in eo natura humana et talem transmisisset in posteros ». Iam vero quum in solutione huius obiectionis S. Doctor non reiiciat hanc deductionem, nec eius negatio expresse fluat ex principiis in *Corpore* statutis, dicendus videtur hanc deductionem iuxta sententiam suam protulisse. Sed in *Compendio theologico* S. Doctor videtur id privilegium restringere ad caput « totius naturae humanae », et « primi parentis », ut originalem iustitiam haberet uti donum naturae et non personae.

Nec tamen cogens apparet ratio a Palmieri in oppositum allata. Etenim non datur paritas inter gratiam a Christo capite recuperata, quae proin personam redemptam afficit, et gratiam servatam quae a capite ad suam stirpem transfunditur, et, si amittatur, et stirpi pariter amittitur.

Potuit utique Deus ita oeconomiam transfusionis originalis iustitiae instituere, ut nonnisi in primo capite totius naturae humanae cum transfundenda natura tam arcte coniungeretur, ut, si eam amitteret, naturam eâ spoliatam transfunderet. Sed ex indole rei non apparet cur non et in capite stirpis

[1] Loc. cit., n. 3.

[2] *De peccat. orig.*, p. 13 sq.

[3] Op. cit. Append. Q. VIII, p. 218.

partialis hanc indolem servare potuisset, imo servare dicenda esset, nisi de contrario constet.

Utrum autem pro singulis lapsis aut pro stirpibus singularibus a lapsis derivatis adfuisset via recuperandae gratiae, vix responderi potest, quum hoc unice pendeat a divina misericordia. Potuit enim Deus universum genus in primo capite perditum per novum caput totius generis redimere, quin tantum beneficium separatae stirpi lapsae concessisset. Quare recte concludit Palmieri: « Hinc peior forte fuisset « tunc eorum conditio, quam sit nunc per lapsum totius na- « turae ». [1]

Corollarium. - Quod in hac Quaestione dictum est de gratia stricte supernaturali, valet quoque de dotibus praeternaturalibus integritatis et immortalitatis, iuxta ea quae in praeambulo ad 1[m] articulum diximus. Quas utique dotes, sicuti Adam potuit amittere sibi et suis, aut sibi servare et aliis transmittere, ita quoque filii, si stetissent, suis transmisissent; si autem peccassent, et sibi et suis de se oriundis amisissent.

Appendix de mente Hugonis Victorini.

Non eadem qua S. Anselmus Hugo Victorinus certitudine de praesenti quaestione tractat. [2] Ob auctoritatem huius Magistri operae pretium duximus eius sententiam aut potius oscitantiam exponere.

Problema hisce verbis ponit. Superius vidimus quomodo demonstraverit, filios in statu innocentiae nascituros fuisse absque ullo peccato, utpote geniti « sine turpitudine et con- « cupiscentia ». [3] Iam ulterius quaerit: « Illud autem dignum « inquisitione videtur an paternae obedientiae meritum per « incorruptam originem ad posteros omnes transire debue- « rat, quemadmodum nunc inobedientiae illius culpa, per « eamdem vitiatam in universos se effundenda dilatat. Quod « si verum est, ita tunc in nascentibus foret ex merito pa-

[1] Ibid.
[2] *De Sacram.*, l. I, pars 6, c. 24.
[3] Ibid., c. 23.

« rentum originalis iustitia, sicut nunc invenitur in eisdem « ex solo paternae transgressionis reatu originalis culpa ». Ex his verbis accurate perpensis apparet, non eumdem esse modum quo S. Thomas et quo Hugo quaestionem ponit. Angelicus quaerit unice de transfundenda originali gratia, Victorinus de transfundendo paternae obedientiae merito. Discrimen est manifestum. Gratia originalis pertinebat ex ordinatione divina ad perfectionem supernaturalem humanae naturae; obedientiae meritum erat ex sese personale. Ratio cur Hugo quaestionem hoc modo ponit, inde forte provenit quod non satis expresse in Adamo originalem gratiam ab ipso initio posuerit, sed eam aliqualiter tamquam obedientiae mercedem conceperit.[1] Quidquid sit, posito problemate eo quo vidimus modo, subtilitatem eiusdem agnoscit: « Idcirco tamen asserendum non est temere, quia « non similiter videtur quod, quemadmodum nunc natura per « inobedientiam ad corruptionem mutata cernitur, ita etiam « tunc per obedientiam observatam (nisi usque ad tempus « praedefinitum a Deo conservata fuisset) ad incorruptionem « mutaretur ». Aliis verbis negat paritatem. Parenthesis autem interiecta iam insinuat intimam rationem huius negationis. Quam rationem sequentia verba magis reddunt manifestam. « Semel enim transgredi, plena inobedientia « fuit; sed non similiter perfecta obedientia fuisset, si in ipsa « obedientia homo usque in fine non perstitisset ». Quae consideratio, in se fundatissima, redit ad effatum: malum ex quocumque defectu, bonum ex integra causa. Consequens huius disparitatis iam apparet: « Propterea sicut inobedien- « tia uno tempore consummata naturam ad corruptionem » mutavit, ita obedientia naturam ad incorruptionem non « mutasset, donec tempore suo usque in finem servata fuis- « set perfecta ». Aliis verbis, una inobedientia mutavit naturam incorruptam; non una obedientia eam mutasset in incorruptibilem. Unde iam sequitur applicatio ad filios generandos infra spatium quod separat obedientiam initialem ab obedientia usque in fidem consummata. « Qui autem interim « generantur, a natura nondum adhuc ad veram incorru-

[1] Cf. cc. 27 sqq., ibid.

« ptionem transformata seminarentur, neque nascendo ori-
« ginalis iustitiae meritum acciperent; quoniam et ipsi a
« quibus nascerentur, nondum adhuc perfectae obedientiae
« iustitiam haberent ». Confirmat suam argumentationem ex lege proportionis: « Non autem potuit natura nascentibus
« dare quod in generantibus nondum possidebat, quemadmo-
« dum et ii qui nunc in peccato generantur, non aliud na-
« scendo trahunt quam vitium, quod a natura e qua semi-
« nantur accipiunt ». Hic redit initialis aequivocatio. Hugo non satis distinguit gratiam iustitiae originalis a merito personalis obedientiae. Unde praecise ex eadem proportionis lege S. Thomas demonstrat in statu innocentiae transfusionem, non quidem personalis meriti parentum, sed originalem gratiam in qua conditi sunt.

Posita aequivocatione, iam patet conclusio, quam Victorinus sub forma dilemmatis ponit. « Sic itaque primus homo
« tempore obedientiae suae casto coniugio ad propagationem
« posteritatis institutioni divinae serviens filios generaret sine
« peccato quidem, quoniam ex natura ab omni vitio libera,
« sed non similiter paternae iustitiae haeredes; quoniam ipsa
« nondum foret ad incorruptionis praemium (quod nisi post
« peractam obedientiam dandum non erat) transformata ».
En primum membrum disiunctionis, in quo idem rursus defectus apparet. Etenim inter haec duo: nasci filios absque peccato et nasci paterni meriti haeredes, datur medium: nasci filios non solum absque peccato, sed insuper cum originali gratia parentum. Alterum disiunctionis membrum est manifestum. « Postquam autem a vita aeterna ad caelestem et
« spiritualem statum transformatus fuisset, amplius generare
« non debuerat; sicut modo per inobedientiam mortalitati
« subiectus a carnis tamen propagatione non cessat ». Synthetica conclusio patet: « Propterea igitur non videtur una
« esse utrobique conditio, quia eadem ratio utrimque non
« apparet ». Et sane problemate eo modo posito, argumentatio Hugonis est logica; sed modus est deficiens.

Hic autem non sistens, aliorum quoque sententiam refert.
« Sunt tamen qui quaerunt veraciter asserendum quod pri-
« mus homo, si non peccasset, nullos nisi bonos filios genuis-
« set, et nemo omnium qui ex eius carne nasceretur, damna-

« retur ». In qua brevi sententia tria distincta confunduntur. Aliud enim est nasci filios bonos ex gratiae originalis bonitate, de qua quaeritur; aliud est nasci in hac gratia confirmatos; aliud, eos, etsi non confirmatos, ex divina tamen providentia ita esse perseveraturos, ut nullus ex eis damnaretur. Uti liquet, hic iam stamus directe in argumento articuli secundi huius Quaestionis. Indirecte enim quae praecedunt, iam ad eam quoque pertinent, quatenus Hugo problema ponit de natura per meritum in incorruptibilem transformata eamdem naturam incorruptibilem transfundente.

Quae iam sequuntur, magis sunt probanda. « Tamen illud « merito quaeritur, utrum sola primi hominis obedientia pro- « bata, omnibus posteris ex eo nascituris ad meritum suffi- « cere debuisset; an si singuli quique post eum temporibus « suis (quemadmodum ipse primus probatus est) sive eiusdem, « sive alterius cuiuslibet mandati observantia probandi fuis- « sent. Et potest fortassis non absurde credi quod idem man- « datum quod primo parenti datum est, posteri quoque illi « observare debuerunt, et singuli propria obedientia proba- « rentur, et singuli pro meritis suis digna remuneratione « glorificarentur ». Et hisce optime dictis adiungit consideratione finalem pariter egregiam. « Primam tamen obedien- « tiam observatam causam fore gratiae adiutricis in omnes « sequentes et ipsam obedientiam obediendo imitantes ».

Ex modo quo in allatis verbis pluries distinguit inter obedientiam primam et obedientiam consummatam, aliquis credere posset inter utramque magnum sibi Hugonem fingere spatium. Et tamen oppositam de hoc quaestionis adspectu sententiam praefert. Superius enim scripserat: « Quamdiu « autem in hac vita terrena homo manere debuisset, argu- « mentum aliud haberi non potest, nisi quia probabile omnino « est quod post peractam obedientiam si in ipsa obedientia « perstitisset, statim ad praemium ipsius obedientiae trans- « ferri debuisset, quatenus sine mortis interpositione de primo « statu, ubi habuit posse non mori, ad alium statum transiret, « ubi amplius mori omnino non posset ».[1] Conciliatio quaerenda est in verbis: « si in ipsa obedientia perstitisset ».

[1] Ibid., c. 19.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum accidentia naturae cum ipsa natura communicentur, atque iustitia originalis cum gratia fuerit in primo homine ad modum talis accidentis, si Adamus stetisset, filios sibi similes in iustitia et gratia genuisset (art. 1).

Non ideo tamen genuisset illos confirmatos in gratia, quia, etiamsi ipse iam in gratia confirmatus procreasset filios, haec confirmatio fuisset in ipso accidens personale et non accidens naturae (art. 2).

C) De conditione prolis generandae quantum ad scientiam.

(Quaestio CI).

Ordo Quaestionis. – Praesentem Quaestionem S. Thomas evolvit per exclusionem decrescentem. Primo excludit perfectionem in scientia; deinde excludit perfectionem minorem consistentem in perfecto usu rationis. Nexus cum praecedentibus Quaestionibus decursu expositionis magis apparebit.

ARTICULUS I.

UTRUM IN STATU INNOCENTIAE PUERI NATI FUISSENT IN SCIENTIA PERFECTI.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Superest ut de puerorum scientia in statu innocentiae quaeramus. Quae quaestio potest tota hisce tribus quaesitis comprehendi. *a*) Habuissentne in statu innocentiae pueri modo nati illam perfectam scientiam quam Adam ab origine accepit? *b*) Quomodo, negata illa scientia, potuissent esse in statu perfecto? *c*) Nonne saltem quoad infusam scientiam aliquid amplius habuissent quam nos habemus dum nascimur?

De singulis quaedam breviter evolvamus.

2) Solutio prioris quaesiti tota pendet ab hoc, utrum perfecta originalis scientia Adami superius illustrata, fuerit in illo accidens naturae, an potius accidens personale. Cuius

dubii solutio petenda est ab ipsa ratione propter quam haec scientia fuit ab initio divinitus collata. Si propter scientiae nexum intimum cum iustitia et sanctitate, tunc erit accidens naturae, eodem titulo quo haec dona, et erit in pueris vix natis reperienda cum eisdem; - si autem collata fuit propter munus speciale Adamo commissum, tunc erit accidens personale. Iam vero tale fuit munus institutoris generis humani, ergo haec scientia non fuit in Adamo accidens naturae, sed accidens personale.

3) Neque carentia huius accidentis impedivisset in pueris perfectionem status innocentiae. Etenim aliud est, hunc statum excludere omne malum; aliud, eum continere omne bonum. Malum autem est dumtaxat illud, quod nisi adsit, aliquid non habet omne quod conditionis suae est. Demonstrandum igitur foret hanc perfectam scientiam in hoc statu requiri. Etenim: *a*) Si arguis ex ignorantia, respondetur sufficere ut pueri habuerint media opportuna ad eam scientiam acquirendam quae ipsorum statui congruebat. *b*) Si arguis ex iustitia, respondetur: non amitti iustitiam habitualem per absentiam actus, si ille non exigitur; insuper ex perfecta natura optima praesto fuisse media ad dirigendum se in via iustitiae ab instanti quo incipient actus requiri.

4) Quare, si absentiam infusae scientiae consideras, pueri modo nati in statu innocentiae fuissent in eadem conditione in qua nascuntur in praesenti statu; si autem consideras naturalem mentis expeditionem et praeternaturalem libertatem a parte inferioris appetitus rebellantis, fuissent in conditione longe meliori ac est praesentis status conditio. Quod plene sufficit ad dignitatem status innocentiae salvandam.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Negligit rationes expositas in 2).

2ª Obi. Non attendit ad 3) *a*).

3ª Obi. Pariter non considerat 3) *b*).

Sed contra est. Adverte, S. Thomam hic arguere ex auctoritate mere philosophica; unde discursum *Corporis* incipit negando sufficientem rationem ex auctoritate inspirata petitam.

In Corpore. Primo iteratur criterium in art. 1, q. XCIX, evolutum; cum hoc discrimine quod ibi argumentum evol-

vitur iuxta duplex criterii membrum; dum hic, deficiente criterii parte quae desumitur ab auctoritate revelata, solummodo evolvitur alterum.

Adverte insuper, praesens *Corpus* esse ex illis quae complentur per solutiones argumentorum.

Si iam quaeris de plena vi praesentis argumenti, respondetur: valere, non quidem ad demonstrandum, pueros modo natos non potuisse ex privilegio habere ab origine infusam scientiam, neque ad excludendam rationem sufficientem cur hoc privilegium ipsis tribueretur; sed ad denegandum ipsorum naturae, etsi optimae, ius ad talem perfectionem ab initio habendam. Unde, ut argumentum in tota sua virtute appareat, oportet recolere principium fundamentale ubi agitur de praeternaturalibus: non ea esse admittenda nisi solida ratione suadeantur, quae in casu deest.

ARTICULUS II.

UTRUM PUERI MOX NATI HABUISSENT PERFECTUM USUM RATIONIS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Quam intimo nexu hic articulus colligitur cum articulo praecedenti patet. Est veluti instantia hoc modo. Saltem si minus nati essent in scientia perfecti, attamen perfectus rationis usus eis non potest denegari. Quum autem hic perfectus usus pendeat a sufficienti evolutione corporis, hoc quaesitum nos remittit ad doctrinam in 1° art. Q. XCIX expositam.

Optime S. Thomas alibi nexum inter utramque quaestionem exponit: « Oportet quod positio de perfectione intellectus « consonet positioni de perfectione corporis: unde cum posue- « rimus pueros in principio non habituros fuisse membro- « rum usum, oportet ponere quod nec usum perfectae cogni- « tionis habuissent. Qui autem membrorum perfectionem « concedunt, perfectum usum rationis etiam concedere pos- « sunt ».[1] Et pergit evolvendo rationes propter quas perfecta cerebri constitutio, requisita ad rationis usum perfectum, de natura sua plus temporis requirat.

[1] II Dist. XX, q. 2, a. 2. Adverte hoc *possunt* cf., n. 3.

2) Unde S. Thomas, quum in art. 1, Q. XCIX in pueris posuerit aliqualem usum membrorum ab initio, iuxta eamdem distinctionem articulum praesentem exponit, et concludit: « Habuissent tamen (pueri in statu innocentiae) per« fectiorem (usum rationis) quam nunc, quantum ad ea, « quae ad eos pertinebant quantum ad statum illum: *sicut « et de usu membrorum superius est dictum* ».

3) Hic tamen quaeri potest utrum haec conclusio undequaque sit urgens. Concedimus utique, ad dignitatem huius status requiri ut vixdum nati pueri usum habuerint membrorum quantum ad actus huius aetatis; sed iste usus poterat adesse, quin iam procederet ab usu rationis quantum ad eosdem actus. Etenim, licet in anima non sit nisi unum principium, hoc principium nihilominus praesidet actibus triplicis gradus, vegetativi, motivi, rationalis.

Unde, quemadmodum nutritionis operatio praecedit membrorum usum per motum; ita iste usus potest praecedere formalem usum rationis.

4) Iteranda hic pariter est doctrina superius ab Augustino recepta quoad expeditiorem usum totalem rationis in statu innocentiae quam in statu praesenti, propter maiorem virtutem tum in anima corpus regente, tum in corpore ipso sese evolvente.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Confundit aggravationem ex sollicitatione ad sensibilia, quae aggravatio mentem iam sui compotem in omni aetate perturbat et est effectus peccati, cum aggravatione initiali ex defectu formationis organorum, quae, salvis salvandis, adfuisset quoque sine peccato.

2ª Obi. Tripliciter peccat. *a*) Supponit corpus quoad usum membrorum utrimque aeque evolutum, quod vidimus non esse verum. *b*) Supponit in ipsis animantibus plenam initialem evolutionem, quae non verificatur, puta in pullis avium. *c*) Supponit in animalibus nullam dari practicam in instinctu progressionem. [1]

[1] Aliqualem huiusmodi dari manifestum est. In exordiis usus curruum electrica vi motorum, equi passim deterriti aut aufugiebant aut fremitu timorem ostendebant; nunc eos indifferenti intuentur oculo et quasi despiciunt.

Sed contra est. Confer dicta de Christo nato et de B. M. V. in nostro tractatu *De Deo homine.*

In Corpore. Argumentatio duplici parte constat. In prima S. Th. affert rationes ex natura corporis desumptas ad negandum perfectum ab initio rationis usum. In altera mitigat sententiam iuxta rationes in eumdem finem allatas in art. 1, Q. XCIX.

Resp. ad 2.m Cave ne confundas evolutionem instinctus cum evolutione membrorum. Si avis cum alis plene evolutis pennisque iam munitis nascerentur, utique talis institutio ad volandum non posset nisi ab instinctu nondum plene evoluto et a matre stimulando provenire; quum autem eis nonnisi post editionem instrumentum ad volandum satis evolvatur, comparatio est minus cogens.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum in Adamo infusa scientia perfecta respexerit munus personale ipsi commissum, nulla est ratio cur in pueris modo natis in innocentiae statu haec scientia adfuisset; habuissent tamen rationem optime dispositam ad scientiam acquirendam (art. 1). – Non ideo autem haec ratio fuisset ab initio perfectum sui usum habens; sed rationis evolutio processisset iuxta ipsam organorum evolutionem, a qua pendet; celerius tamen quam in praesenti statu (art. 2).

***

Hic sistere possemus. Quum autem quaestio de ipso Paradiso nonnulla contineat quae iuvant ad notionem elevationis hominis complendam, quaedam adhuc sint de hoc argumento ad modum appendicis.

De loco hominis, qui est Paradisus.

(Quaestio CII).

Ordo Quaestionis. – Primo quaerit S. Thomas de paradiso *in se,* utrum corporaliter, an spiritualiter sit intelligendus. 2) Quaerit dein de Paradiso *in sua relatione* ad hominem innocentem. – 3) Demum considerat *hominem in Paradiso,*

tum *a*) quoad activitatem quam in eodem exerceret, tum *b*) quoad modum quo in ipsum ingressus est.

De *eiectione* hominis e Paradiso sermo erit ubi de peccati poena.

ARTICULUS I.

UTRUM PARADISUS SIT LOCUS CORPOREUS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Praemittenda sunt ipsa verba quibus Paradisus describitur in secundo capite *Geneseos*. « Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis « (גַּן בְּעֵדֶן) a principio (מִקֶּדֶם); in quo posuit hominem quem « formaverat.... Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis « (מֵעֵדֶן) ad irrigandum Paradisum, qui inde (וּמִשָּׁם) « dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison; ipse est « qui circuit (הַסֹּבֵב)[1] omnem terram Hevilath, ubi nascitur « aurum: et aurum terrae illius optimum est: ibi invenitur « bdellium, et lapis onychinus. Et nomen fluvii secundi « Gehon, ipse est qui circuit (חַסּוֹבֵב) omnem terram Ae- « thiopiae. Nomen vero fluminis tertii Tigris: ipse vadit « contra Assyrios. Fluvius autem quartus, ipse est Euphra- « tes ».[2]

2) Iam vero heic contineri veram narrationem descriptionemque veri loci geographici,[3] ex ipsa indole textus est manifestum.

Utique Origenes olim,[4] Philonem secutus, Paradisum allegorice intelligebat. Nec desunt hodie qui hanc sententiam

[1] Haec vox סָבַב (graece κυκλόω) dicit transitum per aliquam regionem, quin circulationem involvat (Cf. *Kaulen. Kirchen-Lexicon,* t. IX ad vocem *Paradies*, col. 1459).

[2] II, v. 8, 10-14.

[3] Ad specialem indolem geographicam exprimendam initium vocabuli Paradisi maiuscula littera signamus.

[4] *De Princ.*, l. IV, 16. - *P. G.,* t. XI, col. 577. Iuxta Origenem Paradisus est tertium caelum in quod raptus fuit S. Paulus, parâdisi arbores sunt virtutes angelicae, flumina paradisi sunt aquae superiores firmamenti. Iuxta sensum figuratum et S. Ambrosius * Paradisum explicat, quin tamen per hoc intendat excludere substratum sensus historici. Quam exclusionem alii Patres, uti S. Epiphanius, S. Augustinus et S. Hieronymus, ab haeresi non excusant.

* *Libr. de Paradiso,* c. I sqq. loc. cit.

instaurare conentur.[1] Sed historicum Paradisi sensum, quem iam olim Patres strenue vindicabant,[2] a recentioribus, uti Frederico Delietzsch, extra omne dubium ponitur.[3]

Antequam ad hanc discussionem accedamus placet audire S. Hieronymum: « Eorum deliramenta conticescant, qui « umbras et imagines in virtute quaerentes, ipsam conantur « evertere veritatem, et flumina et arbores et paradisum pu- « tent allegoriae legibus se debere subruere ».[4] Quaerantur etiam, imo plures, uti mox faciemus, alii sensus allegorici, typici, mystici; non ita tamen ut inde fundamentum sensus historici infirmetur.[5] Quem sensum historicum fundamentalem S. Augustinus extra omne dubium posuit: « Qualis « vel ubi sit Paradisus, ubi constituit Deus hominem, quem « formavit ex pulvere, quaestio est praeter fidem, cum tamen « esse illum Paradisum fides catholica non dubitet ».[6]

Nec minus fortiter loquitur S. Ioannes Chrysostomus: « Ideo etiam loci nomen affert Moyses in Scripturis, ut ne « liceret frustra nugari volentibus simpliciorum auribus im- « ponere, dicereque, non esse in terra Paradisum, sed in « caelo, et fabula huiusmodi somniare ».[7]

Optime Ven. Beda: « Neque ullatenus dubitandum est, « Paradisum, in quo positus est homo primus, etsi vel Eccle- « siae praesentis, vel futurae patriae typum tenet, ad pro- « prietatem tamen litterae intelligendum esse, locum scilicet « amoenissimum, fructuosis nemoribus opacatum, eumdem- « que magnum et magno fonte foecundum ».[8]

[1] Cf. *Paradiso – Allgemeine Encyclopaedie*, Esch et Grüber, sect. III, part. XI, 1838, p. 304.

[2] *De Genes. ad litt.* VIII, 1. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 371.

[3] *Wo lag das Paradies?* p. 44.

[4] *In Daniel.*, X.

[5] *De paradiso terrestri quis et qualis fuerit, vel sit* inter alios fuse disserit SUAREZ (l. III, *De hom. creat. ac statu innoc.*, c. 6). Cf. et Calmet necnon Cornelium a Lapide, et exegetas optimi nominis passim.

[6] *De pecc. orig.*, l. II, c. 23.

[7] *In Gen. Homil.* XIII, n. 3. - *P. G.*, t. LIII, col. 108.

[8] *Hexaem.*, l. I. - *P. L.*, t. XCI, col. 43. Qui Ven. Beda textus recurrit ad verbum apud Rabanum Maurum, *Comm. in Gen.*, l. I, c. XII. – *P. L.*, t. CVII, col. 476. Non ideo tamen recusandae sunt ingeniosae interpretationes allegoricae, quae, v. gr., apud Origenem recurrunt, at cum fundamento sensus realis. « Qui per divinum bapti- « sma renascuntur, in paradiso ponuntur, hoc est in Ecclesia, ut operentur quae intus « sunt, et accipiunt mandatum ut omnes fratres diligant, ac fructum, qui ex patien-

Et sane id prorsus exigit minutissima descriptio in qua occurrunt nomina quae adhuc hodie optime agnoscuntur, unde apparet, et alia, obscura nobis, tum scribenti tum illis ad quos scribebat, fuisse aequaliter nota. Quantacumque igitur nunc adesset difficultas locum Paradisi circumscribendi,[1] non inde prostaret ratio de eiusdem historicitate dubitandi.

Sit igitur de hoc argumento brevis, per indole nostri tractatus, inquisitio

Dissertatiuncula de situ Paradisi terrestris.

Antequam ad hoc problema accedamus, iuvat aliquid de ipso nomine huius loci breviter praemittere.[2]

Vox *paradisus*[3] origine persica *pairidaēza,* a Xenophonte aliisque scriptoribus in linguam graecam παράδεισος transplantata, significat non hortum qualecumque, sed hortum deliciarum; unde in hebraico vocatur non simpliciter גַּן, sed גַּן עֵדֶן;[4] quo sensu et in aliis Scripturae locis sumitur.[5] De distinctione inter Paradisum et Eden nonnulla infra dicemus.[6] Ipsa vox Eden assyricae originis esse videtur. Babylonica enim planities vocabatur sumerice *Edin,* quod nomen Semitae in has regiones ingressi transformarunt in *Edinu.* Assyrice aequivalet nomini *Zeru*, arabice *Zor,* quo adhuc vocabulo designatur depressa terra interiacens Tigrim inter et Euphraten.[7]

a) Iam vero, prima determinatio quae iuvat ad situm Paradisi inquirendum est brevis locutio: « Plantaverat autem « Dominus Deus Paradisum voluptatis mik-quédém ».[8] Quam

« tia provenit, edant, sicut dictum est: " Ex omni ligno, quod est in paradiso, esca « edes ,, » (*In Genes.,* ad hunc loc. - *P. G.,* t. XLI, col. 99. - Cf. et alium locum, modo allatum).

[1] Cl. LAGRANGE O. P. quaestionem censet insolubilem (*Rev. Bibl.,* juillet 1897).

[2] De aliis sensibus voci paradiso in Scripturis et in traditione sive usu christiano datis, in fine aliquid addemus.

[3] Plura de ipsius vocis significatione lege apud eruditum VIGOUROUX, *Paradis. Dictionn. de la Bible,* l. IV, 1 p., col. 2119 sq.

[4] Cf. III, 34.

[5] Cf. CANT., IV, 13; ECCLI., XL, 18; II ESDR., II, 8.

[6] In *Corpore* huius art.

[7] Cf. VIGOUROUX, *Paradis terrestre* (op. cit. col. 2120).

[8] V. 8.

ultimam locutionem Vulgata editio vertit « a principio ». Sed in *Genesi* haec locutio semper adhibetur in sensu locali et non temporali.[1] Quare intelligenda est de situ Paradisi ad Orientem Palestinae, nam auctor ad incolas huius regionis dirigebat sermonem. Hinc, iuxta S. Chrysostomum aliosque, hortandi sunt Christiani ut orantes sese ad Orientem convertant, ad recolendum innocentiae Paradisum a quo humanum genus per peccatam est expulsum, atque ad caelestem patriam toto corde anhelandam, verum aeternumque Paradisum, cuius ille terrestris Paradisus fuit typus et imago.[2] Utrum intendi possit, ad Orientem Babyloniae, mox inquiremus. Unde per hanc locutionem iam excluduntur sententiae quae Paradisum in variis Americae aut Europae regionibus collocant.[3]

b) Alia determinatio consistit in modo quo unicus Paradisi fluvius dicitur in quatuor deinde flumina fuisse divisus. Quae successio non intendi debet localis, sed potest intelligi temporalis, ita scilicet ut aquae quae Paradisum irrigabant, post magnam quamdam telluris commotionem[4] factae sint principium quatuor fluminum, nunc quatuor regiones irrigantium. Unde, praesertim ex magna inter duo istorum fluminum vicinitate, coniectura prope iacet, alia duo flumina non fuisse longe distantia, Paradisumque fuisse quemdam locum centralem.[5]

c) Maxima autem determinatio obtinetur per nomina et descriptionem fluminum: Phison, « ... qui circuit terram Hevilath ... », Gehon, « ... qui circuit terram Aethiopiae »; Tigris, « ... qui vadit contra Assyrios ... », et Euphrates. De ultimo utpote Hebraeis notissimo, Moyses nihil addit; de

[1] Cfr. GENESIUS, *Thesaurus*, p. 1193-1194, necnon HUET, *Traité du Paradis terrestre*, III, 4.

[2] Cf. CORN. A LAPIDE in hunc versum.

[3] Sane non est ad Orientem situs polus nordicus, in quo Paradisum situm fuisse propugnant W. F. Warren (*Paradise Found*, London, 1885) et germanicus astronomus Köhl.

[4] Talis potuit v. gr. per diluvium produci (Cf. KAULEN, op. cit., col. 1458). Milton fingit fontem communem in abdita sese praecipitasse, indeque in forma quatuor fluminum reapparuisse (op. cit., l. IV).

[5] Ad hunc fontem unicum alludit propheta Ioël (III, 18); cui loco respondet illud *Apocalypsis* (XXII, 1): « Et ostendit mihi fluvium aquae vitae splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni ».

tertio magis pariter noto, pauca addit; plura vero de aliis duobus a quibus, utpote forsan a remotioribus, exorditur.

Iam inquiramus de situ huic determinationi respondente.

Antiqui inde, a Iosepho, confundentes Aethiopiam africanam cum regione Chus quae hic Aethiopia vertitur,[1] intellexerunt flumen Gehon eumdem esse ac Nilum; pariter terram Hevilath cum India identificantes, Phison putaverunt eumdem ac Gangen. Hinc quatuor flumina Paradisi sunt Ganges, Nilus, Tigris, Euphrates. Ita plures scriptores sacri, uti Eusebius,[2] S. Hieronymus,[3] S. Ambrosius,[4] S. Augustinus,[5] S. Ephrem.[6] Quin et huic enumerationi non defuit altior sensus anagogicus; haec enim flumina figurant quatuor virtutes cardinales: Ganges, prudentiam; Nilus, temperantiam; Tigris, fortitudinem; Euphrates, iustitiam. Sed haec sententia, ab geographicis procedens erroribus, non amplius hodie iuvat nisi ad eruditionem.

Missis proin hisce interpretationibus aliisque quas in media aetate nonnulli scriptores tradiderunt, uti Hugo Victorinus, Magister, Rabanus, Rupertus,[7] iam accedamus ad modernas sententias quae maiorem aliquam sibi probabilitatem aut saltem auctoritatem vindicant.

1) Primo loco, utpote litterae narrationis mosaicae magis consona, nobis afferenda videtur sententia quae paradisum terrestrem collocat in *Armenia*. Convenire Tigrim et Euphraten quorum origo nonnisi parum distat, est manifestum. Phisoni fluminis responderet Phares, qui scaturit a pede montis Ararat haud procul ab origine duorum aliorum. Proin terra Helivath, quam Phison percurrit, est Colchides illa famosa metallis lapillisque regio, quam, de aureo vellere inquirendo solliciti, petierunt Argonautae. Gehon demum esset classico nomine Araxes, arabico Djeichoun-er-Ras, persico Djûn. Scaturiens haud procul ab occidentali fonte Euphra-

[1] In eumdem errorem conducere poterat versio LXX loci Ieremiae (II, 18), in quo pro Šihôr (Nilo) habetur Γηῶν.

[2] *Onomastica sacra*, ed. P. de Lagarde, 1887, p. 251, 259.

[3] *De situ et nom.*, ad verbum *Gehon*. - *P. L.*, t. XXIII, col. 898.

[4] *De Paradiso*, III, 14. - *P. L.*, t. XIV, col. 280.

[5] *De Gen. ad litt.*, l. II, c. 10, n. 13. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 203.

[6] *Opera Syriac.*, t. I, p. 3. Qui simul Phison de Gange et de Danubio intelligit.

[7] Cf. CORN. A LAPIDE, ibid

tis, mare petit Caspicum, itaque Aethiopiam percurrit, non illam quam a stirpe Chus oriundi postea in Africa erant habitaturi, sed quam prius incolebant.

Unum deest: quatuor fluminum origo communis. Sed hic[1] prostat hypothesis telluricae commotionis superius suggesta. Caeterum haec difficultas non tollit vim aliarum rationum quae in favorem huius sententiae militant. Optime Vigouroux: « Quoi qu'il en soit, la *Genèse* en plaçant l'Eden aux « sources de l'Euphrate et du Tigre, nous indique naturel- « lement l'Arménie comme site du Paradis terrestre ».[2]

Consonat huic sententiae traditio apud Armenos popularis, quae collocat Eden in oasi Ordubâd sub Djulfa ad ripam sinistram Aras.[3] Consonat quoque mirabilis huius regionis ubertas.

2) Sed et alia est sententia sive hypothesis non tacenda, quae Eden potius collocat in *Babylonia*. Quae hypothesis a Calvino inducta, dein a pluribus accepta scriptoribus, uti Iosepho Scaligero, Lovaniensibus, Huetio, nuper accepta fuit et doctius exposita a Delitsch,[4] qui, suam faciens hypothesim emissam ab Henrico Rawlinson,[5] censet situi paradisi respondere locum dictum Kar. Dounias (hortum dii Dounias), aquarum ubertate tellurisque fertilitate mirabilem. Difficultatem ex quatuor fluminibus motam Calvinus[6] solverat dicendo, duo esse flumina Tigrim et Euphraten quae tamen bina diversa ferunt nomina ante et post suam coniunctionem

[1] Adde explicationem iam ab antiquis suggestam. Censet Augustinus « ea flumina, « quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi esse sub terras, et post tractus prolixarum « regionum, locis aliis erupisse, ubi tamquam in suis fontibus noti esse perhibentur. « Nam hoc solere aquas facere quis ignorat? » * Similia et apud Theodoretum occurrunt. **

[2] *Paradis terrestre,* op. cit., col. 2123. Cf. omnes fontes ibi allatos. Huic sententiae adhaerent inter alios modernios Dr. Hoberg *** et P. Hetzenauer. ****

[3] Cf. H. Brugsch, *Reise der K. preussischen Gesandtschaft nach Persien.*

[4] Op. cit., p. 45-83.

[5] *Report of the fourteenth Meeting of the British Association for the advancement of science*, Liverpool, p. 173.

[6] *Commentarius in Genesim*, II, 14.

* *De Gen. ad litt.* l. VIII, c. 7. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 378. Candide fatetur S. Doctor: « Locus ipse Paradisi a cognitione hominum est remotissimus » (Ibid.).

** Qq. XXIX *in Gen.*

*** Op. cit., p. 36 sq.

**** *Theol. bibl.*, t. I, p. 24; *Comm. in Gen.*, pp. 52-55.

in unum.[1] Sed, uti bene monet Vigouroux,[2] haec explicatio duplici laborat vitio: primo vix concordat cum texto sacro, dein falso supponit antiquam esse novam bipartitionem gemini fluminis in Persicum sinum sese immittentis. Melius Delitsch intelligit Phison et Gehon de canalibus Pallocapa ad Occidentem, percurrente Syriae desertum olim auro dives, et Aratha lambente ruinas antiquae civitatis Erech.

Alii, uti Sayce et Jensen, conveniunt cum Delitsch quoad regionem Babyloniae, non autem quoad loci praecisam determinationem, quam Sayce censet fuisse in Eridou, urbe sacra Eae, hodie Abou-Sharein, qui locus olim teste vetusta inscriptione vocabatur « os fluviorum »,[3] Euphratis scilicet et Tigris. Qui Sayce aliter solvit difficultatem.[4] Etenim haec flumina, quorum duo nomina reperiri non potuerunt in vetustis documentis, ora habebant in sinu Persico, qui ob aquas sale refertas quas in ipsas terras immittebat poterat ab antiquis, veluti fons communis horum fluminum haberi. Longius sane petita explicatio. Etenim loco quatuor fluminum quae ab Eden exeunt, haec hypothesis dat duo flumina quae in Eden influunt, nec duo alia reperit.[5]

Nihilominus haec sententia inde aliquam speciem sibi vindicat, quod in traditionibus Babylonicis plura vestigia remanent Hebraicis traditionibus consona, uti demonstrat

[1] Unum fontem ex ista coniunctione esse intelligendum, his verbis suggerit Pereira: « Cum Tigrim et Euphratem liquido constet ex diversis fontibus oriri, quod « Moyses inquit eos dimanare ex unico flumine quo rigabatur Paradisus, non aliter « videtur intelligi posse quam ut per unum illud flumen significetur locus ille in « quo Tigris et Euphrates mixtis aquis simul coëunt et aliquantisper unius fluminis « instar se habent ».* Pereirae sententiae adhaeret Cl. Murillo: « La porcion de estos « dos rios que así separados en su curso final corren á desembocar en el golfo persico « nos da dos de los cuatro rios que segun el texto mosaico arracaban del rio del « Eden ». De aliis duobus fluminibus addit: « El Pisón y el Gehón estarán formados « por dos nuevas derivaciones que vuelven á segregarse ó de solo el Eufrates ó de « solo el Tigris, ó una del primero y otra del segundo, en lo que todavía les resta « de curso hasta el mar ».** Candide tamen fatetur in fine, hanc Pereirae sententiam non carere difficultatibus.

[2] Loc. cit., col. 2124.

[3] *Die Cosmogonie der Babylonies*, Strasburg, 1890, p. 213.

[4] *The Higher Criticism and the verdict of the monuments*, p. 95-100.

[5] J. B. F. Obry, *Du berceau de l'espèce humaine*, p. 12.

* *Comment et Disput. in Gen.*, l. III (t. I, p. 349).

** Op. cit., p. 278. Lege hanc integram expositionem.

illa tabula in Till-el-Amarna reperta, nunc Berolini prostans, in qua mythus primi hominis Adapae nonnihil habet quod Adami historiam evocat,[1] adsunt variae repraesentationes arboris vitae in medio paradiso collocatae,[2] nec imo deest traditio de quatuor paradisaicis fluminibus.[3] Unde spes enata erat fore ut in tabulis cuneiformis traditionem de primi hominis in hisce regionibus habitatione expressam invenissent. Sed eventus hucusque hanc spem non confirmavit.

Anno 1913 D. Langdon tabulas reperit collectionis Nippur, nunc in musaeo universitatis Pensylvaniensis asservatas, in quibus, iuxta mythum sumerianum describitur Paradisus situs in Monte Dilmun,[4] veluti in quodam Olympo, ad orientalem plagam sinus Persici. Quo in Paradiso homo vivebat « absque culpis, liber a morbis et senectutis expers ».[5]

3) Nec tacenda est sententia, etsi nostro iudicio longe minus probabilis, quae Paradisum terrestrem collocat in *India*, in media alta planitie Pamir. Quam sententiam fuse exposuit Obry,[6] auctoritate suffultus librorum sacrorum quae antiquam Indorum traditionem exhibent. Hic quidem auctor

[1] Cf. Sayce, op. cit., p. 98,

[2] Cf. Vigouroux, op. cit., loc. cit., col. 2125 sqq.

[3] Cf. M. F. Hommel.

[4] Frequens est haec collocatio Paradisi in loco excelso, uti ex sequentibus textibus apparet:

« Paradisus deliciarum eminet omnibus montibus et vicinus est caelo » (*Cod. Ambros.*, m. 79, f. 248). « De hoc Paradiso Mathaeus * apostolus dicit: " Paradisus « deliciarum ubi Adam fuit, omnibus montibus altior, vicinus caelo, et ibi non habet « quod saluti hominis nocet ,, » (*Cod. Vatic.*, Reg. 71, f. 50-v.) « Paradisus voluptatis « id est delectationis est excelsior cunctis montibus, vicinus lunari circulo » (*Cod. D.*, 204: *Capit. S. Petri in Vatic.*, saec. xi, Glossar. Bibl. Straboni adscriptum, f. 4, v.). Et, f. 908-r. altera manu scriptum: « Quare dicitur Paradisus? Paradisus est qui« dam mons et locus in Orientis partibus constitutus et vicinus lunari circulo, ubi « limphae diluvii ascendere nequieverunt. ... ». **

Ratio huius collocationis in excelsis desumi potest vel ex quatuor fluminibus quae a Paradiso, veluti ex alta planitie, defluere describuntur: vel ex praefiguratione Paradisi caelestis. ***

[5] *Proceedings of Biblical Archeology*, 1914, vol. 36, p. 254.

[6] Op. cit., p. 100.

* F. 49-v: « Item Isidorus dicit: " Paradisus est locus in Orientis partibus con« stitutus ,, ».

** Poëta Milton quoque Paradisum uti locum excelsum describit libr. iv.

*** Adde et maiorem pulchritudinem quam habent prospectus e loco excelsiore vasta telluris marisque spatia dominantes.

non identificat Phison cum Gange, id autem facit Ewald.[1] Benfey[2] et Renan[3] Phison et Gehon censent esse Indum et Oxum, quibus hac in re subscribit et Lenormant.[4] Sed, ut iterum utar verbis Vigouroux, « ces identifications sont « inconciliables avec le récit génésiaque. Singulier paradis « terrestre que celui de Pamir! Les rares voyageurs qui « l'ont visité[5] nous le représentent comme un des endroits du « monde les plus inabitables, à cause de sa température ».[6]

Omnibus itaque perpensis, probabilior videtur opinio quae Paradisum terrestrem in partibus Armeniae collocat.[7]

***

Sed, praeter sensum historicum alii plures dantur, de quibus superest ut nonnihil dicamus.[8] Tripliciter autem potest considerari Paradisus, secundum quod refertur ad *statum praesentem* lapsus, vel ad *beatitudinem caelestem*, vel ad *ordinem gratiae*.

1) Quatenus confertur cum *praesenti statu*, Paradisus est figura amissae felicitatis, unde nil mirum, reparationis opus, sive in via, sive in termino, cum Paradiso comparari. Ita

[1] *Geschichte des Volkes Israels*, 2 ed., t. 1, p. 376 sq.

[2] Art. *Indien-Algemeine Encyclopaedie*. Ersch et Grüber, II sect. t. XVII, p. 13 sq.

[3] *Histoire générale des langues sémitiques*, 1863, t. I, p. 476-478.

[4] *Origines de l'histoire*, t. II, de art. 1.

[5] Cf. G. Bonvalot, *Du Caucase aux Indes à travers le Pamir*, p. 291-355.

[6] Op. cit., col. 2123. Praetermitto explicationem suggestam a P. de Hummelaner, * cui partim adhaeret D. Riessler ** quae procedit a significatione ostii data voci ראשׁ et diffusionis voci פרד. Haec enim explicatio non videtur cum textu Mosaico convenire. Aliud enim longe est quod quatuor fluvii e communi fonte effluant; aliud, quod se in communem lacum effundant. ***

[7] De traditionibus quoad Paradisum, cf. inter alios Geikie *Hours with the Bible*.

[8] Similiter Ierusalem, historica civitas David, est simul typus Ecclesiae, eiusque centri Romae, et maxime civitatis supernae iuxta Dedicationis hymnum: « Urbs Ierusalem beata, dicta pacis visio, – quae construitur in caelis, vivis ex « lapidibus ». Quemadmodum e regione Babylonia est typus civitatis contra Christum et Ecclesiam eius extructae, cuius Apostolorum tempore Romanum imperium erat crudele instrumentum. Hinc tam pulchra illa verba Augustini: « Babylonia te « portat, Babylonia te continet, Babylonia te nutrit, Babylonia tibi loquitur: non « potes capere nisi quod fulget ad tempus, aeterna meditari ignoras, spiritualia non

* *Comm. in Ger.*, p. 135-138.

** *Theol. Quart.*, 1908, 2, p.

*** Cf. *Murillo* (op. cit., p. 280).

Paulus raptum se dicit in Paradisum,[1] ita visiones *Apocalypsis* saepe alludunt ad Paradisum figurativum, iuxta illud: « Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in medio « Paradisi ».[2] Hinc Tertullianus Paradisum nominat « locum « divinae amoenitatis recipiendis sanctorum spiritibus desti- « natum ».[3]

Hinc auctores solent caelestes delicias a Paradiso terrestri eiusdem figura describere: « Civitas caelestis, ait Cas- « siodorus, mansio secura, patria totum continens quod dele- « ctat; populus sine murmure, incolae quieti, homines huma- « narum rerum indigentiam non habentes. Ibi nullum avida « molestat esuries, nullum morbida aegritudo consumit, nul- « lam probatur liberam erubescere nuditatem, nec quemquam « gravia frigora contristant, nec aestus anhelum corpus exu- « rit, nullus reparatores appetit somnos, ubi nemo cogno- « scitur esse lassatus. Omnia blanda, omnia suavia, cuncta « tranquilla;[4] quando et ipse mundus noxiam deponens intem-

« capis. O homo, plenus es malis cupiditatibus, quomodo vis ut intelligas bona de « caelesti Ierusalem ? ». *

Sane si, uti superius vidimus lignum vitae fuit figura Eucharistiae, ipse Paradisus fuit figura Ecclesiae. Unda de Ecclesiae futuris temporibus canit Milton:

For then the Earth
Shall be all Paradise, far happier place
Than this of Eden, and far happier days. **

Imo in anima protoparentum poenitentium iam canit Paradisum instauratum:

then wilt thou not be loth
To leave this Paradise, but shalt possess
A Paradise within thee, happier far. ***

Quemadmodum Satan, intuens amorem quo Adam et Eva innocentes iungebantur, hunc vocaverat « the happier Eden ». ****

[1] II Cor., XII, 4.

[2] *Apoc.*, II, 7.

[3] *Apol.*, c. XLVII. - *P. L.*, t. I, col. 520.

[4] Haec verba insinuant auctorem descriptionis paradisiacae ex Cod. Ambros, M. 79 (saec. X?) textum Cassiodori prae oculis habuisse. Etenim in eo legitur: « Omnia ibi blanda sunt, omnia mansueta, omnia quieta » (f. 248). De quo fragmento, sicut et de alio ex Cod. Vatic., Reg. 76 (saec. IX-X) doctam dissertationem prae oculis habuimus Rmi Abbatis Ambrosii Amelli, mox, uti speramus, luci dandam.

* *In psalm. CXXXVI*, 9-11.

** Op. cit., l. XII.

*** Ibid.

**** Op. cit., l. IV.

« periem, habebit saluberrimam perpetuis saeculis unitatem. « Erit illic dies continua et serenitas aeterna. Sol ibi quidem « nulla nube fuscatur, sed omnia de auctoris gratia plus « lucebunt. Ibi cum beatis splendor mentis est, et lumen intel- « ligentiae, ut ipsum, sicut in maiestate sua est, mereantur « conspicere Creatorem ».[1]

Quem sensum liturgia sacravit, imprimis in pulcherrimo illo exequiarum cantu: « In Paradisum ».

2) Quatenus autem Paradisus terrestris confertur cum *beatitudine gloriae,* erat utique locus felix, nondum tamen felicitate plenus; erat locus expectationis, a quo fieret transitus ad beatitudinem aeternam. Proinde valde pronum erat cum Paradiso terrestri conferre locum illum « in quo ani- « mae Sanctorum ante Christi Domini adventum excipie- « bantur, ibique sine ullo doloris sensu, beata redemptio- « nis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur ».[2] Est ille quippe sinus Abrahae de quo agitur in parabola Lazari et epulonis.

Qui sensus erat apud populum Iudaicum tempore Christi receptus ut apparet ex *libro Enoch.*[3] Hoc sensu probabilius Christus de Cruce dixit latroni ad se converso: « Hodie mecum eris in Paradiso ».[4] Utrum hic sit quoque locus in

[1] *De Anim.*, c. XII. - *P. L.*, t. LXX, col. 1303 sq. Hinc celebres Flandricae scholae pictores Hubertus et Ioannes van Eyck, in mirabili tabula cui titulus *Adoratio Agni,* summa cura in Gandavensi cathedrali asservata, Apocalypticam scenam in medio Paradiso deliciarum repraesentant.

Hinc et Vondel, in sua iam saepius laudata tragaedia, fingit Adamum et Evam post nuptiale festum, in quo Angeli sub umbra ligni vitae mensam pararant choreasque egerant, veluti in extasi raptos, delicias superni Paradisi longe sublimiores introspicere atque vicissim celebrare. Unde Adam excitat Evam ut, mutuo ducti amore, altiorem in dies gradum ad hanc summam felicitatem conscendant:

Laat ons, van dag tot dag, een' trap ten hemel winnen,
En steigeren van 't laagste in 't oppertste geluk. *

Quam felicitatem iam Angeli praecantarant:

Gezaligd paar in 's aardrijks hoven
Verwacht een schooner hof daarboven! **

[2] *Catech. Rom.*, 1, 6, 3.

[3] AD. LODS, *Le livre d'Enoch,* Paris, 1892.

[4] LUC. XXIII, 43.

* Op. cit., IV, v. 1001 sq.

** Op. cit., I, v. 297 sq.

quem Enoch translatus fuisse dicitur,[1] controversia est, cuius penitior investigatio spectat potius ad tractatum *De Novissimis*.

Haec interpretatio Paradisi tamquam felicis loci expectationis magis adhuc urgebatur ab illis theologis qui, ante Concilii Florentini hac de re definitionem, putabant, visionem divinam, etiam in Novo Testamento differri usque ad corporum resurrectionem.[2]

3) Nec tacendus est sensus mysticus ad *ordinem gratiae* pertinens. Si enim Paradisus est locus in quo Deus sibi complacet cum homine gratiarum divitiis adornato, nullus Paradisus deliciis maioribus affluens beata anima Christi, iuxta vocem Patris: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui ».[3] Unde S. Bonaventura in Paradisi flumine figuram invenit gratiarum e SSmo Corde Iesu manantium: « Ibi os appone, ut haurias aquas de fontibus Salvatoris. « Hic enim est fons egrediens de medio Paradisi, qui in corda « devota diffusus, foecundat et irrigat universam terram ».[4] Post Christum apparet nobis Maria mysticus Paradisus, « Hortus conclusus » ab ipso Eden figuratus. Cuius odores exquisitos Ecclesia in Cantico reperit celebratos: « Emissiones tuae Paradisus, o Maria ». De quo S. Ioannes Damascenus ait: « Ad hunc Paradisum serpens aditum non habuit ».[5]

[1] Eccli., xliv, 16. S. Hieronymus (*In Amos.*, ix). et S. Ambrosius (*Lib. de Paradiso*) verba « in Paradisum » interpretantur de caelo; S. Thomas autem (iii, Q. xlix, a. 5, ad 2m) de Paradiso terrestri intelligit. Sed textus hebraicus non habet verba « in paradisum », quae nec in textu graeco leguntur; unde scriptores graeci, uti S. Ioannes Chrysostomus (*Hom. XXI in Genes*, 4), et Theodoretus (*Quaest. in Genes*, interrog. 45) non determinant locum in quem Henoch in pietatis mercedem fuit a Deo translatus.

[2] Proxima huic spirituali, symbolicae intellectioni est nomen *paradisi* datum in media aetate atriis, maxime porticu adumbratis, quae parabant ingressum in ecclesias. Cuius aediculorum generis exemplar celeberrimum prostat in abbatia S. Mariae ad Lacum, in provincia Rhenana Germaniae, adhuc hodie « das Paradies » nuncupatum.

Vox gallica *parvis*, per corruptionem « Parwisch » ex hac forte appellatione deducitur.

[3] Math., iii, 17. Inde singularem complacentiam se Christus in Sanctorum animis invenire, non semel declaravit. Ita in festo S. Gertrudis canitur: « In corde « Gertrudis invenietis me, complacuit sibi in eo anima mea ».

[4] *In libr. de ligno vitae.*

[5] *Orat. 2 de Nativ. Mar.* Cf. *Orat. 2 de Dorm. B. M.* · Cf. orationem S. Alphonsi de B. V. M. immaculate concepta (*Le glorie di Maria*, part. ii, disc. 1).

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* A significatione symbolica transit ad aliquem locum corporalem. Si tamen contendas corporalem locum alicubi esse, in quo revera conditus sit Enoch, quis id absolute negare poterit? Quid imo impediret Enoch et Heliam esse in vero beatorum caelo, quin tamen Deum videant, vel ad summum quin a debito semel moriendi solvantur?

2ª Obi. Textus hebraicus *inde* וַיִּכְּשֵׁם sumendus est, uti iam diximus, in sensu successionis non localis (ex qua posset difficultas moveri contra sensum litteralem totius) sed temporalis. Praeter explicationem S. Thomas per communicationem subter terram, [1] quae parum probabilis videtur et nullo facto comprobatur, prostat et alia explicatio: perturbatio scilicet per cataclysmum producta. Caeterum in initio poterat dari coniunctio, quin primaevi huius fluviorum status vestigia supersint. [2]

3ª Obi. Confer dicta superius de inventione scientifica huius primaevi paradisi.

4ª Obi. Confer dicta superius de significatione spiritali huius ligni.

5ª Obi. Augustinus loco citato, ita habet: « Num ergo « (Deus) aliud eis (Adamo et Evae) tunc (die de qua I, 29) « dedit, aliud nunc (II, 9) dare voluit? Non opinor, sed cum « ex his generibus sint ista ligna instituta in paradiso, quae « iam terra tertio die produxerat, adhuc ea produxit in « tempore suo: quia tunc scilicet quod scriptum est, ea « produxisse terram, causaliter factum est in terra: hoc est, « quia tunc ea producendi virtutem latenter acceperat, qua « virtute fit ut etiam nunc, talia terra praegignat in mani- « festo atque in tempore suo », etc.

Altera opinio heic allata de recapitulatione magnam probabilitatem habere videtur.

Sed contra est. Legenda prima pars l. VIII de *Genesi super Litteram,* ubi Augustinus perpulchre sententiam suam vindicat.

In Corpore. Adverte lectionem Vulgatae II, 8 non omnino accurate hebraicum textum reddere. Nam: *a*) גַּן בְּעֵדֶן ver-

[1] Cf. textum similem Augustini superius allatum.

[2] Hanc possibilitatem non videtur satis prae oculis habuisse laudatus Kaulen.

tendum est: « hortum seu Paradisum *in Eden* ». *b*) מִקֶּדֶם vertendum est non in sensu temporis, sed loci, id est *ab Oriente* (cf. קִדְמַת עֵדֶן ad orientalem plagam Eden).[1] Ex quo habes, non confundenda esse Eden et Paradisum.[2] Paradisus erat pars Eden. Eiectus de Paradiso, nondum ideo fuit homo eiectus de Eden. Unde iam apparet misericordiae consilium. Sed Cain, figura reprobationis, de ipso Eden expulsus videtur.

Recte igitur vertit Augustinus: « Et plantavit Deus Para- « disum in Eden ad Orientem » (Lib. VIII in initio), sed illud Eden vertit (c. III) « in deliciis »; adiungens subito: « hoc est enim in Eden ». Unde facilis fuit transitus ad versionem vulgatam: « Paradisum voluptatis ». Putamus nihilominus sensum esse localem, idque suadetur per comparationem inter[3] גַּן בְּעֵדֶן, et לְגַן עֵדֶן.[4] Si prior locus non significaret *in Eden*, locali significatione, non apparet ratio cur non adhibita fuisset altera locutio. E contra autem, dato quod iam sit determinata positio Paradisi in Eden, iam potest Paradisus optime vocari Eden.

Ratio autem cur haec regio vocata sit *Eden*, erat abundantia deliciarum quibus gaudebat. Regionis autem nomen fuisse, aperte constat ex IV, 16: « Egressusque Cain « a facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem « plagam Eden ».[5]

Haec vera lectio magis manifestam reddit ab initio indolem historicam totius narrationis, quum historicus exordiatur exponendo quo in loco fuerit situs ille Paradisus de quo loqui intendit.

Quae S. Thomas habet in secunda parte huius *Corporis*

[1] Gen. IV, 16.

[2] Recte Hoberg: « Da " Eden „ also nomen proprium ist und der " Garten „ « in " Eden „ gelegen war, so folgt daraus dass er im topischen Sinne mit Eden « nicht identisch ist, sondern nur einen Teil davon bildete » (Op. cit., pag. 31).

[3] II, 8.

[4] III, 24.

[5] Septuaginta vertunt in terram Naïd. S. Hieronymus vocabulum in sensu adiectivo intellexit. Quo sensu etiam Rabbini censebant Cain uti profugum in terra quacumque habitasse. Loco « ad orientalem plagam » LXX vertunt « κατέναντι, « e regione », quod situm non tantopere determinat, at nihilominus eiectionem ex Eden pariter confirmat.

conformia sunt duplici significationi Orientis: significat enim in hebraico tum partem caeli a qua venit lux, tum principium a quo aliquid procedit. Caeterum vidimus, locum Paradisi utpote centralem, fuisse optime electum a quo genus humanum in continentia sese diffunderet.

Quae autem in hoc articulo iuxta scientiam naturalem mediae aetatis exposita sunt, quisquis facile discernet.

ARTICULUS II.

UTRUM PARADISUS FUERIT LOCUS CONVENIENS HABITATIONI HUMANAE.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Convenientia paradisi desumenda est a sua proportione ad statum hominis innocentis. Qui status potest considerari vel *a*) *negative*, quatenus nondum erat status termini; vel *b*) *positive*, quatenus erat status tum α) immortalitatis relativae, tum β) absentiae cuiusvis mali. Haec Paradisi convenientiae applicata synthetice praesens quaesitum complectuntur.

2) Etenim ratione *a*) oportebat hominem terrenum collocari in Paradiso terreno, usquedum consummaretur eius probatio et fieret homo *spiritualis*, cui conveniret locus beatitudinis caelestis.

Ratione *b*) debebat esse paradisus α) locus aptus servandae integritati corporis ab influxu mortalitatis; β) locus amoenitate plenus, a miseriis ac molestiis liber.

Primum paradisus praestabat felici aëris temperie, ac magis adhuc optimis lignis, lignoque imprimis vitae; alterum vero ubertate deliciarum quas loci celsitudo,[1] prospectus vastus – in ipsum mare se protendens – ubertas florum, opacae ad umbram sylvae, aviumque dulcissimus cantus, congerere possunt ut felicem homini habitationem efforment.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non considerat dicta n. *a*.

2ª Obi. Procedit per separationem duplicis illius elementi quo constat homo, et quod tantopere hoc in statu unum

[1] Commentatores passim Paradisum in alto loco collocant.

arctissime coniunctum efformabat, ut corpus et anima potuissent nunquam ab invicem separari.

3ª Obi. Gratuito supponit, nullam inde Paradiso utilitatem advenisse, ex eo quod non nisi per breve tempus homini inservierit. Servivit de facto per hoc tempus; serviebat destinatione in tempora longiora; servivit et monitione post exclusum hominem. Quod additur de Enoch et Helia vix probabile censetur. Vide dicta superius.

4ª Obi. Experientia constat frigore et nimio calore depulsis, amoenissimas, adhuc prostare Armeniae partes. Coeterum α) in hominis innocentis temperamento maior fuisset robur contra aëris intemperies; β) non deerant in Paradiso densissimae umbrae contra solis ardorem efficaces; γ) aura lenis mitigabat meridianum aestum. [1]

Sed contra est. Si iam ipsum Eden erat terra voluptatis, quanto magis centrum eius et cor? Corroboratur ex hoc quod commissa culpa homo Paradiso sit exclusus; in quo poena non fuisset, nisi congruentia specialis extitisset inter hominem innocentem et hunc hortum. – Indé in Scripturis describitur tamquam a Deo specialissima cura conditus.

In Corpore. Argumento huius *Corporis* adde quae de efficacia ligni vitae superius diximus.

Corollarium. – Ex dictis in his duobus articulis apparet quanta fuerit Dei ergo hominem innocentem complacentia quantaque innocentis hominis felicitas; ac per consequens quantam ruinam tanta rupta amicitia reliquerit. Praedulce hoc commercium Deum inter et hominem innocentem, pulcherrime ita describit venerabilis Dei serva Maria Salesia Chappuis: « Le désir du Créateur était de faire tout à l'homme, « afin qu'il vécût heureux. L'homme devait vivre sans souci; « Dieu faisait tout, ordonnait tout. [2] Sa vie devait être heu- « reuse, rendant grâces à son Dieu continuellement, com- « municant avec Dieu facilement, regardant toujours Dieu, « faisant du bon Dieu son seul bonheur. Quoique entouré « des biens de Dieu, l'homme restait très lié à Dieu, ne

[1] Cf. *Gen.*, III, n. 8

[2] Erat enim perfecta adimpletio petitionis: « Fiat voluntas tua sicut in caelo et « in terra ».

« partageant son cœur avec aucune chose, parce que son « cœur était droit; pour cela il restait à son Créateur. Le « faux n'entrait pas en son cœur, parce que l'esprit du « Seigneur l'éclairait, le dirigeait... Le Seigneur aimait à « traiter avec l'homme, parce que son Cœur l'avait fait à « son gré. La communication était bienfaisante à Dieu [1] et « à l'homme; c'était la fin de la création. Après le péché « tout a changé; mais le besoin est resté au fond du Cœur « de Dieu [2] et au fond du cœur de l'homme ». [3]

ARTICULUS III.

UTRUM HOMO SIT POSITUS IN PARADISO UT OPERARETUR ET CUSTODIRET ILLUM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Antequam ad discutiendum sensum *Geneseos* II, 15, accedamus, iuvat praelibare quae de *labore* in Paradiso necnon de eiusdem *custodia* pulchre disserit Augustinus. [4]

a) « Videamus itaque quid sit quod dictum est: ut ope- « raretur et custodiret. Quid operaretur et quid custodiret? « Numquid forte agriculturam Dominus voluit operari pri- « mum hominem? An non est credibile quod eum ante « peccatum damnaverit ad laborem? Ita sane arbitraremur, « nisi videremus cum tanta voluptate animi agricolare quos- « dam, ut eis magna poena sit inde ad aliud avocari. Quid- « quid ergo deliciarum habet agricultura, tunc utique longe « amplius erat, quando nihil accidebat adversi, vel terra, « vel caelo. Non enim erat laboris afflictio sed exhilaratio « voluntatis, cum ea quae Deus creaverat, humani operis

[1] Eo scilicet sensu quo creatura destinatur in gloriam accidentalem Dei, iuxta dictum S. Petri: « ut in omnibus honorificetur Deus) ». (I Petr. iv, 11).

[2] Hinc mirabile Incarnationis opus.

[3] *Pensées sur la bonté de Dieu.*

[4] De toto hoc argumento Hoberg unice dicit, haec verba saepius conduxisse ad falsam apprehensionem operositatis cui Adam erat in statu originis adductus. Et inter illos falsos interpretes citat Cornelium a Lapide sententiam Scholae afferentem et S. Chrysostomum: « Eine falsche Anschauung über die Arbeit des Menschen « im Urstand, hat sich oft geltend gemacht ». *

* Op. cit. pag. 38.

« adiutorio laetius feraciusque provenirent, unde Creator ipse « uberius laudaretur, qui animae in corpore constitutae ratio- « nem dedisset operandi, ac facultatem, quantum animo vo- « lenti satis esset, non quantum invitum indigentia corporis « cogeret.[1] Quod enim maius mirabiliusque spectaculum est, « aut ubi magis cum rerum natura humana ratio quodam- « modo loqui potest, quam cum positis seminibus, plantatis « surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis, tamquam « interrogatur quaeque vis radicis et germinis quid possit, « quid vero non possit; unde possit, unde non possit; quid « in ea valeat humorum invisibilis interiorque potentia, quid « extrinsecus adhibita diligentia: inque ipsa consideratione « perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui « rigat, sed qui incrementum dat Deus:[2] quia et illud operis « quod accedit extrinsecus, per illum accedit quem nihilo- « minus creavit et quem regit atque ordinat invisibiliter « Deus? ».[3] Et pergit S. Doctor evolvendo pulchritudinem novam Providentiae accedentem ex hoc quod per causas alias naturales, alias voluntarias cuncta disponat ac regat.

Et concludit: « Quid ergo abhorret vero, si credamus « hominem ita in Paradiso constitutum ut operaretur agri- « culturam, non labore servili, sed honesta animi voluptate? « Quid enim hoc opere innocentius vacantibus, et quid ple- « nius magna consideratione prudentibus ».[4]

Nec spernenda sane sententia S. Ioannis Chrysostomi, qui in praecepto operandi in Paradiso magnam bonitatem invenit Creatoris Adamum ab otii periculo retrahentis: « Ingentis et hoc providentiae est. Quoniam enim in « huiusmodi sedibus omni replebatur voluptate, et aspectus « iucunditate, ac laetitia inde parta fruebatur, ne ex nimia

[1] Bene Milton de hoc labore inter alia habet:

... after no more toil
Of their sweet gardening than sufficed
To recommand cool zephyr, and make case
More easy, wholesome thirst and apetite
More grateful... *

[2] 1 Cor., III, 7.

[3] Op. cit., l. VIII, c. 8. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 379.

[4] Ibid., c. 9. Ibid., col. 380.

* Op. cit., l. IV.

« felicitate homo insolesceret ». - « Omnem enim, inquit, ma-
« litiam docuit otium, - ideo praecepit Deus: ut operaretur,
« et custodiret illum. Quid autem, dices, illius cura egebat
« Paradisus? Non hoc dico; sed voluit tamen ut modicam
« curam gereret partim custodiendo, et partim operando.
« Si enim omni prorsus labore vacuus fuisset, ex nimio otio
« statim in ignaviam declinasset: at cum operationi sese
« daret sine dolore et molestia, temperantior esse poterat ».[1]

b) De imposita *custodia* Paradisi Augustinus fuse disputat, et quum non inveniat nec hostes nec bestias a quarum impetu vel invasione sibi caveret, putat hoc sensu Adamum custodire debuisse quod custodiendo seipsum, custodieret et illud unde neglecto praecepto divino expellendus erat.

Suggerit deinde aliam utriusque partis interpretationem referendo « illum » non iam ad Adamum operantem et custodientem paradisum, sed ad Deum operantem et custodientem Adamum. Est illa interpretatio quam ab Augustino S. Thomas in *Corpore* huius articuli recepit.

2) Quid iam de hac interpretatione censendum est? Non caret subtilitate inspecto textu latino et graeco; sed inspecto originali textu hebraïco לְעָבְדָהּ וּלְשָׁמְרָהּ reiicienda est propter suffixum feminini generis nequit referri ad יְהוָה אֱלֹהִים sed debet referri ad בְּגַן־עֵדֶן, quod utique passim masculino genere occurrit, ita tamen ut possit sumi in feminino genere, quod ex hoc solo exemplo constaret.

3) Caeterum, quin recurramus ad explicationem S. Augustini, praeceptum *custodiendi* Paradisum videtur fuisse complementum praecepti *operandi* illum. *Operatio* dicit adiutorium magis positivum quo activitas foecunditasque naturae stimulatur; *custodia* potius aliquid negativum per remotionem eorum quae, generato uno, in mutabili natura corrumpuntur. Vox hebraïca שָׁמַר cum ista significatione facile concordat.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Retorquetur argumentum. Modus enim laboris versus est in poenam; quod autem haec poena

[1] *Homil. XIII in Gen.* – *P. G.*, t. LIII, col. 113.

ita sit inflicta, suadet iam antea agriculturam Adamo fuisse cognitam, sed unice ad voluptatem et dignitatem. Secus eodem argumento posset demonstrari quod, nisi Eva peccasset, non concepisset, nec prolem edidisset.

2ª Obi. Abstrahit a sensibus supra expositis.

3ª Obi. Supponit particulam *ut* non exprimere nisi intentionem finalem, quod non est verum. Sufficit adesse aliquam intentionem licet altiori fini subditam.

Sed contra est. Ex hoc Scripturae loco collige quam graviter erraverint Anthiasistae contendentes opera manuum esse mala; dein quam stulte de hoc labore, ac si liberos dedeceret, iudicarint pagani, et mundani adhuc iudicent; demum quam sapienter de hoc statuerit monachorum Occidentalium Legislator. [1]

In Corpore. Ex dictis supra argumentum patet, et quid tenendum sit constat.

Corollarium. – Ex doctrina in hoc articulo exposita collige quanta nobilitas homini accedat ex labore, sive mentis, sive manuum, a quo ultimo nec mens quidem abest. Quot otiositas nutrit, tot activitas depellit vitia virtutesque excolit. Quum Deus sit actus purus, quo magis homo agit, eo perfectius in se imaginem fert Dei. Ipsa enim divinarum rerum contemplatio non est nisi actio superioris et magis ardui ordinis, indeque nobilior. [2] Adde laboris efficaciam ut languores vitae superet doloresque mulceat. Labor enim fontem in se abscondit uberrimae laetitiae. « Ecce labora et noli contristari », ait olim S. Benedictus Gotho cuidam, monasticae vitae alumno, cui laboris instrumentum miraculose restituerat. [3] Profunda sane verba prae oculis semper habenda! Dum stulti saepe nimis, mundani, imprimis divites nobilesque, nesciunt quid agant « pour tuer le temps », industria

[1] Cfr. Regula S. Benedicti, capit. XLVIII, quod incipit hac sententia: « Otiositas « inimica est animae ». Quot antiquae culturae thesauros monasteria vi huius principii servarint, quot novis thesauris rem publicam ditarint, eloquenter, inter alios scriptores etiam non catholicos, imo nec Christianos, descripsit Comes de Montalembert in pulcherrimo suo opere cui titulus: *Les moines d'Occident.*

[2] Optime de hoc habentur in opere superius laudato: *L'âme de tout apostolat*, c. I.

[3] *Vita S. Bened.* (*Dial.* S. Greg. M., l. II, c. 6).

Christiani sit ut tempus labore foecundet sancteque redimat. Etenim, si iam indignum est homine otiositatis vitium, quia offendit in dignitatem animae rationalis, dupliciter indigna est homine lapso, qui a Deo mandatum accepit ut in sudore vultus sui pane vescatur. Quare tum rei publicae in genere, tum rei publicae christianae lex primordialis esse deberet lex laboris. Sane si illi qui ad superiorem coetum pertinent huic legi zelo constanti dediti ab inferioribus cernerentur, nec isti essent laboris impatientes, nec unicum laborem censerent esse illum cui ipsi dicantur; imo intelligerent, et in laborum genere dari hierarchiam, quae rei publicae compaginem firmat, dummodo se nemo a consono sibi labore subtrahere moliatur.[1]

ARTICULUS IV.

UTRUM HOMO FACTUS FUERIT IN PARADISO.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Tam clarus est textus Scripturae de homine ab ipso Deo in Paradisum introducto, ut hac de re dubium esse non possit. Legimus enim: *a*) « Plan-

[1] Bene de hoc argumento ait R. P. Besson: « Les âmes actives, occupées, « n'éprouvent pas de ces langueurs, de ces dégoûts, de ces peines quelquefois si accablantes. Elles savent employer utilement leur temps pour elles-mêmes et pour « les autres; elles occupent leur esprit, leur imagination de choses utiles et nécessaires. Dieu est intelligence et esprit, et il se communique aux intelligences occupées. L'esprit qui travaille est agréable au bon Dieu; alors nous sommes utiles, « parce que tout esprit qui travaille est utile. L'esprit qui ne travaille pas est détestable à Dieu et aux autres, il ne prend intérêt à rien ». *

Hinc ipsa natura tot nobis offert operositatis exempla. Quid formicarum cavernae, ** quid apum alvearia nos docent, nisi insitam a Conditore animalibus industriam qua homini sint et exemplari et stimulo? Hinc in Scripturis pigritia tam severe iudicatur. *** Hinc verba Christi: « Pater meus operatur, et ego operor ». **** Hinc exclamatio: « Quid hic statis tota die otiosi? » ***** Hinc et severa talentorum parabola ****** et ilud: « Negotiamini dum venio ». *******

* *Quatrième rétraite,* p. 29.

** « Vade ad formicam, o piger! » (Prov., VI).

*** « Multam malitiam docuit otiositas » (Eccli., XXXIII, 29); « Iter pigrorum quasi sepes spinarum » (Prov., XV, 19); « Usquequo, piger, dormies? quando consurges a somno tuo? » (Prov., VI, 9); « Cretenses, semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri » (Tit., I, 12).

**** Ioann., VI, 17.

***** Math., XX, 6.

****** Math., XXV.

******* Luc., XIX, 13.

« taverat Dominus Deus paradisum in Eden ab Oriente, in « quo posuit hominem quem formaverat ».[1] Si oscitantium posset ingerere vox « posuit », quatenus posset significare: ponere creando, sequentia « quem formaverat » complendo sensum, hanc interpretationem tollunt. Quo enim spectaret ista redundantia?

b) Sed et clarius adhuc idem docet v. 15: « Tulit ergo « Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso volu- « ptatis », etc. Etenim haec duo « tulit et posuit » in successione posita dubium expellunt.[2]

c) Nec omitti debet modus loquendi: « Et emisit eum « Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur ter- « ram, de qua assumptus est ». « In quibus verbis, ait Sua- « rez,[3] terra de qua sumptus est Adam, a Paradiso distin- « guitur, in quo satis significatur, Adam fuisse creatum ex « terra existente extra Paradisum ». Ingeniosa sane consideratio; minoris tamen virtutis.

2) *Factum* igitur tenemus. Iam de *ratione* facti investigemus. Paradisus erat figura tum elevationis hominis supra naturam, tum Ecclesiae. Conveniebat proin ut haec elevatio, etsi facta ab initio, exprimeretur externo signo investiturae; quae erat inductio in Paradisum voluptatis, ut ita gratuitatem donorum supernaturalem Adam veluti manifestius palparet. Conveniebat ut primus Adam, forma futuri, ad figuram Ecclesiae induceretur quasi nuptiali incessu; cuius Conductor quis alius esse poterat praeter illum Deum, auctorem futurum nuptialis unionis inter Christum et Ecclesiam?

3) Ex quo iam sequitur, Adamum debuisse induci in Paradisum, non autem Evam; sed hanc in ipso Paradiso de Adamo formari.[4] Adam enim erat caput morale totius gen-

[1] GENES., II, v. 8.

[2] De toto hoc argumento Hoberg simpliciter dicit: « Ob die Erschaffung Adams « im Paradiese oder ausserhalb desselben geschah, gibt der Text nicht an ... Indes « erscheint die Erschaffung Adams im Paradise natürlichen? » * Facilis sane quaestionis exclusio; sed, nostro iudicio cum textu parum concordans, et scholasticam traditionem nimis despiciens.

[3] Lib. III, *De homin. creat. et statu innoc.*, c. 5.

[4] Contradicit tamen Rupertus existimans, mulierem extra Paradisum esse factam.

* Op. cit., p. 31

tis nostrae, non autem Eva. Ecclesia erat nascitura de latere Christi, iam sponsali vinculo cum humana natura per incarnationem uniti; ita Eva typus Ecclesiae de latere Adae debebat in ipso Paradiso exire.

4) Sed praeter hanc rationem ex mystica figura deductam, adest ratio ex praescientia divina petita, quam eleganter Suarez exprimit his verbis: « Addi etiam potest, Adam ex « terra formandum fuisse, et quia Deus praesciebat, eum in « Paradiso peccaturum et per peccatum mortalem efficien- « dum, ideo noluisse ipsum ex terra paradisi condere, sed « extra Paradisum. At vero Eva, non ex terra, sed ex costa « Adae producenda fuit; et ideo non oportuit extra Para- « disum fieri, nam licet in eo fuerit formata, nihilominus vir- « tute, ut sic dicam, seu mediate ex terra, quae extra Para- « disum erat, condita fuit ». [1]

II. **Ad Textum.** - 1) Non considerat in Adamo naturam et gratiam. Item et de *2ª obi.* dicendum.

3ª Obi. Negligit dicta n. 3.

Sed contra est. Corrobora argumentum ex dictis n. 1. Ubinam autem Adam creatus sit, Scriptura non dicit. Probabilius tamen, si Eden sit a Paradiso distinctum, in ipso Eden formatus est.

Haec quaestio, uti patet, est intime connexa cum quaestione de loco quo situs erat Paradisus: nulla enim est ratio cur Adamus procul a Paradiso a Deo formatus esse censeatur. Alii cum Petro Comestore, iuxta Iosephum, putant Adamum creatum fuisse in campo Damasceno; plures eum credunt formatum in Ebron, utpote ubi, iuxta textum Iosue superius allatum, primum parentem sepultum esse existimant. Sed etiamsi iste esset huius textus sensus, a loco sepulturae senis tam provecti aetate, ad locum eius originis, imo talis originis, nulla datur certa illatio. Praeterea istae coniecturae nullum habent solidum fundamentum. Quare non nisi eruditionis causa eas attulisse iuvet.

In Corpore. Vides quomodo hic articulus intime cum praecedente connectatur, ad modum instantiae. Quo magis enim demonstratur Paradisum fuisse locum homini inno-

[1] Ibid.

centi congruum, eo magis requiri videtur ut in eodem fuerit conditus. Sed in hac conclusione est distinguendum: ut in eumdem fuerit *inductus,* concedo; *conditus,* nego, propter discrimen ostendendum inter ordinem naturae et gratiae.

Idem prorsus docet Hugo Victorinus: « In tali ergo loco « et talibus deliciis referto positus est homo, non creatus, qua- « tenus beneficium Dei non naturae imputaret sed gratiae, « sicut scriptum est: " Tulit Dominus „, etc. Quem enim « tulisse et postea in Paradiso posuisse dicitur, quod alibi « creatus sit, et ut hic poneretur aliunde assumptus mani- « feste demonstratur ».[1] Fatendum sane est, hanc successionem facilius demonstrari ab his qui tenent, Adamum fuisse quidem ad gratiam elevatum, sed non in gratia creatum. Tunc igitur, pro talibus, in Paradisum inductus fuerit quando supra naturae dotes dona gratiae acceperit. Quae sane consideratio dicenda est movisse S. Augustinum ut scriberet: « Nondum tamen spiritualem hominem debemus « intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc « animalem. Tunc enim spiritualis effectus est, cum in Para- « diso, hoc est in beata vita, constitutus, praeceptum etiam « perfectionis accepit, in verbo Dei consummaretur ».[2] Quo ex loco vidimus supra arguere illos qui Augustini auctoritate fulciunt suam sententiam de temporis intervallo inter Adami creationem et eius ad supernaturalem statum gratiae elevationem.

Resp. ad 3.m Quousque Paradisus suffecisset ad continendum genus humanum innocens, pendet a quaestionibus quarum solutio nos fugit, scilicet de magnitudine huius horti, de prolungatione spatii probationis, etc. etc.

Quaeres I. – Quodnam interfuit temporis spatium inter Adae creationem et eius translationem in Paradisum? Nil expresse de hoc docet Scriptura. Potest tamen cum fundamento coniici hoc spatium fuisse tam breve ut vix conditus translatus fuerit in Paradisum. Etenim *a*) id sonare videntur verba: « In quo (Deus) posuit hominem quem formaverat »,

[1] *De Sacram.*, l. I, c. 6, n. 33.
[2] *De Gen. etc. Manich.*, l. II, c. 8.

quin ullum temporis spatium interfuisse insinuetur. – *b*) Nulla potest excogitari ratio cur haec introductio dilata fuerit praesertim si Adamus fuerit in gratia creatus. – *c*) Creatio hominis et mulieris exhibetur veluti simul sexto die completa; ergo, quum Eva probabilius sit creata in Paradiso, si longum spatium interfuisset, iam non possent describi uti per modum unius effecti.

Quaeres II. – Quomodo fuit Adam in Paradisum translatus? – Quum de hoc prorsus taceat Scriptura, nihil certi potest affirmari. Videtur tamen excludendus omnis modus violentus, qualis fuit translatio prophetae Habacuc. Alii censent, Angelum fuisse huius veluti sponsalis unionis introductorem. Alii existimant id Deum sine angelico ministerio praestitisse, quemadmodum et ipse cum Adamo in Paradiso amice confabulabatur, et eum Iudex appellavit ut in utrumque praevaricatorem sententiam tulit. Nec desunt qui putent Adamum, divina inspiratione ductum, propria virtute in Paradisum esse ingressum. Quae tamen ultima sententia solemnitati narrationis sacrae minus convenire videtur. [1]

Quaeres III. – Quodnam interfuit spatium inter creationem Adami et Evae? – Qui, uti antiquiores passim, spatio dierum materialium cosmogoniam Mosaïcam coarctari censebant, nonnisi brevissimum spatium inter utramque creationem interponere poterant. Imo non sine gravi conatu tot eventus in uno die collocabant. Unde nonnulli, hoc spatium nimis arctum existimantes, negabant Evam fuisse sexto die formatam, et verba *Geneseos* « masculum et feminam creavit eos » de sexto die dicta, eo sensu interpretabantur, quod Eva tunc poterat dici formata quando Deus formaverat Adamum, e cuius latere erat mox Evae corpus producturus. Quo sensu S. Gregorius ad haec verba scribit: « Necdum Eva

[1] Hac in parte deficit Milton, * sicuti et in modo quo depingit exordia vitae Evae. Ibi nil apparet de actu solemni quo Deus Evam Adamo adduxit. Imo auctor poëmatis *Paradise lost* fingit Evam a conspectu Adami prius aufugientem. Propriam enim speciem in limpidis lacus aquis contemplata, propriaque forma pulchriore nventa, ad speculum properare cupit, ** sed ad Adamum revocata redit.

* Op. cit., l. VIII.

** Op. cit., l. IV. Haec sane fictio non caret quadam symbolica pulchritudine; sed nec narrationi sacrae, nec ipsi perfectioni status originalis.

« facta describitur, et iam homo masculus et femina exhi-
« betur. Sed quia ex Adae latere procul dubio Eva erat pro-
« cessura, in illo iam computatur per substantiam, a quo
« erat producenda per formam ». [1] – Sed longe communior est sententia Evam sexto die esse creatam. « Sexto die, ait Au-
« gustinus, etiam Paradisus plantatus est, et ibi homo collo-
« catus est et soporatus est ut Eva formaretur, et ea formata
« evigilavit, eique nomen imposuit ». [2]

At iuxta sententiam quae sex dies cosmogoniae in epochas dilatant, nulla prorsus adest difficultas, quominus uno die omnia collocentur quae inter creationem Adae et Evae interfuisse narrantur: introductio Adami in Paradisum, praeceptum de non comedendo fructu vetito Adamo iniunctum, adductio animalium ad Adamum ut eis nomina imponeret et visis animalibus melius intelligeret bonum ei esse solatium habere adiutorium sibi, [3] sopor Adamo immissus, formatio Evae de corpore Adami dormientis, agnitio mulieris eiusque acceptatio in uxorem.

Attamen, licet in hac sententia nihil narrationis ordinem coarctet, nulla ex altera parte ratio prostat, cur hoc spatium valde dilatetur. [4] Quare censemus breve interfuisse tempus inter introductionem Adami in Paradisum et adductionem animalium ad eum; et pariter inter hanc adductionem et extaticum soporem e quo Adamus evigilans sociam sibi divinitus datam intellexit et gratus accepit.

[1] *Moral.*, l. XXXII, c. 9 (10).

[2] *De Gen. ad litt.*. l. VI, c. 2; cfr. 5 et 6.

[3] Optime id exprimit S. Ambrosius: « Simul accipe qua causa omnia deducta « sint (animalia) ad Adam, ut in omnibus videret utroque sexu substantiam con-« stare naturae, id est ex masculo et femina; ut ipse usu exemploque cognosceret « necessarium sibi consortium mulieris adiectum ». * Cfr. quae de hoc facto superius diximus.

Quidam dubitarunt utrum animalia Adamo adducta sint extra Paradisum an intra. Sed nulla solida ratio adest cur hoc dicatur factum extra Paradisum; nisi quis teneat, Evam fuisse extra Paradisum a Deo formatam.

[4] Quidam contra formationem Evae ex Adamo arguunt ex hoc quod Eva ad Adamum a Deo sit adducta. Sed perperam: adducitur enim ad Adamum utpote ex eo facto et ei subdita. Addit Billuart: « Nihil etiam vetat dicere Deum formasse Evam « ex costa Adami dormientis, in loco a dormiente paululum distanti, ad quem mox « expergefactum adduxerit Evam ». **

* *De Parad.*, c. 11.

** Op. cit., diss. v, a. 1, § 1, ad obi. 4.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Paradisum fuisse locum corporeum patet ex indole totius narrationis mosaicae: non ideo tamen negatur eiusdem significatio spiritalis (art. 1). Fuit autem locus maxime conveniens homini adhuc terreno sed immortalitatis capaci, propter delicias et adminicula quibus corporis mutatio praepediretur (art. 2). Munus accepit homo operandi Paradisum, non quidem labore indigentiae, sed voluptatis et dignitatis; custodiendi illum a quacumque degradatione; sed et seipsum imprimis custodiendi ut Paradisum servare posset; in quo a Deo ipse erat per gratiam operandus et custodiendus ad maiorem in dies virtutem et finalem gloriam (art 3). Convenientius tamen fuit homo extra paradisum creatus et in illum ipse Adam – non Eva – a Deo inductus, quo efficacius ostenderetur, beatitudinem huius status excedere iura et vires naturae (art. 4).

Conclusio synthetica.

Ex dictis hucusque de originali hominis elevatione collige enumerationem donorum praeter et supra naturam Adamo eiusque proli destinatione a Deo collatorum.

1) In *Adamo a) Supra naturam* erant α) illustratio fidei, β) dona caeterarum virtutum, regente charitate, γ) destinatio in visionem ac fruitionem Dei et in statum hominis plene spiritualis. *b) Praeter naturam* erant α) immortalitas seu capacitas non moriendi, β) perfecta corporis complexio et immunitas a morbis; γ) libertas a concupiscentia, δ) perfecta mentis expeditio, ε) scientiarum infusio quae tamen habet aliquid de priori supernaturali, sed quoad modum.[1]

[1] Pulcherrime has Adami dotes hisce verbis comprehendit Lacordaire:

« Adam, le père du genre humain, avait été créé parfait. Son corps, impassible « et immortel, ne connaissait aucune des misères qui accablent le nôtre, et qui finis- « sent par le conduire au lamentable repos du sépulcre; son intelligence, miroir « resplendissant de la création, avait reçu la clef de toutes les lois qui régissent « l'univers sensible et l'univers moral, et la grâce, versant dans son âme le trésor « de la vérité et de la charité divines, avait achevé cette créature bénie, qui était « à la fois le premier des sages, le premier des prophètes, le premier des saints ». *

* *LXI^e Confér.*

2) In *progenie* Adami eadem fuisset conditio quoad dona *supernaturalia;* cum fide tamen et aliis virtutibus dumtaxat in radice, usque ad sufficientem organorum evolutionem requisitam ad virtutum et fidei actus eliciendos.

Quoad *praeternaturalia* eadem pariter fuisset conditio, nisi quod defuisset scientia infusa, plenaque evolutio organorum et mentis ab ipsis exordiis usus perfectus.

SECTIO II.

DE HOMINIS LAPSU

Considerationes praeviae.

Quo sublimior fuit illa, quam modo contemplati sumus, primaeva hominis elevatio; quo felicior pax in castis deliciis Eden gustanda, eo deiectior post culpam miseriorque apparet conditio,[1] qua, beatitudine pulsi, iam inter aerumnas et planctus ceperunt exules per plura saecula cursum, qui in plenitudine temporum ad novum Paradisum Ecclesiam, ope novi Adami, novae Evae Filii, redemptos conduceret.

Unde, – memoriae classicae parcatur! – si heros ille antiquus Troade eiectus patriam cladem coram Punica tyranna narraturus, ita gemens exorditur:

Infandum, regina, iubes renovare dolorem;
Troianas ut opes et lamentabile regnum
Eruerint Danai;

quam pia moestitia, quam ardenti desiderio non oportet recoli strages, qua innocentiae « opes », iustitiae « regnum », serpentina astutia « eruta » fuere, quaque vastatori incendio superstites per incerta ac tenebrosa tumidi maris hac illac errare coguntur, usquedum ad praedestinatum gloriae littus appellere tandem contingat.

At quae spes longissimi cantus exordio poëtae animum dilatavit, nos quoque, imo centies magis in hoc labore aggrediendo sustentat. Etenim si

Tantae molis erat Romanam condere gentem,

maioris pretii fuit ac ponderis non solum, uti in praecedenti volumine dicebamus, « humanum condere corpus », sed longe magis e genere iuste damnato, misericorditer populum fin-

[1] Unde Vondel eam vocat tragoediam omnium tragoediarum: « Aller treurspelen treurspel ».

gere Christianum. Cuius consilii[1] abyssum dum ipsa Ecclesia scrutatur, in triumpho paschali non veretur exclamare illud carmine vergiliano audacius: « O felix culpa, quae talem « ac tantum meruit habere Redemptorem », quin imo « O vere « necessarium Adae peccatum! ».

Pulcherrime ruinam et redemptionem ita contrahit S. Augustinus: « In causa duorum hominum, quorum per unum « venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur a « peccatis, per unum praecipitati sumus in mortem, per « alterum liberamur ad vitam, ... in horum duorum hominum « causa proprie fides christiana consistit ».[2] Consonant haec pia verba S. Bernardi: « Vehementer quidem nobis, dilectis- « simi, vir unus et mulier una nocuerunt, sed, gratias Deo! « per unum nihilominus virum et mulierem unam omnia « restaurantur, nec sine magno fenore gratiarum. Neque « enim per unum delictum, ita et donum; sed excedit damni « aestimationem beneficii magnitudo ».[3]

***

Sane magnum sese nobis heic offert mysterium; sed tale cuius in nobis et circa nos tot invenimus vestigia, ut, licet rationi impervium, clavis tamen sit alia multa mysteriosa aperiens. Quod ita fortiter proclamat Pascal: « Chose éton- « nante, que le mystère le plus éloigné de notre connaissance, « qui est celui de la transmission du péché originel, soit une « chose sans laquelle nous ne pouvons avoir aucune con- « naissance de nous-mêmes!... Certainement rien ne nous « heurte plus rudement que cette doctrine. et cependant, sans

[1] Hoc consilium perpulchre exponit Milton in libro III sui poëmatis; in quo tamen libro, uti superius iam conquerebamur, aliquos in Ecclesiam Catholicam versus eructat, quales nec serpens antiquus peiores invenisset; imo sunt hoc serpente indigni, utpote nimis insulsi. Haec sincere dixerim et vere dolens, nam quod sermonis splendorem attinet, subscribimus plane iudicio sane perito Wordsworth,* qui Milton ita compellat:

Thou hadst a voice whose sound was like the sea,
Pure as the naked heavens, majestic, free.

[2] *De pecc. orig.*, c. 24.

[3] *Serm. de 12 praerog. B. V. M.*, n. 1. De Christo novo Adamo et Maria nova Eva, bene scribit Revmus Abbas Columba Marmion O. S. B. in pulcherrimo libro cui titulus: *Le Christ vie de l'âme* (p. 82 sq., 558 sq., Maredsous, 1918).

* *The poems of John Milton.*

« ce mystère, le plus incompréhensible de tous,[1] nous som-
« mes incompréhensibles à nous-mêmes. Le nœud de notre
« condition prend ses retours et ses plis dans cet abîme; de
« sorte que l'homme est plus inconcevable sans ce mystère,
« que ce mystère n'est inconcevable à l'homme ».[2] Unde addit: « Pour moi, j'avoue qu'aussitôt que la religion chré-
« tienne découvre ce principe, que la nature des hommes
« est corrompue et déchue de Dieu, cela ouvre les yeux à
« voir partout le caractère de cette vérité; car la nature est
« telle, qu'elle marque partout un Dieu perdu, et dans
« l'homme et hors de l'homme, et une nature corrompue ».[3]

Mitius, at non minus efficaciter cl. Laminne: « A envi-
« sager ses ressources naturelles, l'homme se trouve, au
« point de vue spirituel, dans l'impossibilité morale d'attein-
« dre sa fin comme il convient à un être libre, c'est-à-dire,
« en la méritant par une vie conforme à la loi morale.
« A cet égard, l'homme constitue une énigme à ses propres
« yeux ».[4]

Et post exposita varia responsa a priscis iam temporibus excogitata, concludit: « La réponse du chrétien que nous
« allons exposer en détail, consiste essentiellement à dire que
« la situation de l'homme, dans ce qu'elle a d'anormal, n'est
« pas seulement la cause du péché, mais qu'elle en est encore
« l'effet, et qu'elle ne doit pas être attribuée sans restriction
« au Créateur. Nous ne prétendons pas que cette solution
« puisse être déduite par voie de raisonnement, mais seule-
« ment qu'elle donne une explication raisonnable de ce que
« l'expérience nous enseigne. Le dogme de la déchéance ori-

[1] Hoc sane non sine quodam excessu affirmatur. Profundius mysterium est SSma Trinitas, necnon mysterium Incarnationis, imo mysterium eucharisticum, quam mysterium peccati originalis.

[2] *Penseés,* II p., a. 1.

[3] Ibid., a. 5, n. 3. Quo modo Iansenistae hoc ultimo vocabuli abusi sint, infra patebit.

[4] Op. cit., ch. I, p. 21. Ex intellectuali imbecillitate, in qua homo sistitur coram fundamentali problemate suae existentiae, idem auctor bene concludit: « La philo-
« sophie pragmatiste se trouve ici en défaut. Elle voudrait nous faire considérer
« notre intelligence comme étant essentiellement une faculté d'agir, et nos connais-
« sances comme n'ayant d'autre valeur que leur portée pratique. Et voici que c'est
« précisément au point de vue pratique que s'affirme l'impuissance de notre esprit ». *

* Ibid., p. 20.

« ginelle est un mystère proprement dit, c'est-à-dire, une « vérité que la Révélation seule nous fait connaître. Elle « comprend d'ailleurs des choses qui dépendent de la libre « disposition de la Providence et qui, lorsqu'elles sont, comme « c'est le cas ici, hors des atteintes de l'Histoire, ne peu- « vent pas être naturellement connues ».[1]

Bene de hac lapsus nostri tragoedia scribit pius Pater Emmanuel: « Qu'elle est lamentable, cette chute! Surtout si « l'on compare l'état heureux où nous serions sans elle avec « le douloureux état où nous sommes par elle. Que de biens « nous n'avons plus! Que de maux nous n'eussions jamais « connus! L'innocence perdue, le péché qui nous enlace, « l'immortalité remplacée par une vie de douleurs, suivie « d'une mort certaine: quelle chute! A cette chute, Dieu a « mis un remède: mais, si l'on considère la grandeur du « remède, on se convaincra mieux encore de la grandeur « du mal. Le Fils de Dieu cloué à la Croix, cela nous apprend « ce qu'a été la chute ».[2]

De ordine Sectionis.

De originali igitur peccato duo occurrunt nobis consideranda: 1) *ipsa protoparentum culpa,* ad quam sane alludit Psalmista dicens: « Homo quum in honore esset, non intel- « lexit », et cui applicari possunt illa de diabolo dicta in allegorico vaticinio Isaiae: « Quomodo cecidisti de caelo, « lucifer, qui mane oriebaris? ».[3] 2) *Status culpae inde in totam progeniem transfusus,* de quo pergit Psalmista: « Comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est « illis »;[4] e quo statu unice praedestinata redemptio perdendam gentem eruit, iuxta illud alterum dictum Isaiae: « Nisi

[1] Op. cit., ch. I, p. 28.

[2] *Méditations pour tous les jours de l'année. Le lundi de la Septuagésime,* Troyes, Frémont, 1909, p. 82. De his meditationibus editor D. Bernardus Maréchaux, asceticus ipse scriptor egregius, bene ait: « Pour les âmes qui veulent acquérir une « connaissance profonde de Notre-Seigneur Jésus-Christ et de ses mystères, ce livre, « si simple de forme, mais si lumineux dans sa concision, paraîtra toujours nou- « veau » (Avant-propos, p. XI).

[3] XIV, 12.

[4] Ps. XLVIII, 13.

« Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma « fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus ».[1]

S. Thomae magistro de more in utraque parte adhaerentes, quae spectant ad peccatum primi hominis, desumemus ex II-II, Q. CLXIII et sequentibus, collatis aliis locis ex variis scriptis, in quibus S. Doctor de eodem argumento tractat. Quae autem spectant ad peccatum originale, eadem methodo desumemus ex I-II, Q. LXXXI et sequentibus.

Accipe ordinem in tota hac Sectione sequendum schemate expressum.

Lapsus hominis consideratur:

I. In ipsis *protoparentibus*; seu *peccatum originans* (Membrum I):
- *A*) de *ipso* eorum peccato (I-II, Q. CLXIII) (Caput I);
- *B*) de huius peccati *poena* (Q. CLXIV) (Caput II);
- *C*) de *tentatione* quae ad id induxit (Q. CLXV) (Caput III);

II. In *humano genere* ab eis traductus, seu *peccatum originale* (Membrum II):
- *A*) de huius peccati *traductione* (I-II, Q. LXXXI) (Caput I);
- *B*) de eius *essentia* (Q. LXXXII) (Caput II);
- *C*) de eius *subiecto* (Q. LXXXIII) (Caput III);
- *D*) de eius *poena* (Caput IV);
- *E*) de eius *remissione* (Caput V):

Inter praecipuos Patres, Doctores et theologos qui de hac materia scripserunt, satis sit, praeter auctoritates iam ab exordio praecedentis et huius voluminis allatas, sequentes afferre: S. Augustinum (*De Civitate Dei*, l. XIII, a. 14; *De peccat. orig.*; *De nuptiis et concupisc.*; *Contra Iulianum*, op. perf. et op. imp.); S. Anselmum (*De conceptu virginali*); Lombardum, II, Dist. XXI-XXII eiusque commentatores ad hunc locum; S. Thomam, variis in operibus praecipue, *Qq. disp. de malo*, q. IV; Garnier (*In Marium Mercatorem*); Valentiam (*Contr. de pecc. orig.*); Kleutgen (op. cit., t. II, tr. 10); Bellarminum (*De amiss. gratiae*); Stapleton (*De*

[1] I, 9. Utramque hominis conditionem originalem et redemptam coniungit pulchra invocatio Sacerdotis: « Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter « condidisti et mirabilius reformasti » (Oratio super aquam calicis vino miscendam).

iustific.); Reding (*In Conc. Trid.*, sess. V); De Luca (*De poenit.*, Disp. VII); Frassen (*Scotus Academicus*, tr. III); praecipuos S. Thomae commentatores; Kilber (*De peccato originali*); Goudin (*De gratia*); Thomassinum (*De incarn.*, l. I); Scheeben (op. cit., II, l. IV); Simar (*Dogmat.*); Alb. a Bulsano (*Instit. theol.*, II, c. 4, a. 7, q. 11); De Rubeis (*De peccato originali*); Gotti (*Theol. Schol. Dogm. de Homine*); Palmieri (*Tractatus de peccato originali*); Card. Billot (*De personali et origin. peccato*); Jos. Thys (*De peccato origin.*); Maur. de Baets (*De ratione ac natura peccat. origin.*); Jacq. Laminne (*Déchéance originelle. Responsabilité. Liberté*); Lambrecht-Haelterman (*Tractatus de Deo Creante*, p. III); Illmum Bougaud (*Le christianisme et les temps présents*, l. III, 1re Partie; Lacordaire (*Carême 1850. De la chute et de la rédemption de l'homme*); Le Bachelet S. I. (*Le péché originel*); Hugueny O. Pr. (*Apologie des dogmes*). Inter documenta ecclesiastica eminent Conc. Arausicanum II et Concilium Tridentinum, Sess. V; necnon Liturgia Catholica passim. Consulantur demum praecipui catholici dogmatis historici.

***

Quum decursu huius Sectionis saepius nobis disputatio habenda sit cum Semipelagianis, Baianis et Ianseniani sive Iansenistis, operae pretium visum est de hisce erroribus breves quasdam historicas notulas praemittere, quae simul proxime edendo tractatui *De Gratia* inservient.

NOTULAE HISTORICAE.

1. - De Pelagianis.[1]

Pelagius ex Anglia oriundus, - inde Brito dictus, ne cum alio Pelagio Tarentino confundatur, - erat monachus laici ordinis,[2] at non communis ingenii, et in litteris tum latinis tum graecis sat bene versatus. Ante mortem S. Damasi

[1] Cf. Peters, *Kirchen-lexic. Kaulen*, art. *Pelagius*, t. IX, col. 1756 sqq. - Palmieri (op. cit., th. I), *Lemmata historica*.

[2] Unde ab Orosio et a Zosimo vocatur simpliciter laicus.

petiit Urbem, ubi S. Hieronymum cognovit, in eaque non parum temporis mansit, optimorum virorum commercio gaudens,[1] moribus virtutibusque tam bene visus, ut S. Paulinus Nolanus eum Dei servum nuncupare non dubitarit.[2] Hac aetate tres libros de SS. Trinitate conscripsit, necnon librum Eulogiarum, etiam Capitulorum vel Testimoniorum appellatum. Doctrina in hoc ultimo opere exposita non omnibus sana est visa; unde synodus Diospoli ad illud iudicandum est convocata. Contra celebrem Augustini orationem: « Da quod iubes, et iube quod vis », Pelagius, naturalismo infectus, – unde moderni liberalismi non immerito parens habetur, – tamquam naturalis humanae capacitatis offensivam protestatus est. Adhuc Romae degens, brevi ante Urbem ab Alarico obsessam, scripsit commentarium in epistolas Paulinas.

Uti errorum socius astitit Pelagio imprimis Caelestius, iuxta Marium Mercatorem, auditorialis scholasticus. Inter utrumque hoc intererat, quod, teste Augustino,[3] dum Pelagius subtiliori, prope serpentino modo incedebat, alter placita sua exponebat apertius; insuper hic peccatum originale, ille gratiam maxime impugnabat.

Totam Pelagii et Caelestii doctrinam comprehendit Augustinus his verbis: « Naturam humanam neque in parvulis « medico indigere, quia sana est; neque in maioribus gratiae « adiutorio, quia sibi sufficiens ad salutem ».[4]

Itaque ambo Africam petierunt, Hipponem scilicet, absente Augustino, qui Carthagine Pelagium obvium habuit, quin tamen se invicem vicinius cognoverint.[5] Inde Pelagius se contulit in Palaestinam, dum Caelestius in eadem urbe ad sacerdotii honorem adspiravit. Sed contra eum Aurelius Carthaginiensis archiepiscopus convocavit Synodum ad iudicandas sex propositiones a Mediolensi diacono Paulino e Caelestii scriptis collectas. Quas ad haec sex puncta Marius

[1] Cf. Aug., *De Gestis Pelagii*, 53.

[2] Cf. Aug., *Ep. 186*, 1.

[3] « Quid inter istum et Caelestium in hac quaestione distabit, nisi quod ille « apertior, iste occultior fuit; ille pertinacior, iste mendacior; vel certe ille liberior, « hic astutior? » (*De pecc. orig.*, 13).

[4] *De natur. et grat.*, c. 6.

[5] Aug., *De gest. Pelag.*, 46.

Mercator contraxit.[1] 1) Adamus creatus est mortalis; 2) per peccatum nonnisi sibimet nocuit; 3) infantes nascuntur in ea conditione in qua Adam creatus fuit; 4) non universalius nocuit peccatum Adae ad mortem quam resurrectio Christi profuit ad resurrectionem; 5) lex non erat minor Evangelio; 6) ante Christum non defuerunt homines absque peccato.[2]

Uti optime monet Palmieri,[3] a primaeva conditione Adami ad conditionem naturalem depressa ortum sumpserunt Pelagii et Caelestii errores, qui eos ad denegandam veram gratiam supernaturalem internam fatali nexu conduxerunt.

Cuius erroris si originem inquiris, derivandus videtur a Theodoro Mopsuesteno, a quo acceptum Rufinus Syrus Romam sub Anastasio Papa attulit, Pelagioque inoculavit. Unus inde ac idem audax fuerit geminae haereseos Nestorianismi et Pelagianismi parens.

Negata transfusione originalis culpae, lethalis influxus Adami in posteros reducitur ad pravum exemplum. Unde baptismum non confertur infantibus ut in eis originale peccatum deleatur, sed ut regnum caelorum ingredi valeant, secus non nisi vitam aeternam adepturi. Hinc tantopere Pelagiani insistebant in arbitrariam prorsus distinctionem inter regnum caelorum et vitam aeternam, quasi Scripturae non indiscriminatim utramque expressionem adhiberent.[4]

Coram Carthaginensi synodo Caelestius contendit, doctrinam de peccato originali non ad dogmata certa pertinere, sed ad campum opinionum ubi libera patet discussio. Quum

[1] *P. L.*, t. XLVIII, col. 69.

[2] Haereses Pelagii et Caelestii optime collegit Petavius (*Theol. dogm.*, t. III, n. 304 sq.).

[3] Op. cit. - Quaestioni fundamentali: Unde mors? respondebant Manichaei: a principio malo; Catholici: a peccato; Theodorus: a natura. - *Cath.:* Homo creatus immortalis. - *Pelag.:* Negabant et arguebant ex parvulis. - *Cath.:* Parvuli moriuntur ob peccatum primi parentis. - *Pelag.:* Negabant. - *Cath.:* Urgebant ex dogmate peccati originalis. - *Pelag.:* Hoc dogma recusabant. - *Cath.:* Instabant: sed et infantes baptismo indigent. - *Pelag.:* Utique, sed non in remissionem peccatorum. - *Cath.:* Urgebant iterum ex vitiata natura quacum parvuli nascuntur: ex ignorantia et concupiscentia. - *Pelag.:* Nullum est in natura vitium. Parvuli nascuntur uti creatus erat Adam; unde difficultates ex utraque obvenientes superare possunt. - *Cath.:* Urgebant adhuc, ostendendo ex Scripturis, concupiscentiam et ignorantiam esse poenas peccati, et hominem indigere gratia. - *Pelag.:* Ita inducti sunt ad hanc gratiam denegandam.

[4] Cf. AUG., *De pecc. et remiss.*, I, n. 53.

synodi patres Caelestium invitassent ad erroneas suas propositiones retractandas, recusantem excommunicatione damnarunt. Qui a Carthaginiensi iudicio ad sententiam Romani Pontificis appellavit.[1]

Relicta interim Carthagine, Caelestius se contulit Ephesum, ubi sacerdos est ordinatus. Ne autem in Oriente tantus error impune grassaretur, S. Augustinus ad S. Hieronymum mittit Hispanum sacerdotem Orosium,[2] qui hunc doctorem contra insidias novatorum praemuniret. Quae commonitio eo efficacior evasit[3] quo minus S. Hieronymus erat in favorem Pelagii dispositus, tum quia iste commentarium ipsius in epistolam ad Ephesios severius tractaverat, tum quia Rufinum Syrum cum altero Aquilaensi confundebat.[4]

Curante itaque Orosio, synodus Hierosolymis convocata est. Sed Ioannes eiusdem Urbis praesul parum sinceras in eadem partes egit, et res caruit exitu. Nec felicior fuit altera synodus brevi post, curantibus imprimis Gallicis exsulibus episcopis Heroe Arelatensi et Lazaro Aquensi, Diospoli seu Lyddae habita. Utriusque linguae latinae et graecae peritus, Pelagius tam callide egit,[5] ut communione catholica dignus fuerit iudicatus.[6] Quare haec synodus ab Hieronymo vocata est « miserabilis ». Monet tamen prudenter Augustinus, errorum Lyddae patrum non spectasse ipsam doctrinam, sed errantis at subdole damnationem evadentis personam.

Dum autem fraus in Oriente triumphare videbatur, duplicato rigore inquisitio in Occidente instaurata est. Sexaginta septem episcopi in altero concilio Carthaginensi anno 416 congregati, praeside eodem Aurelio, sententiam prioris synodi confirmarunt, Romanumque Pontificem Innocentium I

[1] In tota hac quaestione, sicuti in aliis huiusmodi controversiis, modus quo partes ad Romanum Episcopum confugere solebant, apertissime demonstrat quam inconcussa et ab omnibus agnita fuerit inde a primis Ecclesiae saeculis doctrinalis praerogativa Petri Sedi affixa. - Cf. recentissimum opus docti Cardinalis Marini: *Il Primato di S. Pietro e de' suoi successori in S. Giov. Crisostomo.*

[2] Cf. *Apolog. Orosii.*

[3] S. Hieronymus scripsit *Tres Dialogos contra Pelagianos.* - Cf. eiusdem *Epist. ad Ctesiphontem.*

[4] Cf. PETERS, loc. cit.

[5] Plures ad se directas a catholicis episcopis, imprimis ab Augustino, in ea synodo legit litteras, ut patres sibi conciliaret.

[6] Cf. HEFELE, *Conc.-Gesch.,* II, n. 95 sq., 2 edit., p. 108 sq.

enixe rogarunt ut supremae suae auctoritatis sigillum huic iudicio apponeret.

Nec minor fuit zelus provinciae Africanae Numidicae, ad quam pertinebat Augustinus. Eodem anno quinquaginta novem episcopi interfuere synodo Milevitanae, in qua pariter damnans sententia est emissa, et ad idem Romanum tribunal delata. Insuper quinque episcopi collectivam epistolam eadem prorsus mente Romam miserunt.[1] Triplici invitationi Innocentii triplici documento ad mentem utriusque synodi et epistolae respondit. Quare solemni concione Augustinus clausam controversiam declaravit.[2]

Et erat quidem clausa quantum ad doctrinam. Insuper, ipse Pelagius fuerat damnatus, sed « donec se purgaverit ». Quod sane ex charitate additum, fraudis spatium haeretico dedit, qui hypocrita epistola professionem fidei referente [3] ad Romam appellavit, optime sciens, nullam sibi post hanc remanere instantiam. Innocentio interim successerat Zosimus; ad quem pariter, Romam redux, appellavit Caelestius, orthodoxum se fingens, ac promptum sese declarans ad damnandum quidquid fuerit repertum damnatione dignum.

Sed ecce Zosimus, motus protestationibus catholicis ab utroque factis, mitius de personis iudicans, duplici rescripto eos quasi tuetur; non tamen vult eos ab excommunicatione absolvere, antequam penitiores receperit delucidationes ab Africanis episcopis dandas. Sequitur inde quatuor mensium dilatio. Imo in secundo rescripto, mense Septembri anni 417 emisso, zelum Herois et Lazari in Caelestium corripit potius quam laudat. Quae agendi ratio Zosimi nullomodo respiciebat doctrinam, sed oeconomiam tractandi personas. Quo magis enim Romana Sedes debet esse de doctrinae integritate sollicita, eo quoque magis ab excessu quoad personas debet ex charitate cavere. Quod in praesenti casu, nec in hoc tantum, non sine quodam excessu contigit.

[1] Cf. Augst., *Ep. 177.*

[2] « Iam de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam « rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error! ». Et pulchre addit: « Ergo ut advertant, monemus; ut instruantur, docemus; ut mutentur, « oremus! » (*Serm. 131,* 10 - *P. L.,* t. xxxviii, col. 734).

[3] Cf. appendicem tom. x, edit. Maurinae op. Aug.

Nova synodo habita, Carthaginenses patres rogaverunt Zosimum, ut praecedentes synodos comprobaret. Pontifex tamen respondit, nihil tam novi quaestioni obvenisse, quod praecedentia sua rescripta mutaret. Sed interim, mediante comite Valeriano, Augustinus ad protectionem civilis potestatis recursum habuerat. Sacro rescripto die 30 Aprilis anno 418 Ravennae emisso Caesares Honorius et Theodosius II Pelagianos Urbe expulerunt.[1]

Die 1ª Maii nova synodus plenaria bis centum episcoporum octo sive novem canonibus catholicam doctrinam sancivit,[2] actaque Romam una cum synodali epistola misit. Quare Pontifex Caelestium iterum pressiusque tentandum decrevit. Qui quum examini se subduxisset, Zosimus errores errorumque fautores damnavit celebri *Epistola Tractatoria,* quam omnibus praesulibus Occidentis et Orientis, ut ei subscriberent, transmittendam curavit. Novo edicto magis rigoroso imperialis auctoritas Zosimi epistolam confirmavit.

Licet hac duplici damnatione graviter percussa ac expugnata, Pelagiana haeresis nondum se victam tota dedit. Inter paucos episcopos, qui se pertinaces ostenderunt, eminet Iulianus Eclanensis, quem Augustinus confutavit pluribus libris famosis qui ad nos usque pervenerunt, dum adversarii sui scripta perierunt.[3] Italia pulsus, Iulianus cum electis asseclis

[1] Cf. RIFFEL, *Kirch. u. St.*, n. 232 sq.

[2] Cf. *P. L.*, t. LVI, col. 486. – DENZIGER, *Enchirid.*, 64 sqq. En horum canonum tenor: 1) Adam non fuit creatus mortalis. 2) Infantes debent baptizari in remissionem peccatorum. 3) Qui sine baptismo moriuntur, non intrabunt in regnum caelorum, id est in vitam aeternam . 4) Sanctificans gratia Dei non solum est remissiva peccatorum commissorum, sed adiuvans ne in futurum peccata committantur. 5) Gratia non solum facienda facit agnoscere, sed ad agenda quae agnoscuntur corroborando adiuvat. 6) Sine gratia Dei nihil boni agere valemus. 7) Per verba Apostoli Ioannis (I, 1, 8) non solum nos ex humilitate peccatores agnoscimus, sed nos fatemur ex veritate tales. 8) Orationis Dominicae verba: « Et dimitte nobis », etc., Sancti non pro aliis tantum orant, sed et pro seipsis. 9) Quare haec eadem verba non ex humilitate dumtaxat, sed ex intima persuasione proferunt. Patet, canones 8 et 9, unum quid affermare; quare interdum nonnisi 9 enumeratur.

[3] Primo Iulianus contra primum librum Augustini *De nuptiis et concupiscentia* opus direxit quatuor libris distinctum; ad quod Hipponensis respondit sex libris *Contra Iulianum Pelagianum*. Alterum opus in Cilicia confecit, octo libris constans contra secundum librum eiusdem Augustini scripti. Ad quod Hipponensis nonnisi sex libros opponere potuit unde vocatur: *Opus imperfectum*.

ad Theodorum Mopsuestenum confugit, qui tamen alio profectum, teste Mario Mercatore, excommunicavit.

Sed ecce, anno 429, rursus apparent Constantinopoli, ubi Nestorius apud Imperatorem necnon apud Zosimi successorem Caelestinum pro eis intercedit. Marius Mercator, occidentalis laicus, qui tunc ibidem degebat, Commonitorio Imperatorem reddit certiorem damnationis qua isti haeretici in Occidente perculsi erant. Quare eos Caesar ex Urbe proiicit. Iulianus ficta submissione sortem declinavit, et, teste Gennadio, obiit sub Imperatore Valentiniano III.

Pelagius in Palaestina evanuit, ibique vitam clausit.

Caelestius vero, post Ephesini Concilii condemnationem, Constantinopolim petiit; unde depulsus, circa annum 421, quum Romae aditus ei esset clausus, haud procul degere conatus est; sed abire coactus, Caelestinum rogavit ut ab eo audiretur. Post quam petitionem nihil certi amplius de eo scitur.

Aliae quoque nationes catholicae solemni iudicio Pelagianismum condemnarunt. In Galliis concilium habitum est, anno 429;[1] in Anglia synodus in monasterio S. Albani habita Pelagium eiusque discipulum Agricolam anathematibus perculit.[2]

Uti modo dictum est, Concilium Ephesinum, anno 431 damnationem Pelagii confirmavit; a quo tempore haec haeresis ab Oriente evanuit. In Occidente autem tenaciorem vitam sub mitiori forma[3] semipelagianismi nomine perduravit.[4] De qua haeresi, data opera, agemus in tractatu *De gratia*, in quo penitius investigabimus, qualem gratiam, Augustini imprimis operibus pressus, Pelagius agnoverit.

[1] Cfr. Prosper, *Chron.*, ad a. 429. – *P. L.*, t. li, col. 594.

[2] Cfr. Beda Ven., *Hist. eccl.*, i, 21. – *P. L.*, t. xcv, col. 50.

[3] Non solum Semipelagiani, sed et Pelagiani interdum mitius censebant ipso magistro. Ita Pelagius negabat tum peccatum tum poenas, in quo convenerunt postea Albigenses et Anabaptistae; Pelagiani vero agnoverunt poenas, non autem peccatum, in quo inter alios concordat Swinglius.

[4] Pelagianis adnumerant Gennadius et Cassianus Leporium Massiliensem monachum, qui e Galliis pulsus, errores suos in concilio Carthaginensi anni 426 eiuravit. Sed tum ista abiuratio tum eius professio fidei ostendunt asseclam Theodori Mopsuesteni, in Christologia potius quam in rebus de peccato originali et de gratia errantem.

2. – De Baio.[1]

Natus in oppido Melin apud Belgas, anno 1513, Michaël Baius (de Bay) anno 1535 magister artium, anno vero 1550 doctor S. Theologiae in Universitate Lovaniensi renuntiatus, rector erat collegii Hadriani,[2] quando, Leonardo Hasselt cum aliis eiusdem Universitatis lectoribus ad Concilium Tridentinum profecto, cathedram S. Scripturae conscendit.

Audacioris ingenii, novam sibi docendi viam ineundam duxit. Persuasum enim habens, Scholae traditionem nimis ab ipsis Scripturis et a Patrum doctrina recessisse, ad hunc geminum fontem uberiorem et saniorem mentes revocare statuit. In quo sane vix fuisset culpandus, nisi, pseudo-reformatorum in hoc vestigia premens, scholasticam traditionem despexisset, utpote Pelagianismo infectam, et in interpretandis Scripturis et Patribus nimiam erga novatores complacentiam ostendisset.

Reduces a Concilio Ruardus Tapperus et Iudocus Ravenstein, anno 1552, non sine magno dolore Baii innovationes et temeritates detexerunt. De Tridentinis declarationibus prope tacens, Baius primum oretenus suas doctrinas sparsit, et quidem tam effrenato zelo, ut in quadam disputatione publica ipsum Tapperum, tunc Cancellarium, Pelagianismi insimularit. Quum autem Universitatis moderatores, nimia indulgentia ducti, spe melioris frugis, erga Baium silentium reverentiale servarent, anno 1560, superior familiae Franciscalis Belgicae 18 propositiones e Baii doctrina excerptas ad Sorbonam detulit; quae 13 uti haereticas et 3 uti falsas damnavit. Re agnita, Baius alias recusavit uti non suas, alias vero insidiose redactas conquestus est. Nomine autem Summi Pontificis archiepiscopus Mechlineensis silentium imposuit; et ita prima vice lis sopita visa est.

Sed paulo post, anno 1563, antequam ad ultimas Sessiones Tridentini Concilii pergeret, Baius quosdam tracta-

[1] Cf. Duchesne, *Histoire du Bajanisme*, Douai, 1731; Scheeben, *Kirchenlex. Hergenr.-Kaulen* ad vocem *Baius*, t. I, col. 1852 sqq.

[2] Postea decanus collegialis ecclesiae S. Petri (1575) et Universitatis Cancellarius (1578), necnon generalis inquisitor regalis in sua patria renuntiatus est.

tus,[1] indeque[2] redux, anno sequenti alios[3] in lucem edidit, quibus, gemino interposito anno, alios cum altera primorum editione adiunxit[4] Qui tractatus, magna scribendi arte confecti, brevi tempore plurimum diffundebantur.

Itaque, curantibus Ravenstein et sodalibus S. Francisci, novi conatus instaurati sunt ad declinandum tam insidiosi erroris periculum. Rogatae plures Galliarum et Hispaniarum Universitates doctrinam Baii condemnarunt. Excerptas 76 propositiones[5] ad se delatas S. Pius V, Bulla *Ex omnibus afflictionibus* proscripsit. Quum autem haec Bulla absque interpunctuationibus esset confecta, continuo orta est percelebris controversia de *commate Piano*. Ita enim sonabat damnationis sententia: « Quas quidem sententias stricto coram « nobis examine ponderatas quamquam nonnullae aliquo « pacto sustineri possent in rigore et proprio verborum « sensu ab assertoribus intento haereticas erroneas suspe- « ctas temerarias scandalosas et in pias aures offensionem « immittentes respective... damnamus ». Iam vero patet, diversum valde sensum obtineri secundum quod virgula apponitur post verba « sustineri possent », vel post verbum « intento ». Priorem sensum, quem totus contextus prorsus exigit, veritatis defensores propugnarunt, dicentes, posse quidem nonnullas ex his propositionibus aliqualiter ad sanam doctrinam trahi, sed tamen eas, eo sensu quem intendit Baius, esse damnabiles et a Sancta Sede damnatas. Alterum sensum e contra Baiani in suum favorem tuebantur. Quae lis per totam Iansenismi historiam protracta est. Ad parcendum simul et Baio, viro caeteroquin egregio, et Universitati de Ecclesia tot titulis optime merenti, Bulla nomen novatoris tacebat, nec fuit Romae publice promulgata, sed privata via per Morillonium,[6] vicarium generalem Cardinalis Granvelle, trans-

[1] Nil mirum proin, callidum reformatorem Marnix a S. Aldegunda in publica disputatione fassum esse, eum « prope adamussim secum conspirare », quin Baius protestatus sit.

[2] *De libero arbitrio, De iustitia, De iustificatione, De sacrificio.*

[3] *De merito operum, De prima hominis iustitia, De virtutibus impiorum, De sacramentis in genere.*

[4] *De peccato originis, De caritate, De indulgentiis, De oratione pro defunctis.*

[5] Posterior numeratio ad 79 eas extendit.

[6] Ita lege nomen mendoso typo expressum ad calcem p. 138.

missa. Dum Universitas pontificium documentum debita reverentia excepit, Baius e contra tantopere se ostendit offensum, ut a conatu eum ad submissionem inducendi Morillonius tunc temperarit. Re quidem vera novator epistolam, mense Ianuari anni 1569, Romam misit, in qua callide suam agendi rationem tuebatur, et Pontificem, cui se declarabat submissum, rogabat ne Bullam, quae causa posset esse magni damni, ratificaret, nisi attente prius perlecta sua apologia. In qua longiore,[1] alias propositiones recusabat, alias nonnisi disputandi animo, alias demum ad mentem Augustini prolatas esse contendebat. Iam die tertia Maii eiusdem anni Pontifex respondit, se rem, intuitu personae iterum ponderatam, eodem prorsus modo iudicare; unde Baio suisque imposuit silentium. Felicior hac vice, at non sine conatu Morillonius, praesente parrocho Sanctae Gudulae, Baium induxit ut oretenus et privatim propositiones « in sensu Pontificis » eiuraret. Quum tamen publicum perduraret scandalum, plures episcopi Baio devoti eum anno 1570 rogarunt, ut submissionem suam publici iuris redderet. Quod anno sequenti, forma quidem adhuc nonnihil impedita, praestitit; et controversia iterum quievit. Eodem anno Morillonius Bullam ad Universitatem directam promulgavit. Facultas, licet eidem ob formales quasdam rationes non subscripserit, anno 1572 declaravit: 1) propositiones esse reiiciendas et a theologiae lectoribus vitandas, – eamque declarationem quotannis renovandam; – 2) tractatus in quibus continebantur, esse candidatorum manibus subtrahendos; 3) lectorum Collegium acceptam habere sponsionem, qua nuper Baius in lectione publica erga eiusdem Collegii iudicium obedientiam promisit.

Non ideo tamen omnis discussio circa ipsam Pii V Bullam erat sopita. Imo non unus spem affulgere contendebat, ut pontificium documentum revocaretur. Interim Baius ipse, incauto sermone et minori reverentia circa doctrinalem infallibilitatem Romani Pontificis, mentis de sinceritate suae submissionis reddebat ancipites.

Itaque Gregorius XIII Bullam *Provisionis nostrae,* in qua Pii V Bulla verbotenus confirmabatur, per Franciscum Tole-

[1] Op., p. II, 80, sqq. Alteram breviorem apologiam sequenti mense Martio ad Cardinalem Simonettam direxit.

tum, postea Cardinalem, Lovanium mittendam curavit. Tam perite quam moderate doctus iste S. Ignatii sodalis negotium conduxit. Baius non solum sese toti lectorum Collegio Bullam accipienti sociavit, sed tam nitidae formulae eiurationis subscripsit, ut Toletus dixerit: « Baio nil doctius, nil humilius ». Quare Pontifex ad Baium epistolam direxit fiducia et benevolentia plenam.

Plura opera doctrinam Baii confutarunt. Eminent explanatio doctrinae damnatis propositionibus oppositae, quam, curante Nuntio Bonhomi, Lensaeus Collegii Lovaniensis nomine composuit;[1] dein confutatio anno 1649 confecta ab Universitate Duacensi, Lovaniensis filia, in qua doctrina vera exponebatur et Estii, olim Baii alumni, ac Sylvii textibus confirmabatur;[2] laudandum insuper princeps opus Ripalda *contra Baianos*.

Porro doctrina Baii, utpote pseudo-reformatorum placitis affinis, e regione opponitur Pelagianismo. Dum Pelagius naturam ita extollit ut sibi sufficiat, Baius eam ita deprimit ut non nisi elevata ad supernaturalem ordinem decenter et moraliter bona existere valeat. Quot inde errores sequantur quoad originalem hominis elevationem, iam pluries in prima huius voluminis Sectione vidimus; quot autem inde profluant quoad conditionem lapsam et quoad totam oeconomiam gratiae,[3] in hac altera Sectione patebit et in proximo tractatu *De Gratia*, data opera, illustrabitur.

3. - De Iansenio eiusque asseclis.

Cornelius Iansenius (Iansens), Iunior nuncupatus, ad distinguendum eum a Cornelio Iansenio, optimi nominis exegeta, episcopo Gandavensi, natus est anno 1585 in oppido Ackoy Batavi comitatus Leerdam. Praecocis ingenii, Lovanii in collegio Falconis philosophiae premium assecutus, in collegio Hadriani theologicis studiis incubuit. Hac aetate erat tan-

[1] *Doctrinae eius, quam certorum articulorum damnatio postulare visa est, brevis et quoad fieri potuit ordinata et cohaerens explicatio.*

[2] Simul auctores monent, apud utrumque nonnulla reperiri Baiano sapore infecta.

[3] Controversia Lessiana non habet intimum cum Baianismo nexum, licet magnam in ea partem egerint tum ipse Baius, tum eius discipulus et amicus Iansenius.

topere amicus Societatis Iesu, ut in sodalem ei adscribi rogarit. Recusata admissio, – utrum ob valetudinem parum firmam, an ob alias rationes vix constat, – de amico reddidit infensum. Ad quod simul contulit commercium cum Batavo theologo Iacobo Iansonio, tunc eiusdem collegii rectore, Baii assecla, et hostili sensu erga Ignatianum institutum animato. Lovanii tunc temporis Iansenius cognovit iuvenem acuti ingenii, in Iesuitarum collegio theologicis studiis incumbentem, Ioannem du Verger de Hauranne, quem Lutetiam Parisiorum anno 1604 reducem, eodem valetudinis causa mox secutus est, ubi studia sua theologica protraxit. Dein rogante amico, qui in patriam suam urbem Baionam recesserat, se eodem contulit, ut simul ambo studiis vacarent. Anno autem 1617, Lovaniensibus amicis invitantibus cedens, Lovanium rediit, ibique novi collegii Batavorum S. Pulcheriae dicti rector est renuntiatus. Doctorali laurea anno 1619 obtenta, exegesim praecipue docere coepit, variisque scriptis exegeticis [1] et polemicis [2] magnam brevi famam obtinuit. Unde non semel ab Universitate in Hispaniam uti legatus missus est ad varias lites, imprimis cum Iesuitis, componendas.

Tunc temporis Iansenius aggressus est instaurationis opus, quod iam cum amico du Verger Baionae simul conceperat. Dum amicus eius Parisiis disciplinares imprimis in re sacramentali moliebatur innovationes ad primaevam Ecclesiae puritatem instaurandam, Iansenius per viginti annos operi incubuit de gratiae doctrina agente. Quum iuxta eum systemata tunc vigentia Pelagianismo aut saltem Semipelagianismo essent infecta, « veram gratiae doctrinam » exponere aggressus est ad mentem S. Augustini. Interim, mediante Philippo IV, ad sedem episcopalem Yprensem evectus, dum magno zelo dioecesim gubernabat, opus suum simul absolvere studuit, perfectumque regiam licentiam Lovanii edendi obtinuit, mense Ianuarii anni 1638. Sed ecce violenti corre-

[1] Commentarium manuscriptum in *Pentateuchum* magna diffusione gaudebat.

[2] In satirico scripto, cui titulus *Mars gallicus*, vehementer impugnavit duplicitatem regum Galliae, qui ex una parte sese uti principes Ecclesiae defensores buccinabant, ex altera vero cum protestantibus foedera contra catholicam Hispaniam inibant.

ptus morbo, qui tunc in Yprensi civitate serpebat, Iansenius 6 maii eiusdem anni obiit.[1]

Nimis erat acutus quam ut non praeviderit librum suum magnas discussiones esse suscitaturum, et a Sede Apostolica severo examine iudicandum, quum plures in eo Baii errores plus minusve aperte instauraret. Quare in fine libri Iansenius sese iudicio Ecclesiae submissum protestatus est. Imo editio princeps Lovaniensis post libri titulum continet protestationem similem a Iansenio in ipso suo testamento factam.[2] Sed authenticitas huius testamenti nuper vocata est in dubium ab erudito viro A. Vandenpeereboom,[3] qui ex Yprensibus archiviis publicavit testamentum genuinum, cui Iansenius duobus horis ante mortem nomen apposuit. Quum enim nihil in eo nec de libro nec de retractatione hypothetica reperiatur, suspicio adest haec fuisse ab ipsis editoribus adiuncta, quo diffusionem libri securiorem redderent. Quidquid sit, Iansenium in sinu Ecclesiae catholicae obiisse, non est dubium. Quare, licet eius liber ab haeresi salvari nequeat, ipse non est proprie adnumerandus haereticis. Non inde tamen est a gravi temeritate absolvendus, quum ex una parte se a Baianis erroribus non satis recessisse, et ex altera parte se audacem librum confecisse, nullatenus ignorare potuerit.[4]

Itaque biennio post auctoris obitum in lucem prodiit[5] famosus liber cui titulus: *Cornelii Iansenii, Episcopi Yprensis, Augustini, seu doctrina S. Augustini de humanae naturae sanitate, aegritudine, medicina adversus Pelagianos et*

[1] Sepulchrum Iansenii asservatur in ecclesia olim cathedrali Yprensi, quam pristino splendori vixdum restitutam, heu! teutonica arma horrendo modo nuper destruxerunt.

[2] Iuxta hoc testamentum Iansenius consignabat suum librum capellano suo Lamaeo, qui eum transmitteret amicis suis Lovaniensibus Fromondo et Galleno, ab eis typis edendum, absque mutationibus, ob intimum nexum quem partes omnes habent ad invicem. Insuper declarabat se accipere omnes mutationes ab Apostolica Sede inducendas, quum Ecclesiae, in cuius sinu totam vitam duxerat, etiam in morte obedire vellet.

[3] *Ypriana* (1882). *Cornelius Jansenius, septième évêque d'Ypres, sa mort, son testament, ses épitaphes.*

[4] Bene Iungmann: « Somit kann man es nur dem Urtheil des höchsten Richters « anheimstellen, in welchem Grade Iansenius schuldbar gewesen sei » (*Kirchenlex-Hergenr. - Kaulen.* art. *Iansenius* t. VI, col. 1230).

[5] Frustra Internuntius Stranius inceptam operis editionem abrumpere conatus est.

Massilienses, tres tomi in 1 fol. Prima pars octo libris agit de haeresi Pelagiana; secunda, praeter librum introductionis de ratione et de auctoritate in rebus theologicis (1 l.), tractat de gratia prioris hominis et Angelorum (2 l.), de conditione naturae lapsae (4 l.), et de natura pura (3 l.); – tertia demum de gratia Christi Salvatoris (10 l.), et in ultimo libro de erroribus Semipelagianorum et quorumdam recentiorum.

Fundamentum errorum in hoc vasto opere expositorum est ipsa falsa doctrina Baii de elevatione ad ordinem supernaturalem tamquam humanae naturae debita. Inde per peccatum originale natura est intrinsece corrupta. Concupiscentia habitualis, in qua residet essentia peccati originalis, passivam voluntatem ad malum necessario trahit, nisi victrice maioris ponderis gratia superetur. De quibus erroribus partim iam diximus; partim, uti de Baianis, in sequentibus dicemus.

Vixdum editum opus et in varias regiones diffusum magnas provocavit controversias, Baianis et Iansenii amicis illud magnopere extollentibus; aliis vero, imprimis e Societate Iesu theologis non minori ardore illud impugnantibus. Iam anno 1641 S. Inquisitionis decreto interdictum, Urbanus VIII sequenti anno Bulla *In eminenti* iterum proscripsit, tum quia, contra Pauli V iussa, controversias de gratia instaurabat, tum quasi plures Baii propositiones propugnabat. Quo efficacius autem finem liti imponeret, eadem Bulla Pontifex proscripsit alia scripta, quae hac occasione quaestiones de gratia agitabant. Sed lis nullatenus fuit sopita. Quin Universitas Lovaniensis, cum archiepiscopo Mechlineensi Boonem aliisque praesulibus novae favebat doctrinae, quae et in vicinis regionibus fautores invenit non paucos. In Galliis, innovatio induit in re sacramentali indolem magis practicam, duce Ioanne du Verger, cui adstabat atque successit post prioris obitum (anno 1644) Antonius Arnaldus (Arnauld), per cuius familiae operam utraque abbatia Portis Regalis veluti novae Iansenistarum sectae arx est constituta. Post primam inefficacem condemnationem Universitatis Parisiensis, Nicolaus Cornet, eiusdem syndicus, quinque propositiones ex Iansenii libro, cum duabus ex Arnaldi opella de Communione excerptas, ad Sorbonae iudicium detulit.

Sed instantibus Ianseniani Consilium Nationis (Parlement) sese huic iudicio opposuit, dum alii, imprimis S. Vincentius de Paulo, [1] acerrimus Iansenistarum adversarius, omnibus mediis adlaborarunt ut negotium ad Apostolicae Sedis iudicium deferretur. Quod actum est. Etenim mense Aprili anni 1651 octoginta quinque episcopi ad Innocentium X epistolam miserunt, [2] denuntiantes ei quinque propositiones Iansenii nuper ad Sorbonam delatas. [3]

Summus Pontifex ad examinandas praepositiones Commissionem instituit quinque Cardinalium, quibus adstabant tredecim Consultores. Per duos annos haec Commissio habuit sessiones 36; ultimis decem ipse Innocentius interfuit. Omnis facultas data est delegatis Ianseniani ut suam tuerentur causam, quam eorum caput Ludovicus de St-Amour coram ipsa Commissione peroravit. Quum sessiones ad finem essent adductae, rescriptum Pontifici consignarunt, in quo triplici distincta columna propositionibus dabatur 1) sensus Lutheranus et Calvinianus, 2) sensus Pelagianus, Semipelagianus et, uti aiebant, Iesuiticus, 3) sensus orthodoxus, Iansenianus. Tandem, die 31 Maii anni 1653, Constitutione *Cum occasione* quinque propositiones cum adiecta singulis propria censura *damnatae sunt* in sensu quo in libro *Augustinus* reperiebantur. [4] Ad regem Ludovicum XIV et ad episcopos Galliae, curante Innocentio X, transmissa, haec Constitutio regio edicto, die 4 Iulii eiusdem anni, acceptata est; pariter-

[1] Quum hic vir ex eadem regione esset oriundus, omni conatu du Verger eum ad suas partes trahere studuit. Sed celeberrimus horum colloquiorum exitus Vincentii zelum pro tuenda veritate duplicavit.

[2] Ex altera parte erant episcopi undecim.

[3] Duas alias propositiones ex Arnaldi opella excerptas omiserunt.

[4] En huius damnationis tenorem: « Primam praedictarum propositionum: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum prae- « sentes, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possi- « bilia fiant: temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnandam et haere- « ticam declaramus, et uti talem damnamus.

« Secundam: Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur; hae- « reticam declaramus, et uti talem damnamus.

« Tertiam: Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requi- « ritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione: haereticam « declaramus, et uti talem damnamus.

« Quartam: Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris neces- « sitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici; quod

que a Sorbonica Universitate et a Galliarum episcopis in solemni synodo collectis omni debito honore gratoque sensu, curante imprimis Cardinali Mazzarino, recepta, licet aliqui de non audito praevio Gallicanae Ecclesiae sensu conquesti sint.

Tam solemni et nitida damnatione fulminati, Iansenistae incerti inter rebellionem vel submissionem vel appellationem ab Concilium generale, mox, suadente capite Arnaldo, propositiones quidem damnarunt, at simul contenderunt eas in Iansenii libro non reperiri nisi ad mentem S. Augustini, quam certe Pontifex damnare non intendit. Fundamentum huius distinctionis, Bullae textui prorsus contrariae, ipse Pontifex, plurium episcoporum epistola de periculo monitus, omnino sustulit, declarando propositiones fuisse in sensu Iansenii damnatas. Tunc Arnaldus in publica sua defensione Iansenistici ducis a Liaucourt, cui denegabatur absolutio, aliam distinctionem induxit in Ianseniana lite celebrem, iuxta quam Summus Pontifex est quidem infallibilis in quaestionibus *iuris* (utrum, scilicet, haec aut illa propositio sit damnanda), sed non in quaestionibus *facti* (utrum in damnato sensu apud talem aut talem auctorem recurrat). Quare in istis sufficit ut praestetur *silentium obsequiosum*. Etsi rigidiores, uti Pascal,[1] neque agnoscebant propositiones in se esse iure damnatas, passim Arnaldiana distinctio a Iansenistis fuit admissa. Audax Arnaldi thesis a sexaginta Sorbonae doctoribus proscripta fuit, eiusque auctor uti contumax e sinu Universitatis expulsus. Similem Galliarum episcopi sententiam tulerunt, cui ad se missae Alexander VII, Inno-

« vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtem-« perare: falsam et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

« Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino homi-« nibus mortuum esse aut sanguinem fudisse: falsam, temerariam, scandalosam et « intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus « sit: impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, et haere-« ticam declaramus, et uti talem damnamus ».

[1] Dolendum sane tam alti ingenii virum Iansenistico zelo tantopere fuisse abreptum, ut in Societatem Iesu Iansenianis infensissimam satiricis et calumniosis litteris invehere non dubitarit. Scribendi ars parum communis qua auctor pollebat, - quod licet minori gradu de Arnaldo et Nicole aliisque valebat, - diffusioni erroris non parum contulit; haud secus ac morum levitas, in quam Ianseniani austero magis quam sincero zelo invehebant, et quam nonnulli plus minusve excusare videbantur.

centii successor, respondit Constitutione *Ad Sanctam B. Petri Sedem*, die 16 Octobris anni 1656, qua decessoris sui damnationem omnino confirmabat. In nova itaque synodo congregati Galliarum episcopi iuramentum antiiansenisticum a personis sacris praestandum induxerunt. Restiterunt non solum moniales Portus Regalis, sed alii, imo Episcopus Aletensis Nicolaus Pavillon, qui imo in cleri sui sodales iuramentum praestantes excommunicationem comminatus est. Quare nova Constitutione *Apostolici regiminis* (11 febr. 1664) idem Pontifex in eodem sensu formulam clericis subscribendam imposuit. Quae Constitutio, a Rege agnita, a plerisque fuit episcopis in usum inducta.

Sed ecce quatuor episcopi, Aletensis, Andegavensis, Bellovacensis et Apamiensis in epistola pastorali, qua hanc Alexandri Constitutionem suo clero transmittebant, Arnaldianam simul distinctionem propugnarunt. Ad tantum scandalum praefocandum Pontifex epistolam Romae interdixit, et simul iussit ut canonicus processus in istos praesules in Gallia institueretur. Sed variis de causis eius successor Clemens IX, ad mitius consilium adductus, annuit ut a processu temperaretur, dummodo isti quatuor episcopi iuramentum ab Alexandro praescriptum praestarent. Quod quidem egerunt; sed ita ut simul internam mentis restrictionem, Iansenistica duplicitate, servarent. Etsi de hoc facto privatis litteris admonitus, pontifex publicis documentis fidem praestans, beneplacentiae litteras ad hos episcopos misit.[1] Et quum brevi post Clemens IX obierit, apud Iansenistas triumphantes falsa opinio sparsa est, Clementem Arnaldianae distinctionis legitimitatem admisisse. Interim usque ad aulam regiam insidiae magis magisque invaluerunt; et Gallicanismi spiritus, una cum hostilitate erga ordines religiosos, non parum crevit. In Belgii et Hollandiae partibus Iansenismus plures fautores habuit, quibus defuncto Arnaldo (a. 1694), praeerat antiquus Oratorianus Paschasius Quesnellus.

Novam occasionem agitationibus praebuit casus moralis de agendi ratione confessarii, qui moribundum habet ita

[1] Clementem pro bono pacis id optima intentione egisse, extra dubium est. Benignitatem autem eius nimiam nocuisse magis quam profuisse, pariter constat.

dispositum ut propositiones quidem reiiciat, non admittat autem eas in damnato sensu in Iansenii libro contineri. Quadraginta professores Sorbonae, inter quos Elias Dupin [1] et Natalis Alexander, absolutionem tali dari posse responderunt. Responsum damnavit Clemens XI, et simul Bulla *Vineam Domini,* praedecessorum suorum documenta confirmavit, et omnem Arnaldinae distinctioni viam praeclusit.

Ita rebus se habentibus, Quesnellus [2] Novum Testamentum gallice vulgavit notulis et moralibus considerationibus illustratum, adprobante et commendante duce de Noailles tunc episcopo Catalaunensi, mox archiepiscopo Parisiensi et Cardinali. Quesnelli opus cui titulus: *Le nouveau Testament en français avec des réflexions morales sur chaque verset, pour en rendre la lecture plus utile et la méditation plus aisée,* erat sub elegantis styli et ascetismi blanditie Iansenistico veneno tantopere conspersum, ut Clemens XI per Breve *Universi Dominici* (a. 1708) sub excommunicationis poena has *Réflexions morales* proscripserit, et exemplaria igni damnarit. Quum hoc Breve uti abusivum Gallico Congressui displiceret, nec Cardinalis de Noailles librum a se probatum tueri desisteret, rogante Rege Ludovico XIV, Pontifex, post maturum examen per duos annos protractum, die 8 Septembris anni 1713, publicavit celebrem Constitutionem *Unigenitus,* [3] qua 101 propositiones Quesnelli, uti Iansenismo infectas aliosque errores spargentes, damnavit. A Rege et Congressu agnita, licet non sine iniuriosa quadam revindicatione libertatum Gallicanarum, Constitutio fuit quoque recepta ab Universitate. In cleri synodo praesules maxima parte Constitutionem acceptarunt, – inde dicti *acceptantes,* – dum quindecim, duce Cardinali de Noailles, ulteriores a Pontifice explanationes exposcendas existimarunt. Haud mul-

[1] Hic usque ad finem pertinax remansit; sicuti et moniales Portus Regalis, quorum Abbatia in obstinationis poenam suppressa fuit. Alludens forsan ad nomen utriusque Angelicae Arnauld, quae tunc Abbatiae praeerat, quidam de his monialibus dixit: « Habent puritatem angelicam, diabolicam autem superbiam ». – De multis operibus quae de Portu Regali tractant cf. Brunet, *Manuel du Libraire,* Paris, 1860 sq., VI, 1180, n. 21940 sq.

[2] De Quesnello consule inter alios Picot, *Mémoires pour servir à l'hist. ecclés. pendant le 18e siècle,* Paris, 1806, 2 vol.

[3] Cf. Schill, *Die Constit. Unigenitus,* Freiburg, 1876.

tum post, mortuo Ludovico XIV, sub regente minus animoso Philippo Aurelianensi, quidam episcopi ad Concilium generale appellarunt, - unde dicti *appellantes*, - consentiente Universitate Parisiensi, ipsoque Cardinali de Noailles, qui tamen mox sese sincera mente submisit, et Ianseniana partes sua submissione ac morte valido patrocinio orbavit.[1]

Taceo perturbationes provocatas a dictis miraculis[2] ad tumbam cuiusvis Ianseniſtici diaconi Francisci de Paris in coemeterio S. Medardi patratis. A quibus miraculis ob freneticam suam formam, *convulsionariorum*, maxime mulierum, quaedam veluti secta ortum duxit. Res Ianseniſtarum praestigio plus longe nocuit quam profuit. Annorum nihilominus decursu agendi ratio in confessione cum appellantibus tenenda saepius agitata est. Rescriptum a Benedicto XIV anno 1756 datum, licet forma miti conceptum, non fuit a partibus debita docilitate acceptum. Interim magna regiminis perturbatio, dicta *Révolution française*, ad alia mentes convertit. Unde Ianseniſmus, uti expressa doctrina, e Galliis et e Belgio[3] evanuit. Principem sedem Ianseniani nunc tenent in Batava ecclesia Ultraiectensi.[4] Per suam oppositionem ad definitionem de Immaculata Conceptione B. M. V., necnon ad Concilium Vaticanum, hac duplici insuper ratione sese ab unitate Ecclesiae catholicae separarunt.[5] Unde primum episcopum schismaticae Ecclesiae dictae *Vieux catholiques* Batavi episcopi Ianseniſtae consecrarunt.[6]

[1] Inter praesules qui in Gallia Arnaldianae distinctioni fortius restiterunt, laudandus est Fenelonius (cf. eius epistolam ad patrem Lami O. S. B.: *Œuvres complètes*, x, 632 sq.). Eam pariter impugnavit Bossuetius (cf. eius epist. ad moniales Portus Regalis: *Œuvres compl.*, x, 632 sq.).

[2] Haec miracula magni fiebant a Ianseniſanis, ipseque Pascal ea extollere non dubitavit.

[3] Extat tamen in Flandria prope Aldenardam congregatio Ianseniſtica numero minima, at in suo errore tenacissima.

[4] Primus Archiepiscopus Ianseniſticus Ultraiectensis fuit Steenhoven, generalis vicarius eiusdem schismatici Capituli. Ab hac aetate successio episcopalis in hac ecclesia schismatica simul et haeretica ad praesens tempus non interrupta existit.

[5] De Ianseniſtarum tentamine cum schismaticis Russis fraternam relationem ineundi cf. *Etudes relig. philos.* etc. 1874, p. 467.

[6] Cf. Hergenröther, *Kirkch. Gesch.*, 3 édit., III, 357 sqq.; Jungmann, *Dissert. select. in Hist. eccles.*, VII, Ratisb., 1887, Diss. XL. - De operibus quae in favorem Ianseniſtarum et contra eos scripta sunt, consule Roskováni, *Rom. Pont.*, I, c. III, 792.

MEMBRUM I.

DE PECCATO PRIMI HOMINIS.

Ordo huius Membri ab ipso S. Thoma indicatur. In primo Capite de ipso *peccato* actuali primi hominis; in secundo de *poena* eiusdem peccati; in tertio de *tentatione*, quae ad id conduxit. Ita tamen huic ordini inhaerebimus, ut, agentes de gravitate peccati, connexam quaestionem de possibilitate peccati levis in statu innocentiae breviter disputemus; et de peccati poena tractantes, de statu habituali inde secuto verbum faciamus.

Monitum praevium.

Antequam ad primum huius Membri Caput evolvendum accedamus, rursus lectorem instanter monendum ducimus, in tota nostra expositione supponi, tamquam extra controversiam positam, historicitatem narrationis Mosaicae de protoparentum lapsu.[1] Quae historicitas non solum ex ipso narrantis stylo elucet,[2] sed et aliis Scripturae textibus confirmatur, imprimis N. Testamenti, uti opportunis locis apparebit.

[1] Adductis primis verbis narrationis Mosaicae de protoparentum tentatione et lapsu, Bossuetius non diffitetur haec primo intuitu prae se ferre aliquid fabulosi et quasi spernendi: « Voici dans la faiblesse apparente d'un commencement si étrange « du récit de nos malheurs, la profondeur admirable de la théologie chrétienne. Tout « paraît faible; osons le dire, tout a ici, en apparence, un air fabuleux; un serpent « parle; une femme écoute; un homme si parfait et très éclairé se laisse entraîner « à une tentation grossière; tout le genre humain tombe avec lui dans le péché et « dans la mort: tout cela paraît insensé ». Sed pulchre ad haec reponit: « Mais c'est « ici que commence la vérité de cette sublime sentence de saint Paul: * " Ce qui est « en Dieu une folie (apparente), est plus sage que la sagesse des hommes; et ce qui « est en Dieu une faiblesse (apparente), est plus fort que la force de tous les hom- « mes ,, ».**

[2] Bene cl. Laminne: « Le récit a un tout autre accent que les mythes païens... « La tentation d'orgueil, le rôle de la femme, son châtiment, la condition de l'homme « condamné au travail et à la mort, ont un caractère de vérité impressionnant ». ***

Et paulo inferius addit: « Le texte sacré que nous venons de rapporter n'est pas « un récit allégorique en ce sens qu'il ne rapporterait aucun fait réel, mais serait « une légende ou une histoire imaginée pour inculquer une vérité morale d'ordre

* 1 Cor. 1, 25.

** Op. cit., v *Sem.*, 1 *Elév.*

*** Op. cit., ch. II, p. 31.

Modus enim, ut alia taceam, quo S. Paulus inter se confert peccatum Adami et Evae, hanc historicitatem extra omne dubium ponit. Ad summum controversia posset moveri, quemadmodum ipsa responsa Pontificiae Commissionis de Re Biblica agnoverunt,[1] de una aliave imagine in narratione a scriptore sacro adhibita, quae tamen substantiam facti non attingit.

Unde, si illos scriptores excipias, qui, duce Origene, in allegoricas interpretationes nimis erant proclives, quarum vestigia imprudenti zelo hodie Modernistae premere solent, Patres, universaeque Ecclesiae traditio historicitatem narrationis Mosaicae proclamant atque supponunt. Quod et valet de Liturgia.[2] Tempore Passionis, in Missae Praefatione Ecclesia canit: « Qui salutem humani generis in ligno Crucis con- « stituisti: ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret ». Et in hymno « Pange, lingua, gloriosi lauream certaminis » :

De parentis protoplasti
Fraude Factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit:
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat;
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde laeserat.

« abstrait. D'autre part, il n'est peut-être aucun détail de cette narration qui n'ait « reçu chez l'un ou l'autre Père une interprétation figurée ». *

Quae ultima verba, si in sensu exclusivo intendantur, scilicet nullam esse partem aut incisum huius narrationis quod unus aliusve Pater non exclusive in figurato sensu intellexerit, nego; si agatur de scriptoribus qui sanam Ecclesiae traditionem expresserint, in sensu non exclusivo, concedo; figurativus autem sensus historicum sensum cui superstruitur, non debilitat, sed confirmat.

Caeterum non hodie omnia licent, quae semel licita fuerunt; essetque deplorabilis excessus instauratio symbolismi scholae Origenianae, contra quam Ecclesiae traditio se magis magisque saeculorum decursu expressit. Haec occasione huius sententiae dixerim, ne urgeatur ultra eam quam censeo esse genuinam scriptoris sententiam, utpote qui responsa Pont. Comm. de Re Biblica reverenti calamo non semel adducit.

[1] Resp. V. – Cf. in praecedente nostro volumine p. 669.

[2] Quanta magistra sit Ecclesiae Liturgia, demonstrant haec verba Pauli Claudel conversionem suam denarrantis: « Le grand livre qui m'était ouvert et où je fis « mes classes, c'était l'Eglise! Louée soit à jamais cette grande mère majestueuse « aux genoux de qui j'ai tout appris ». Non est huius loci investigare quousque haec conversio fuerit genuina. Praefatio sane quam Claudel scripsit in editionem operum Arthuri Rimbaud, tam lascivi quam impii poëtae, nonnullis dubium iniecit. Sed de hac schola inferius sermo redibit.

* Op. cit., ch. II, p. 32, sq.

Pulcherrime inde canit Dantes Alighierius:

Per morder quella (pianta), *in pena ed in desio*
Cinque mille anni e più l'anima prima
Bramò Colui che 'l morso in se punio.[1]

Consonat ars sacra, fidelis Scripturarum et traditionis interpres, ab aevo prope apostolico ad nostra usque tempora. *Bibliae* enim *pauperum*, – ita enim vocari solebant, integri in parietibus ecclesiarum cycli sacri, qui figurabantur, sive pictis coloribus, sive, uti v. gr. in abbatiali templo Montis Regalis et olim in basilica Nativitatis Bethleemitica, opere musivo, sive figuris sculptis vitreisve, uti in ogivalis epochae magnificis templis,[2] – hae, inquam, Bibliae[3] tentationem primorum parentum cum miseris eiusdem sequelis minutissime oculis populi apponere solebant.[4]

Porro, praeter libros sacros, hanc traditionem apud Hebraeos fuisse sedulo servatam, apertissime constat. In traditionum collectione Rabbi Menalchhem diserte affirmat, in Adamo totum systema mundi et ipsum humanum genus

[1] *Purg.*, cant. XXXIII. Et alibi hanc Redemptionis oeconomiam ita profunda illustrat:

Questa natura al suo Fattore unita,
Qual fu creata, fu sincera e buona:
Ma per se stessa pur fu isbandita
Di Paradiso, perocchè si torse
Da via di veritate, e da sua vita.
La pena dunque, che la Croce porse,
S'alla natura assunta si misura,
Nulla giammai si giustamente morse:
E così nulla fu di tanta ingiuria,
Guardando alla persona che sofferse,
In che era contratta tal natura.

Et longiorem inquisitionem circa varios modos quibus Deus hominem lapsum redimere potuisset, concludit:

E tutti gli altri modi erano scarsi
Alla giustizia, se 'l Figliuol di Dio
Non fosse umiliato ad incarnarsi. *

[2] Quis, nisi furore in barbariem versus, non illacrimet tot mirandis ingenii portentis, quae bellica tormenta, nec diei, nec imo horae sacratissimae Mortis Domini parcentia, nuper destruxere! *Sunt lacrimae rerum.*

[3] Adde Biblias summa elegantia scriptas tabulisque artis « miniaturisticae » dictae ornatas.

[4] Cf. H. LECLERCQ, *Adam et Eve dans l'art chrétien* (*Dictionn. d'archéologie chrét. et de liturg.*, publié par D. FERN. CABROL, abbé de St Michel de Farnborough, t. I, p. I, col. 509, sqq.).

* *Par.*, cant. VII.

fuisse compendiata. « Unde ipso peccante totum in eo genus « humanum peccavit. Quare poenam ipsius iniquitatis feri- « mus; non autem peccatorum deinceps ab eius filiis com- « missorum: haec enim non sunt nisi personalia ».

Iuxta librum Henoch slavicum, Satanaël cecidit et factus est Satan, quia invidens potestatem homini in terra datam, molitus est formare alium mundum quem gubernaret. Iuxta librum vitae Adae, postquam Deus hominem ad imaginem et similitudinem fecerat, iussit Angelis ut eum adorarent. Michaël primus obedivit, princeps autem daemonum cum suis restitit, et a Deo in poenam rebellionis caelo expulsus est.[1] Quae saltem exprimunt primaevam hominis dignitatem a quo cecidit.

Sed et consonat multiformis aliorum populorum traditio.[2]

Apud Graecos tentationis protoparentum vestigia valde apparentia reperiuntur in mythis Pandorae et Promethei. Pandora, iunior mulier, omnibus cumulata donis, cadum habet, quem aperire vetatur, et e quo proterve aperto omnia effluunt mala, relicta tamen in imo cado spe. Ecce non solum Evam curiositate seductam, sed ipsam redemptionem a mulieris semine expectandam. Prometheus secretum divinitatis subripere aggressus, ad rupem alligatus a mali vulture, Echidna, monstro partim muliere, partim serpente, nato, devoratur, et tamen spem in liberatorem servat. En tentatorem serpentem, Adamum seductum, arborem scientiae boni et mali, uti Dei ferentem secretum, promissumque Redemptorem.

Idem fatentur et poëtae[3] et philosophi. Esiodus ait, omne

[1] Cf. J. B. Frey, *L'angélologie juive au temps de Jésus-Christ.* Extrait de la *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, t. v, 1911, pp. 75–110, fasciculus separ., p. 32.

[2] Cfr. Auguste Nicolas, *Etudes religieuses*, t. II, ch. IV, § 1.

[3] Cfr. Ovidius, *Métamorph.*, 8; Vergilius, *Géorg.*, I. – Ex communi expectatione Messiae, cuius vatem se exhibuit Vergilius, anglus poëta Pope vaticinia Isaïae et Pollionis permiscens, carmen cecinit cui titulus *Messiah.* – Audiatur Horatius:

Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem aetherea domo
Subductum, macies et nova fabrium
Terris incubuit cohors;
Semotique prius tarda necessitas
*Lethi corripuit gradum.** .

* L. I *Carm.* III, 27 sqq.

malum humano generi derivari a Prometheo, qui primus acceperat virginem ab ipso Iove formatam. Plato hominis naturam et facultates corruptas dicit in ipso capite, idque a nativitate.[1] Philolaus philosophus Pythagoreus affirmat, animam in corpore esse veluti in tumulo sepultam, in punitionem alicuius delicti. Quam assertionem suam facit Tullius.[2] Adde, serpentem induci in mysteriis Bacchi et exclamationem Evoe in bacchanalibus usitatam.[3]

Apud Persas habetur legenda sat similis. Meschia et Meschianè, vir et uxor suberant dociles deo Ormuzd. Quorum felicitati invidens Arimane, se deum similans, sub serpentis forma eis porrigit fructus. Ambo decepti deceptori deinceps fuere subiecti.

Aegyptiorum Typho, draco centum ferens capita, est haud secus ac Phaenicium Kneph et Graecorum Pytho, vestigium daemonis tentatoris.[4]

Apud Indos, Brahmani considerabant hominem uti lapsum. Malorum princeps Assours est rex serpentum. Serpens Kali est partim serpens, partim mulier. Ad reparandum hominem requiritur incarnatio Visnù. – Apud Sinenses, homo rebellat in caelum. In libro Likyki homo primum Dei mandatum despiciens, vult cum Deo discutere de vero et bono. Quare amissa ratione immortali, adhaeret rebus terrenis: inde omnes passiones erumpunt. Mali auctor est draco Ci-Jeou, mulier-serpens. – Apud Japanenses, serpens machinatur contra Deum. – Apud Scandinavos populos, filius Loke, mali prin-

[1] *In Timaeo.*

[2] *In Hortensio.* Cfr. textum allatum in praeced. volum., p. 657.

[3] Tertullianus et Epiphanius * loquuntur de haereticis Ophitis, qui cultum tribuebant serpenti.

[4] Cultus serpentis ab antiquis Ægyptiis usque ad haec nostra tempora apud Mahumedanos in illa regione perdurat, imprimis in loco sacro ubi sepulchrum Sheikh Heridi, in serpentem conversi, eiusque mulieris colitur. Qui locus a Christianis traditur esse ille ipse quo Angelus Raphaël olim daemonem voluptatis expulit. **

* *De praescript.*, c. 47; *Haeres.*, 37.

** Cf. Prof. A. H. Sayce, *Serpent worship in ancient and modern Egypt - Contemporary Review*, Oct. 1893. — H. E. E. Hayes, *Serpent worship and Islam in Egypt - The Moslem Review*, July, 1918, p. 278 sqq. Qui auctor concludit: « In « spite of their intolerant policy, and bitter exclusiveness, Islam has failed to root « out the influence of the old paganism; she does not bring enlightenment to those « who sit in darkness and in the shadow of death ».

ceps, immensus est serpens mundum suis nodis circumstringens. – Traditionem de muliere serpente apud Scythos vigentem memorantur Herodotus et Diodorus Siculus. – Refert Humboldt traditionem apud Mexicanos exstantem de colloquio a prima muliere, carnis nostrae matre, habito cum serpente, cui unitur mulier Cihua-Cohualt.

Nec tacenda elegans apud insulares Andamanerios e stirpe pygmaeorum servata, de mandato relinquendi in arboribus primos et pulchriores aetatis fructus. In qua traditione non solum reperitur principium unde provenit lex de decimis Deo offerendis, sed insuper vestigium legni vetiti agnoscitur.

Hisce multiformibus vestigiis undique collectis non immerito applicatur Aristotelis dictum: « Si quis ipsum solum « primum separando accipiat, hoc est enim paternum dogma, « divine profecto dictum putabit ».[1]

CAPUT I.

DE IPSO PECCATO ACTUALI PRIMI HOMINIS.

(II-II Quaestio CLXIII).

Ordo quaestionis. – Duas partes continet haec Quaestio: 1) S. Thomas agit de *qualitate* peccati actualis primi hominis; 2) agit de *quantitate* eiusdem. Qualitatem autem considerat *a*) modo *generaliori, b*) modo *specialiori;* quantitatem vero *a*) relate ad *omnia* alia peccata, *b*) comparative peccatum *Adami* cum peccato *Evae* conferendo.

[1] *Métaphys.*, t. xii, c. 8. Ad rem hic quoque faciunt haec verba Cardinalis Newman: « There was never a time when God had not spoken to man, and told him « to a certain extent his duty. His injunctions to Noah, the common father of all « mankind, is the first recorded fact of the sacred history after the Deluge. Accord« ingly, we are expressly told in the New Testament that at no time He left « Himself without witness in the world, and that in every nation He accepts those « who fear and obey Him. It would seem, then, that there is something true and « devinely revealed in every religion all over the earth, overlooked, as it may be, « and at times even stifled by the impieties which the corrupt will and under« standing of men have incorporated with it ». *

* *Arians of the fourth century*, chap. i, sect. iii. Inde loquitur de *The divinity of Traditionary Religion.*

En itaque huius Capitis schema:

Consideratur peccati Adami
- 1) *qualitas:*
  - *a*) modo *generaliori* (art. 1),
  - *b*) modo *specialiori* (art. 2);
- 2) *quantitas:*
  - *a*) relate ad *omnia alia* (art. 3),
  - *b*) relate *ad peccatum Evae* (art. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM PRIMI HOMINIS PECCATUM FUERIT SUPERBIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - Ad solvendam *quaestionem de qualitate* peccati primi hominis, duplex praesto est criterium: *extrinsecum,* auctoritatis revelationis; *intrinsecum,* analysis status innocentiae.

1) *Extrinsecum* auctoritatis criterium suadet peccatum actuale primi hominis fuisse peccatum superbiae. Etenim:

a) In *Ecclesiastico* legitur: « Initium superbiae hominis, « apostatare a Deo: quoniam ab eo qui fecit illum, recessit « cor eius: quoniam *initium omnis peccati est superbia* ».[1] Ex quo ita arguitur: Vel Iesus Sirach loquitur de initio peccati actualis in quovis homine, et tunc indirecte valet locus de ipso peccato primi hominis; vel loquitur de initio peccati in mundo, et tunc directe solvit quaesitum. Hoc altero sensu arguit S. Thomas in *Sed contra est.*

b) Tobias inter monita quae dat filio, haec habet: « *Su-* « *perbiam* numquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari « permittas: *in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio* ».[2] Qui locus forte magis explicite de initio historico perditionis per Adamum loquitur.

c) Corroboratur autem ex Angelorum lapsu, qui causam habuit superbiam,[3] uti fuse loco suo ostendimus, et insinuatur in famoso carmine Isaiae, ubi directe quidem agitur de ruina Babylonici tyranni; ita tamen ut ex tota traditione lapsus principis daemoniorum ibi describatur, imo lapsus Babylonici regni poëtice cum lapsu diaboli conferatur.[4]

[1] Eccli., x, 14, 15.
[2] iv, 14.
[3] Is., xiv, 12-15.
[4] Cf. i, q. lxiii, 2, 3.

De interpretatione narrationis *Geneseos* c. III in fine huius Quaestionis agemus.

2) Si iam consulimus criterium *intrinsecum*, ad quod nos conduxit comparatio cum lapsu Angelorum, ad eandem doctrinam per exclusionem pervenimus. Etenim quum in hoc innocentiae statu nullum esset cupiditatis incentivum circa bonum sensibile, peccati principium non potuit esse nisi in apprehensione boni spiritualis. Haec autem rursus apprehensio culpanda non erat per se, quia respicit obiectum per se bonum. Ergo vitium debuit esse in apprehensionis mensura. Haec autem mensura non poterat violari, nisi per inordinatum amorem sui; inordinatus autem sui amor procedit ex superbia.[1] Ergo. – Corroborabitur hoc argumentum per infra dicenda in articulo tertio, de peccati primi hominis gravitate.

3) Non ideo tamen a peccato Adami et Evae excludendae aliae qualitates ab aliis vitiis provenientes: dummodo tali inter se successione logica colligentur, ut initium ducatur a superbia. Quod magis constabit in ipsa analysi textus.

Quam successionem in Evae peccato ita pulcherrime describit Hugo Victorinus: « In originali peccato tria vitia « fuerunt, inobedientiae duae, et peccatum unum. Tria vitia « fuerunt: superbia, avaritia et gula ; duae inobedientiae: una « in praecepto naturae, altera in praecepto disciplinae. Et « haec omnia, quia in uno actu sunt completa, unum pec- « catum dicuntur. In vitiis prima fuit superbia, secunda ava- « ritia, inobedientia fuit de praecepto naturae; in gula sola, « inobedientia fuit de praecepto disciplinae ».[2] Quod evolvit ostendendo, Deum non dedisse homini praeceptum positivum de non appetenda similitudine divinitatis, nec scientiae boni et mali, sed de non comedendo de ligno vetito.

[1] Hoc sensu subscribimus sequentibus verbis Palmieri: « Hoc quidem peccatum « superbiam appellare licet; at non est opus arbitrari quod primum peccatum Adami « fuerit superbia presse accepta, nimirum prout est speciale peccatum; sed superbia « fuit prout ipsa est generale peccatum seu modus cuiusque peccati, qui simul est « cum prima libera determinatione ad malum ». *

[2] *De Sacram.*, l. I, p. 7, c. 7.

* *De pecc. orig.*, th. I, p. 11. Romae, 1904.

Iam magis expresse ostendit primum vitium fuisse superbiam. « Idcirco autem superbiam et avaritiam in originali « peccato priusquam gulae vitium mentem hominis decepta fuisse dicimus, quia, nisi prius mulier id quod promittebatur appetivisset, nequaquam postmodum in eo quod « suadebatur assensum praebuisset. Sed quia prius perverse « delectata est in promissione, postmodum stultum assensum « praebuit in persuasione. Primum enim promissam excellentiam per superbiam appetiit; deinde promissam abundantiam... per avaritiam concupivit. Postremo ut haec duo « pro voto obtinere mereretur, cibum vetitum gulae vitio « corrupta gustare consensit ».[1]

Bourdaloue hanc superbiae notam, peccati originalis distinctivam, ita optime describit: « C'est le péché originel de « l'homme de vouloir être plus qu'il n'est, et l'Ecriture nous « apprend que le premier homme n'est déchu de ce bienheureux état où Dieu l'avait créé, que parce qu'il ne se « contenta pas d'être ce qu'il était, et qu'il affecta d'être « ce qu'il n'était pas ».[2]

Hinc Milton in ore daemonis suae tentationis tramitem parantis, verba ponit, quae pulcherrime exprimunt excitamentum ad rebellionem per superbum propriae excellentiae amorem provocandam.[3]

[1] Ibid., c. 8. Nec omittenda quae sequuntur, utpote subtilis valde analysis: « Primum quidem consensit propter alia quae dilexit; postmodum respiciens et concupiscibile videns, tantum in concupiscentiam exarsit, ut iam, etiamsi pretium « nullum esset, propter se tamen placeret quod vidit. Primum igitur quasi conducta « pretio est ad consensum; postea autem propria delectatione attracta descendit ad « actum. In superbia et avaritia pretii cupiditate allecta se vendidit; in gula autem « post delectata libenter iam gratis servire coepit ». Egregium sane! Et paucis interiectis hanc pulcherrimam considerationem ex opposito adiungit: « Ita nonnunquam mens iusta in sua perfectione primum quodam proposito praemio ad ser« viendum Deo excitatur; deinde in amorem bonitatis cum excrescere coeperit, in « eius servitute sola voluntaria delectatione tenetur » (Ibid.,). Cf. ultimam sententiam Prologi S. Benedicti in Regulam suam.

[2] *Sermon pour le I Dim. après la Pentecôte*, I Partie. Cf. eiusdem praeclari oratoris et scriptoris: *Pensées sur divers sujects de religion et de morale. De l'humilité et de l'orgueil.*

[3] *One fatal tree there stands, of knowledge called,*
Forbidden them to taste. Knowledge forbidden?
Suspicious, reasonless! Why should their Lord
Envy them that? Can it be sin to know?
Can it be death? And do they only stand

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Confundit peccatum consummatum, cum causa determinante peccatum. Posito praecepto de non tangendo ligno scientiae boni et mali, utique non poterat comedi lignum nisi per inobedientiam. Non ideo tamen inobedientia fuit impellens ad peccatum. Quod sequenti discursu demonstratur penitius. Vel ita praeceptum violas, ut, si posses agere quod agis, quin illud violares, malles non violare praeceptum. Tunc inobedientia non est nisi materialiter actum concomitans. Vel intendis ipsum praeceptum violare, et tunc ageres stulte, nisi in ipsa praecepti violatione aliquod tibi fingeres bonum. Hoc autem bonum nequit esse ipsa inobedientia per se, sed est altior voluntas, quae facit inobedientiam placere, puta, superbia, odium, invidia.

2ª Obi. Non attendit dictum n. 3. Ut textus veritatem servemus, sufficit ut speciem fructus et appetitum eiusdem aliquid peccato Evae contulisse dicamus; quod non minuitur per hoc quod iam in Eva, dum hanc concupiscentiam passa est, aliquam praecessisse defectionem affirmemus, licet peccatum nondum fuerit consummatum.

3ª Obi. Solvitur haec obiectio eodem modo quo soluta est prima. Apprehensio scientiae, quum per se scientia sit aliquid praecellens, nequit esse malum nisi propter inordinationem mensurae. Haec autem mensura nequit violari nisi per inordinatum desiderium propriae excellentiae, in quo est superbia. Inde quoque ratio periculi quod scientiae inest, iuxta illud Apostoli: « Scientia inflat, charitas vero aedificat ».[1] Motus enim scientiae et charitatis opponuntur, dum altera ad se trahit scienda, altera extra se tendit in amanda.

By ignorance? Is that their happy state,
The proof of their obedience and their faith?
O fair foundation laid whereon to build
Their ruin! Hence I will excite their minds
With more desire to know, and to reject
Envious commands, invented with design
To keep them low, whom knowledge might exalt
Equal with gods. Aspiring to be such,
*They taste and die: what likelier can issue.**

[1] 1 Cor., VIII, 1.

* Op. cit., I. IV.

4ª Obi. Solvitur quemadmodum et 2ª. Cum hoc discrimine quod, licet utrimque incipiat ratio poenae, et in appetitu rei sensibilis et in deceptione quoad rem spiritualem; ibi incipit inordinatio partis inferioris hominis, hic autem partis superioris debilitatio.

Sed contra est. Cf. dicta n. 2.

Optime S. Augustinus: « Quia voluit suo consilio vivere « Adam, et lapsus est per eum qui ante ceciderat per superbiam, qui ei calicem ipsius superbiae propinavit ». [1]

In Corpore. Corpus habet duas partes: 1) ponit questionem; 2) illam solvit. In prima parte S. Thomas duo facit. 1° Concedit in peccato Adami plures malos motus esse potuisse. 2° Determinat inter hos motus principium ordinis: ita ut motus intimi animae praecesserint motus corporis: [2] inter motus animae, finis praecesserit medium. In secunda parte hoc applicat per processum exclusionis, quemadmodum supra n. 3 fecimus.

Corollarium. - Ex ipso lapsu primi parentis apparet quantum vitium sit amor proprius; [3] eo vel magis quod est omnium tenacissimum [4] et, veluti insidiosus serpens, sese in ipsum bonorum operum paradisum insinuare conatur. [5] Unde inordinatus amor sui est veluti princeps originalis culpae poena, animae, leprae instar spiritualis, intrinsece adhaerens. Recte de la Rochefoucault: « Dieu a permis, pour punir l'homme « du péché original, qu'il se fît un bien de son amour pro-

[1] *In Ioann.*, t. XXVI n. 17. - *P. L.*, t. XXXV, col. 1605.

[2] Bossuetius bene ostendit quomodo per fructus adspectum concupiscentia Evae non potuisset excitari, nisi iam eius mens a rectitudine reflectere coepisset. *

[3] Hic amor proprius a nationibus in res politicas et bellicas extensus, ad omnes sive duplicitatis, sive crudelitatis conducunt excessus, quibus homo ex una parte fit daemonum aemulus, ex altera forocissima superat bruta. Bene Lacordaire: « Machiavel est l'homme qui a eu le triste honneur d'ériger en système et en art « l'usage égoïste de la puissance, et son nom est devenu dans l'ordre politique le « nom par excellence de l'esprit tentateur ». **

[4] Inde S. Franciscus Salesius lepide dicere solebat, amorem proprium nonnisi quadrante horae post corpus emori.

[5] Quod bene exprimit Renatus Bazin in pulcherrimo suo libro *La closerie de Champdolent:* « Elle s'aimait elle-même au-dessus de tout, et cela gâtait ce qu'il y « avait de bon en elle » (p. 12).

* Op. cit., VI *Sem.*, IV *Elév.*

** LXII *Conférence.*

« pre pour en être tourmenté dans toutes les actions de sa « vie ».[1] Et Fenelonius: « Voilà tous les enfants d'Adam qui « se servent de supplices les uns aux autres; voilà la moitié « des hommes qui est rendue malheureuse par l'autre, et « qui la rend malheureuse à son tour; voilà, dans toutes les « nations, dans toutes les villes, dans toutes les familles, « jusqu'entre deux amis, le martyre de l'amour propre ».[2]

Quare omnium mortificationum optima est illa qua homo amori proprio mori conatur; et provide Deus dura immittens, quae nondum sibi vivunt, ad mortem redigit. Quod ita pulcherrime exponit idem pius Praesul: « Toutes les lumières « et tous les sentiments de ferveur se tournent en illusion « si on n'en vient pas à la pratique réelle et continuelle de « la mort à soi-même. On ne saurait mourir sans douleur; « on ne saurait mourir qu'autant que la mort attaque ce « qu'il y a de vif en nous. La mort que Dieu opère va cher- « cher jusque dans les moëlles et dans les jointures pour « diviser l'âme d'avec l'esprit. Dieu qui voit ce que nous « n'y voyons pas, sait précisément où il faut appliquer l'opé- « ration de la mort: il prend ce que nous craignons le plus « de lui donner. La douleur montre la vie; et c'est la vie qui « fait le besoin de la mort. Dieu ne l'arrêtera point à faire « les incisions dans ce qui est mort: il le ferait s'il voulait « laisser vivre: mais il veut tuer, il coupe dans le vif ».[3]

Remedium autem princeps contra amorem proprium ponit Augustinus amorem Dei. Nam, licet tria diligere homo iubeatur, Deum, se et proximum, dicit tamen, Dominum non dare nisi duo praecepta: « ut intelligeretur nullam esse aliam « dilectionem qua quisque diligit seipsum, nisi quod diligit « Deum. Qui enim aliter se diligit, potius se odisse dicen- « dus est ».[4]

[1] *Maximes,* II supplém., n. 9.

[2] *Divers sentiments et avis chrétiens,* n. 29, *Sur les Croix, Œuvres de Fénelon,* Pierre Didot, Paris, 1792, t. VIII, p. 357.

[3] *Lettre 19.* Ibid., p. 481 sq.

[4] *Epist. 155 ad Macedonium,* c. 4, n. 15. - *P. L.,* t. XXXIII, ccl. 672. Et pulchre ostendit nexum inter virtutes cardinales et genuinum hoc dilectionis mandatum: « Hoc qui sobria discretione eligit, prudens est; qui nulla hinc afflictione evertitur, « fortis est; qui nulla alia delectatione, temperans est; qui nulla elatione, iustus « est » (Ibid., n. 16, col. 673).

Quaeres I. - *Quale fuerit illud lignum boni et mali, et quare hoc nomine vocatum sit?* - Lignum hoc fuisse verum lignum, non autem aliquid aliud ligni nomine obtectum, omnino tenendum est, iuxta doctrinam quam pluries vindicavimus de historica veritate narrationis mosaicae. Quare reiicienda est prorsus sententia Mosis Bar-Cepha, qui ait: « non fuisse arborem id de quo gustavit Adam, sed vene- « reum amplexum, quo cum uxore ille corpus miscuit; eam- « que ob rem, aiunt, partum mulieris esse per Dei senten- « tiam doloribus factum obnoxium. Neque aliud voluisse « illud praeceptum, ne edatis de illa arbore, quam ne coëa- « tis, sed sancte et absque omni venere vivatis ». [1]

Quae sententia est manifesto tum contra textum narrationis sacrae, tum contra omne quod supra vidimus de divina origine nuptiarum. Quare vix tolerabilior est sententia Aben Hezra contendentis nomine ligni vetiti expressam « cognitionem nuptiale opus significare ». [2]

Verum fuisse lignum scientiae boni et mali, proclamant haec verba ex allata iam Praefatione de Cruce: « Ut qui « in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur ». Placet heic afferre pulchra verba quibus lignum scientiae boni et mali S. Ioannes Chrysostomus opponit ligno Crucis: « Lignum illud mortem introduxit: nam post praevarica- « tionem mors intravit, sed illud immortalitatem largitum « est; illud e Paradiso eiecit, istud in caelum nos reduxit; « illud propter unam transgressionem tanti supplicii reum « Adam fecit, istud nos plurimis peccatorum sarcinis exo- « neravit fiduciamque ad Deum nobis concessit. Vidistis « ligni et ligni differentiam?.... Armemus itaque nos ipsos, « obsecro, carissimi, armis ligni huius vivifici, ipsiusque vir- « tute perniciosos animi affectus mortificemus; ut et apo- « stolus Paulus his verbis [3] monet: "Qui vero sunt Christi, « carnem crucifixerunt cum affectibus et concupiscentiis „ ». [4]

[1] PAR. I, c. 9.

[2] *Ad* II *Gen.*, v. 6.

[3] GAL., v. 14.

[4] *Homil.* XVI *in Genes.*, n. 6. - *P. G.*, t. LIII, col. 134. Utrumque sibi pariter lignum pulcherrime opponit S. Gregorius Naziaz. (*Orat. 2, Apolog.*, n. 25. - *P. G.*, t. XXXV, col. 434).

Stet igitur firmum, lignum scientiae boni et mali fuisse verum lignum. Cur autem hoc nomine vocatum sit, ratio non est longe petenda. Ad rem S. Chrysostomus: « Mos « divinae Scripturae est, a rebus accidentibus nomina locis « imponere, ubi res contingunt. Eaque propter lignum hoc « vocavit Scriptura divina lignum scientiae boni et mali, quia « circa illud transgressio et observatio mandati est ». [1] Quod Basilius Seleuciensis ita bene evolvit: « Tanquam in tabula, « praeceptum in arbore praescribens, latentem intus discer- « nendi scientiam excitavit, obedientiae et inobedientiae « discrimen ad arborem adscribens ». [2] Alio sub respectu S. Augustinus arbori nomen dicit datum: « Quod istam fa- « ceret dignoscentiam inter bonum, a quo exciderant, et « malum in quod ceciderant, si ad vescendum contra veti- « tum tangeretur ». [3] Et alibi utrumque aspectum simul contraxit: « Quia si post prohibitionem homo ex illa ederet, in « illa erat praecepti futura transgressio, in qua homo per « experimentum poenae disceret, quid interesset inter obe- « dientiae bonum et inobedientiae malum ». [4]

Nec omittenda consideratio quam Hugo Victorinus addit: « Si vero aliter vim huius nominis interpretari voluerimus, « dicere poterimus, quod Adam ante peccatum, bonum et « malum scivit; [5] bonum quidem per scientiam et experien- « tiam, malum vero per solam scientiam. Postquam autem « lignum vetitum tetigit, malum iam etiam per experientiam « cognoscere coepit, atque per experientiam ipsius mali bo « num quoque, quam stricte fuerit tenendum, agnovit ». [6]

Ab eventu scilicet, in alterutram partem manifestando, arbor nomen accepit. Profunde S. Augustinus: « Frustra « autem nonnulli acute obtunsi [7] sunt, cum requirunt, quo- « modo potuerit appellari lignum dignoscentiae boni et mali, « antequam in eo transgressus esset homo praeceptum, atque

[1] *Homil.* XVII *in Gen.*, n. 6. - *P. G.*, t. LIII, col. 133.
[2] *Orat. 2*, de *Adam*.
[3] *De Civ. Dei*, l. XIV, c. 17. - *P. L.*, t. XLI, col. 425.
[4] *De Gen. ad litt.*, l. VIII, col. 6. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 377.
[5] Cf. S. Augustinum (loc. cit., c. 16).
[6] *De Sacram.*, l. I, pars. 6, c. 32. - *P. L.*, t. CLXXVI, col. 282.
[7] Mirare vim et elegantiam huius expressionis. Quot moderna systemata philosophica non sunt nisi « acute obtunsa »!

« ipsa experientia dignosceret quid interesset inter bonum « quod amisit, et malum quod admisit. Lignum enim tale « nomen accepit, ut eo secundum prohibitionem non tacto « caveretur, quod eo contra prohibitionem tacto sentiretur. « Neque enim quia inde contra praeceptum manducaverunt, « ideo factum est illud lignum dignoscientiae boni et mali, sed « utique etiamsi obedientes essent, et nihil inde contra prae- « ceptum usurpassent, id recte vocaretur, quod ab eis acci- « deret, si usurpassent. Quemadmodum, si vocaretur arbor « saturitatis, quod inde possent homines saturari; num- « quid, si nemo accessisset, ideo nomen illud esset incon- « gruum? Quemadmodum cum accederent et tunc satura- « rentur, tunc probarent, quam hoc recte arbor illa voca- « retur ».[1]

Porro sententia, quam superius retulimus, Ruperti, nomen lignum scientiae boni et mali ironice interpretantis, non est quidem excludenda, sed iste sensus non est tamquam principalis accipiendus.

Obiicit sibi S. Ambrosius contra appellationem arboris scientiae boni et mali: « Qui nescit, inquiunt, bonum et ma- « lum, ne ipsum quidem novit esse malum, non servare « mandatum; nec ipsum bonum novit, quod est obedire man- « dato. Et ideo quia non noverat, venia, inquiunt, dignus fuit, « qui non obedivit, nec condemnatione ». Sed solutionem hac sententia contrahit: « Non ab eo peritia, sed fides exi- « gebatur ». Et explicat: « Intelligebat Deum omnibus prae- « minere, ideoque iubentis personam spectare debuerat. « Et si non intelligebat vim qualitatemque iussorum, sciebat « tamen praeceptori deferendam esse reverentiam. Habebat « in natura hanc opinionem; etsi non habebat iudicium boni et « mali ».[2] Unde S. Ioannes Chrysostomus indignabundus depellit sententiam, quasi ante culpam Adamus discrimen ignorasset inter bonum et malum: « Qui nomina animantibus impo- « suit, quique tam admirabilem prophetiam de muliere pro- « nuntiavit, quomodo ignoraret quid bonum sit, quid malum? « Quod si receperimus, – absit! – iterum blasphemias in

[1] *De Gen. ad litt.* Ibid., l. VIII, c. 15. - Ibid., col. 385.
[2] *De Parad.*, c, 6, n. 32. – *P. L.*, t. XIV, col. 288, sq.

« Conditorem transferemus. Nam quomodo praeceptum daret « ignoranti transgressionem esse malum » ? [1]

Ex quo vides, iuxta hunc sensum esse mitigandum quod superius ipse Ambrosius dixerat: « Neque quod malum erat, « malum iudicaremus esse, nisi esset scientia boni; scientia « autem boni esse non posset, nisi esset et bonum: neque « rursus quod bonum erat, sciremus bonum esse, nisi esset « scientia mali ». [2] Et sane in hoc ultimo est distinguendum. Tantopere enim scientia mali non requiritur ad scientiam boni, ut Deus non nisi per scientiam boni, cognoscat privative malum. Nos autem ex deficientia nostrae apprehensionis putamus et malum esse aliquid, quasi realitas distincta opposita bono. Unde si scientia boni et mali intelligatur de causis et sequelis mali, nullus eam perfectius Deo possidet: si vero de apprehensione mali quasi esset per se cognitionis obiectum, nemo minus Deo.

Ex dictis apparet magnum discrimen quoad intrinsecam efficaciam inter lignum vitae et lignum scientiae boni et mali. Optime Hugo Victorinus: « Lignum etiam scientiae « boni et mali ibi fuisse narratur, quod non similiter qui- « dem ex natura sua scientiam boni et mali dare potuit, « quemadmodum lignum vitae vitam in homine corporalem « ex natura sua et virtute sibi indita a Deo, potuit conser- « vare; sed idcirco tantum lignum scientiae boni et mali « dicitur, quia ad probandam obedientiam hominis sive ino- « bedientiam experiendam parabatur ». [3]

Optime ex altera parte Bossuetius demonstrat, quod, si in arbore scientiae boni et mali fuerit aliqua virtus ad hanc scientiam communicandam, haec non potuit esse nisi supernaturalis, et addit: « semblable à celle que Dieu a mise « dans les Sacrements, comme dans l'eau la vertu de régé- « nérer l'intérieur de l'homme, et d'y répandre la vie de la « grâce ». [4]

Et alibi de eodem arbore ita pulchre disserit: « Le ser- « pent artificieux promet à nos pères que, s'ils mangent

[1] *Homil.* XVI *in Gen.*, n. 5. - *P. G.*, t. LIII, col. 132.
[2] Ibid.. c. 2, n. 8. - Ibid., col. 377.
[3] Ibid.
[4] Op. cit , V *Sem.*, IV *Elév.*

« le fruit défendu, ils auront la science du bien et du mal; « et Adam se laisse surprendre à ses promesses fallacieuses. « Certes, dans la pureté de son origine, il avait la science « du bien et du mal: car ne savait-il pas, chrétiens, que son « souverain bien est de suivre Dieu, et le souverain mal de « s'en éloigner? Mais il veut chercher dans la créature ce « qu'il possédait déjà dans le Créateur; après quoi, par un « jugement équitable, le Créateur retire ses dons, desquels « l'homme orgueilleux n'était pas content: si bien que « l'homme perdit aussitôt la véritable science du bien et du « mal, et il ne resta plus en son âme qu'une vaine curiosité « de la rechercher dans la créature ».[1]

Quod si ulterius quaeras, quale lignum hoc fuerit, nulla responsio, neque probabilior, dari potest. Alii putant fuisse ficum, ideoque tam proxime praevaricatores sibi folia invenisse quibus nuditatem tegerent, Moysen autem hoc nomen omisisse, ne tam utilis arbor uti maledicta haberetur. Sed haec sunt futilia. Nescitur enim ubinam fuerit Adam quando uxor de oblato fructu vetito comedit. Certe non videtur tam proxime fuisse; secus ad mulierem serpens hoc instante non accessisset. Alii putant fuisse lignum unicum, cuius in Paradiso nullum simile exstaret. Sed quid iuvat de huiusmodi rebus plura quaerere?

Qualecumque fuerit olim realiter, certum est hoc lignum, veluti in medio mundo collocatum, perdurare moraliter usque ad nos. De quo eloquenter exclamat Lacordaire: « Esprits superbes, vous n'écoutez pas l'Evangile du bien. « Vous entendrez tôt ou tard l'Evangile du mal. Vous ne « voulez pas croire à Dieu qui vous manifeste la loi de la « société, vous croirez aux ruines qui vous rediront un jour « la même loi. C'était de cette révélation que Dieu mena- « çait le premier homme en mettant sous ses yeux, au centre « de sa demeure, l'arbre prophétique de la science du bien « et du mal ».[2]

Concludamus pulchra synthesi, qua Severianus Gabalitanus doctrinam de lignis Paradisi contrahit: « Tres erant

[1] *Sermon de vêture*: « *Martha, Martha, sollicita es* ».
[2] LXI *Conférence*.

« lignorum differentiae : quaedam data ipsi (Adamo) sunt, ut « viveret, alia ut semper viveret. Ut igitur viveret, ex iis « habebat, quae illi permisit Deus. Bene autem vivere habe- « bat ex iis, quae interdixerat. Licebat enim bene vivere, si « ea tantum quae erant vetita, non attingeret. Porro bene « vivere, idipsum erat quod Deo parere. Positum autem in « medio Paradiso erat lignum vitae, velut praemium. Lignum « scientiae instar fuit palestrae ac gymnasii. Postquam man- « datum servasses in ligno isto, praemium acciperes. Ac « vide rem mirabilem. Universa circumquaque Paradisi ligna « ubique comas attollebant, ubique pullulabant ; sola in medio « sita erant ad exercitationem et curriculum. Quae circum « erant, pabulum suppeditabant ».[1]

Quaeres II. – *Fuitne nomen « arboris scientiae boni et « mali » ab ipso Deo huic arbori datum?* – Certum est, hanc arborem iam hoc nomine vocari, imo ab ipso Deo, in prima descriptione Paradisi ; sed non expresse dicitur, hoc nomen ei fuisse ab ipso Deo impositum. In tentationis narratione, Eva arborem non vocat hoc nomine, sed eam appellat « li- « gnum quod est in medio paradisi ». Sed serpens explicat indolem ligni, e quo, si comederint, erunt « sicut dii, scien- « tes bonum et malum ». Quae verba interius Deus ironice iterat. Sunt ergo qui censeant, hoc nomen fuisse a serpente ligno impositum, et a Moyse in Paradisi descriptione per protepsin datum. Quod inde corroborant quod, si Deus hoc nomen arbori imposuisset, iam haec appellatio fuisset tentationis initium.[2]

Sed haec ratio non convincit. Imo nonne ipsum praeceptum de abstinendo ab esu ligni verum fuit tentationis initium ? Utique si in descriptione Paradisi hoc nomen non appareret nisi a Moyse ipso narratore prolatum, haec sententia teneri posset ; quum autem ipse Deus dicat : « De « ligno autem scientiae boni et mali ne comedas », non videtur probabilis.

[1] *Hom. 6.* Qui plura de hoc argumento quaerat, adeat v. gr. PETAVIUM (op. cit., c. 5).

[2] « Semejante nombre puesto de antemano por el Señor, hebria sido ya un prin- « cipio de tentacion » (P. MURILLO, op. cit., pag. 271).

Quaeres III. – *Cur Deus hoc praeceptum positivum tulit?* Certum est lignum huius arboris non fuisse vetitum quia ex indole sua esset mala,[1] secus arbor vocata fuisset mortis sicut altera vitae. Praeceptum igitur Deus dedit positivum de hoc ligno non edendo ut ita suum dominium probaret, et homo ex praecepto positivo suam dependentiam agnosceret et obedientiae excellentiam. Et sane summe conveniens fuit, ut Deus conservationem tam excellentis status, ad quem gratuita liberalitate hominem elevaverat, praecepto mere positivo allegarit, cuius scilicet gravitas unice penderet a positiva Dei voluntate, et per cuius humilem observantiam homo singulariter, ratione obedientiae, suam a Conditore dependentiam exprimeret. Voluit quippe Deus gratuitorum donorum, quibus hominem ex bonitate cumulaverat, perfectus dominus ab homine agnosci. Cuius dominii agnitio tamquam a natura humana in capite suo sibi praestita, si legem servaret, vel si eam infringeret, recusata haberetur. Optime S. Thomas: « Eius ligni esus non ideo prohibitus est, « quia secundum se malus esset, sed ut homo saltem in hoc « modico aliquid observaret ex sola ratione quia esset a Deo « praeceptum ».[2]

[1] Sane hoc lignum fuisse in se bonum, non malum, omnino tenendum est, ne in Manichaeisticum dualismum incidatur. Malum a transgressione duxit ortum* Bene id evolvit Vondel:

BELIAL:

Hoe nu? is al 't geschapen
Niet even goed, en schiep de Schepper eenig kwaad?

ASMODE:

Geenzins: natuur is goed: in 't overtrêen bestaat
De kwaadheid; tegen 't hoog verbod zich iets vermeten,
Dat 's kwaad *

[2] *Comp. Theol.*, c. 188. Optimo proin iure Dantes in Evae rebellionem ita invehit.

onde buon zelo
Mi fe' riprender l'ardimento d'Eva;
Che là, dove ubbidia la terra e 'l cielo,
Femmina sola, e pur testè formata,
Non sofferse di star sotto alcun velo:
Sotto 'l qual se devota fosse stata,
Avrei quelle ineffabili delizie
Sentite prima e poi lunga fiata. **

* Op. cit., III, v. 714-718.
** *Par.*, Cant. XXIX.

Nervose id expressit Augustinus: « Bona est arbor. Nolo « tangas. Quare? Quia Dominus sum et servus es. Haec tota « causa est. Si parva est, dedigneris esse servus. Quid autem « tibi expedit, nisi esse sub domino? Quomodo eris sub domino, « nisi fueris sub praecepto? ».[1] Unde alibi concludit: « Non « potuit melius et diligentius commendari quantum malum « sit sola inobedientia, cum ideo reus iniquitatis factus est « homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem; quam « si non prohibitus tetigisset, non utique peccasset ».[2] Brevissime id contrahit S. Chrysostomus: « Parvo illo praecepto « suum in ipsum dominatum ei (Adamo) voluit (Deus) osten- « dere ».[3] Quod mox evolvit exemplo sumpto a domino, qui munifico dominio quod cuidam in usum cedit, aliquam sibi partem reservat, ut usurarius certo agnoscat, se non esse dominum, sed alterius beneficio tot gaudere deliciis.

Nec quis dicat, non dari proportionem inter rem quae interdicitur et consequens non servati praecepti. Haec proportio ab ipsa iubentis voluntate est mensuranda. « Nec fieri « potest, ut profunde scribit Augustinus, ut voluntas propria « non grandi ruinae pondere super hominem cadat, si eam « voluntatis superioris extollendo praeponat ».[4]

Optime christianus philosophus Vitus Fornari ostendit hoc lignum aliquid magni figurasse: « Quell'albero era il « più bello fra tutti gli alberi, e per questa ragione ram- « mentava all'uomo chi era da più di lui e da più di tutto il « mondo.... L'albero della scienza del bene e del male fu, « come sembra, eletto da Dio, secondo il doppio ufficio di « tutta la natura corporea, a significare all'uomo il dovere « dell'obbedienza e ad essergli occasione di mostrare la sua « buona o mala elezione ».[5]

Pulcherrime Bossuetius: « O Dieu! le précepte aisé que « vous m'avez donné d'abord: parmi tant d'arbres et de « fruits, était-ce une chose si difficile de m'abstenir d'un « seul? Mais vous vouliez seulement me faire sentir par un

[1] *In Ps.* LXX.
[2] *De Gen. ad litt.*, l. VIII, c. 13, n. 29. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 383 sq.
[3] *Homil.* XVI *in Gen.*, n. 6. - *P. G.*, t. LIII, col. 13.
[4] *De Gen. ad litt.*, l. VIII, c. 14, n. 31. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 384.
[5] Op. cit., l. I, 2, p. 90 sq.

« joug aisé et avec une main légère, que j'étais sous votre « empire ».[1] Quod et Lacordaire ita optime expressit: « Il « était une idée, un symbole, la limite morale que Dieu avait « posée à la souveraineté de l'homme, pour éprouver dans « son obéissance la vérité de son amour. Là, en ce seul « point, Adam rencontrait l'occasion de se souvenir qu'il « n'était qu'une créature, et que, roi du monde visible, il « était le sujet de Dieu ».[2]

Quodsi ulterius quaeras, quale fuerit hoc mandatum, utrum de non edendo ligni scientiae fructu, an etiam de neque tangendo ipso ligno, ex Scripturae textu suadetur id dumtaxat fuisse de non edendo ligni fructu: ita enim sonat divinum praeceptum, ita serpens de eo interrogat, ita Deus vindex de violato praecepto queritur. Quare quod Eva in responso addidit, non constat ad praeceptum pertinere. Quomodo ergo et cur ea verba addidit? S. Ambrosius refert sententiam quae putat hoc discrimen Adamo esse tribuendum: « Et ple- « rique putant hoc vitium non esse mulieris, sed Adae fuisse; « ita Adam dixisse mulieri, dum eam vellet facere cautiorem, « ut adderet mandasse Deum: " Neque tangetis ex eo quid- « quam „. Habemus enim, quia Adam, non Eva mandatum « acceperit a Deo; nondum enim mulier formata fuerat ».[3] Ipse tamen hanc additionem iudicat severius. « Etenim, « ait, quantum praesens lectio docet, discimus nihil vel cau- « tionis gratia iungere nos debere mandato. Si quid enim « vel addas, vel detrahas, praevaricatio quaedam videtur esse « mandati ». Unde in hac additione « lapsus incipit esse prin- cipium ». Quod hac disiunctione ostendit. Nam quae addidit vel superfluum addidit; vel addendo de proprio, semiplenum intellexit Dei esse mandatum.

Caietanus e contra in hac exageratione indicium videt animi impatientis mandati: « Quemadmodum mulier inhibita « a marito ne domum exeat, quum interrogatur cur non exit, « respondet: " Mihi non licet extra cameram meam pedem « ponere „, exaggerando displicens sibi mariti praeceptum ».

[1] Op. cit., v *Serm.*, III *Elév.*
[2] LXI *Confér.*
[3] *De Parad.*, c. 12, n. 56. - *P. L.*, t. XIV, col. 324.

E contra Petavius : « Puto id citra malum ullum animi vitium, « ex communi usu loquendi, simpliciter usurpasse mulierem, « ut solent huiusmodi profusionis esse sermonis, praesertim « ubi de laetis rebus, aut formidolosis, aut admirabilitatem « habentibus loquuntur ».[1]

S. Augustinus non videtur discrimini inter utramque formam multum attendisse. Etenim in forma responsionis Evae ita arguit : « Homo positus sub praecepto, audivit a Domino « Deo : Noli tangere. Quid ? Hanc arborem. Quid est enim « illa arbor ? Si bona est, quare non tango ? Si mala est, « quid facit in Paradiso ? Prorsus ideo est in Paradiso, quia « bona est. Sed nolo tangas ».[2] Cui modo loquendi concordat Gregorius Nazianzenus : « Lex illa praeceptum erat quo « praescribebatur, tum quibus arboribus ei utendum erat, tum « a qua manus abstinendae ».[3] Et sane quonam fine tangeretur, nisi ut comederetur ? Et quomodo comederetur, nisi prius tangeretur ?[4]

Quaeres IV. - *Fuitne praeceptum de non comedendo fructu ligni boni et mali latum utrique Adamo et Evae, an soli Adamo ante creationem Evae ?*

Certum est, praeceptum obligasse utrumque, imo et posteros,[5] et Evam responsione ad serpentem ostendisse, se de hoc praecepto fuisse optime instructam. Quaestio autem heic mota pendet partim ab altera quaestione de loco ubi Eva creata sit. Unde Rupertus, qui, uti vidimus, censet Evam fuisse creatam extra Paradisum, existimat Deum utrique directe praeceptum iniunxisse. Et id confirmare conatur ex forma plurali qua Deus dixit : « Ecce dedi vobis omnem her- « bam, etc., ut sint vobis in escam ».[6] Sed, quum probabilius Eva creata sit in Paradiso, iuxta ordinem narrationis sacrae, primo Deus probabilius soli Adamo, uti capiti, praeceptum imposuit. Quod et exprimit forma singularis, quae quater recurrit in sententia a Deo prolata : « Praecepitque

[1] Op. cit., c. 10.
[2] *In Ps.* LXVIII.
[3] *Orat. 33,* n. 12. - *P. L.*, t. XXXVI, col. 323.
[4] Cf. SCHEEBEN (op. cit., § 183, VI).
[5] Cf. de hoc BILLUART (op. cit., Diss. VII, a. 4).
[6] GEN. I, 29.

« ei dicens: "Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem « boni et mali ne comedas, in quacumque enim die come- « deris ex eo, morte morieris „ ».[1] Hanc sententiam expresse docet S. Ambrosius in textu superius allato,[2] et in eam S. Augustinus se magis proclivem ostendit. En verba huius S. Doctoris: « Merito sane quaeritur, utrum hoc praeceptum « viro tantum dederit Deus, an etiam feminae. Sed nondum « narratum est quemadmodum facta est femina. An forte « iam erat facta, sed hoc quemadmodum gestum sit, quod « prius erat gestum, postea recapitulando narratum est? « Verba enim Scripturae sic se habent: "Et praecepit Domi- « nus Deus Adae dicens „: non dixit "praecepit eis „. Deinde « sequitur: "De omni ligno quod est in paradiso esca edes „; « non dixit "edetis „. Deinde adiungit: "De ligno autem « cognoscendi bonum et malum non manducabitis de illo „ » (ita Augustinus hanc sententiam in plurali legebat). « Iam « hic tamquam ad ambos pluraliter loquitur, et pluraliter « terminat dicens: "Qua die autem ederitis de eo, morte « moriemini „. An sciens, quod ei facturus est mulierem, « ita praecipit ordinatissime, ut per virum praeceptum Do- « mini ad feminam perveniret? Quam disciplinam in Ecclesia « servat Apostolus dicens:[3] "Si quid autem discere volunt, « domi viros suos interrogent ».[4] Simili modo, licet et ipse haec ultima verba in plurali forma legens, S. Chrysostomus ait: « Nondum Eva producta, quasi utrique mandaret, dice- « bat, "ne comederitis „, manifestans iam inde ab initio, quod « unum sit vir et mulier, sicut et Paulus dicit, caput mulie- « ris vir ».[5]

Quum igitur probabilius sit, tum ex narrationis ordine, tum ex verbis a Deo prolatis, praeceptum a Deo fuisse directe soli Adamo iniunctum, novum inde argumentum habetur ad suadendum, Evam non extra, sed intra Paradisum fuisse creatam.

Porro si, iuxta sententiam modo ex S. Ambrosio allatam,

[1] Ibid., II, 16.
[2] *De Parad.*, c. 12.
[3] Cor., XIV, 35.
[4] *De Genes. ad Litt.*, l. VIII, c. 17. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 387.
[5] *Homil.* XVI *in Gen.*

additio praecepto facta de non tangendo fructu ligni vetiti, debetur interpretationi rigorosiori Adami, inde novum indicium adesset, praeceptum soli Adamo fuisse datum, Evamque de eo fuisse ab Adamo edoctam.

Quaeres V. – Quid, si, servato quidem praecepto de non gustando fructu vetito, alio gravi peccato gratiam amisisset, num et suis quoque posteris, sicuti et nunc, transfuso peccato nocuisset? – Non una est hac de re sententia.[1] Affirmans nobis probabilis videtur. Quum autem tanta fuerit initialis perfectio Adami ut non nisi in praeceptum positivum, quo eius obedientia probabatur, offendere potuerit, vix apparet qua alia via ad gratiam amittendam potuisset induci.

Corollarium. – Ex historia indebitae cognitionis tam fatali ausu a protoparentibus ambitae, apparet quam profunda sit Scripturarum sententia: « Altiora te ne quaesieris ».[2] Quod pulchre exprimit Milton, felicissimos adhuc et mox casuros ita alloquens:

Blest pair! and, O! yet happiest, if ye seek
No happier state, and know to know no more![3]

At si inordinatus sciendi appetitus est periculis plenus, non ideo non laudandus et stimulandus est zelus plura et maiora in dies addiscendi, magistra luce veritatis et Providentiae divinae.[4] Unde Paulus non nobis inculcat « non sapere »; quin imo « sapere » iubet, sed « ad sobrietatem ».[5] Spiritus

[1] Cf. HEINRICH (*Dogm. theol.*, VI, p. 658).

[2] ECCLI., III, 22.

[3] Op. cit.

[4] Pulcherrime Vondel in Angelorum planctu, qui lapsum protoparentum immediate sequitur, opponit malum desiderium cognoscendi ad exitum conducens:

Hoe dier staat lust naar kennis! *

cum sancto desiderio semper altiora in Dei speculo contuendi:

Men mag nochtans naar kennis staan.
Wij hemelgeesten dringen
Uit kenniszucht al hooger aan
En volgen Gods verborgen baan
In ons' bespiegelingen. **

[5] *Rom*, XIII, 8.

* Op. cit., IV, Cantus 1, v. 1383.

** Ibid., Cant. 2, v. 1389.

enim Dei in corda nostra diffusus, est simul Spiritus scientiae et amoris. Unde invocatur: « Accende lumen sensibus, - infunde amorem cordibus » ; - « Veni, lumen cordium » ; - « Da nobis in eodem Spiritu recta sapere » ;[1] et inter septem dona Spiritus Sancti duo sunt: spiritus « scientiae » et « intellectus », qui directe sacrae doctrinae pretium exprimunt, sub altissimo dono Sapientiae, qui dono intellectus, cum amoris sapore, adiungit apicem doctrinae, quam iam ipse Tacitus praedicabat residere in *modo*.[2]

ARTICULUS II.

UTRUM SUPERBIA PRIMI HOMINIS FUERIT IN HOC QUOD APPETIERIT DIVINAM SIMILITUDINEM.

Status quaestionis. – 1) In genere vidimus, peccatum primi hominis fuisse superbiam. Nunc magis specialiter quaeritur, quomodo illa superbia sese expresserit, quid apprehenderit. Eodem modo S. Thomas de Angelis quaesivit primo: « Utrum « in Angelis possit esse tantum peccatum superbiae et invi« diae » ; deinde: « Utrum diabolus appetierit esset ut Deus ».[3]

2) Et iure quidem eodem ordine de utroque peccato tractatur. Nam in utroque ipsa qua gaudebat perfectio, aliquo modo stimulus peccati fuit. « Merito, ait S. Thomas, utrius« que peccatum et daemonis et hominis a superbia incepit, « quia omnium aliorum peccatorum defectus aliquis occasio « solet esse; sola vero superbia est quae fundamentum ex « perfectione sumit ».[4]

[1] Hymn. *Veni, Creator;* Seq. *Veni, Sancte Spiritus;* Orat. *Deus, qui corda fidelium.*

[2] *Agricola.*

[3] I, Q. LXIII, a. 2 et 3.

[4] II, Dist. XXI. q. 1, a. 1. Dantes ita superbiam describit principium diabolici casus:

Principio del cader fu il maledetto
Superbir di colui che tu vedesti
Da tutti i pesi del mondo costretto. *

Unde depingit superbos elationem suam in purgatorio expiantes immani saxi pondere imposito cervici ad ima curvatae. Audiatur Humbertus Aldobrandeschi:

E s'io non fossi impedito dal sasso,
Che la cervice mia superba doma,
Onde portar convienmi 'l viso basso . . . **

* *Par.,* Cant. XXIX.

** *Purg.,* Cant. XI.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

3) Quod et in ipsa suggestione serpentis manifeste apparuit. Per amorem propriae excellentiae, inordinate contra Deum insurgentis, ipsaque Dei iura impie invadere conantis, Evam in peccatum incitat. « Nequaquam morte moriemini. « Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, « aperientur oculi vestri: et eritis sicut dii, (כְּאֱלֹהִים) scien- « tes bonum et malum ».

4) Nec solum ex hoc loco habemus inordinatam cum Deo similitudinem superbiam Evae stimulasse, sed et ipsum modum sub quo haec similitudo homini appetenda apparuit, nempe *in scientia boni et mali*. Etenim hoc lignum sub se continebat mysterium menti primi hominis impervium, et quidem mysterium boni et mali. Unde non solum homini erat testimonium superioris voluntatis, cuius custodia vel neglectus ipsum servaret in bono, vel coniiceret in malum, quemadmodum illud lignum explicat Augustinus;[1] sed erat quasi velum celans humanae menti fontem non solum profundissimae sapientiae causam boni et mali perscrutantis, sed insuper potestatis bonum et malum ordinantis.

5) Vides proin, diabolum hac unica suasione multiplicem modum inordinatum in Evae anima provocasse: *superbiae,* dum rebellaret contra dependentiae iugum; *invidiae,* dum crederet Deum ex invidia sibi praeceptum de non tangendo ligno imposuisse; *curiositatis*,[2] dum scientiae illegitime

Et Anglicus poëta Pope in superbiam ita invehit:

Of all the causes which conspire to blind
Man's erring judgment, and misguide the mind,
What the weak head with strongest bias rules,
Is pride, the never failing vice of fools. *

[1] *De Genesi ad litter.*, l. VIII, c. 15.

[2] Sapientissime Bossuetius: « La première faute d'Ève, c'est de l'avoir écouté « et d'être entré avec lui en raisonnement. Dès qu'on a voulu la faire douter de la « vérité et de la justice de Dieu, elle devait fermer l'oreille et se retirer. Mais la sub- « tilité de la demande l'ayant rendue curieuse, elle entra en conversation et y périt ». Et profunde addit: « La première faute de ceux qui errent, ou par l'erreur de l'es- « prit, ou par la séduction et l'égarement de leurs sens, c'est de douter. Satan dit tous « les jours, et aux hérétiques et à tous ceux qui sont entraînés dans leurs vanités et « leurs passions, ce malheureux *pourquoi:* et s'il lui a réussi contre Ève avant la con- « cupiscence et les passions, faut-il s'étonner qu'il ait des succès prodigieux avec « ce secours? ». Et concludit: « Fuyons, fuyons: et dès le premier *pourquoi,* dès le

* *Essay on Criticism,* part II, initium.

acquirendae, nec sibi debitae pruritum experiretur. Paucis ergo licet complecti Evae peccatum dicendo, eam superbia inflatam et iam de fine praecepti divini dubitantem, per viam inobedientiae appetivisse scientiam qua Deo inordinate similis fieret, potentiamque qua se ipsam regeret. Quumque iam mente peccatum inchoasset, tunc, uti optime habet Hugo Victorinus in textu superius allato, concupiscentiae gula excitante, peccatum consummavit. Hoc enim sibi volunt Scripturae verba tunc modo, post diaboli suggestionem posita: « Vidit mulier quod esset pulchrum visu » – en concupiscentia visus ad concupiscentiam gulae inducens – « et ad vescendum « suave, et tulit de fructu eius et comedit ».[1] Quae ultima verba, quibus narratio veluti praecipitatur, optime ostendunt voluntatem deficientem et velociter, quod statuit, ne prava voluntas mutetur, complentem.

Possent tamen haec verba aliter intelligi, quin nec concupiscentiam sensualem, nec gulae vitium Evam stimulasse significent. Superbia enim dubium suadente, mulier adspicit fructum, et a pulchro eius adspectu coniicit, eum bonum esse debere gustu; unde colligit, iam fide vacillans, non ita malum esse posse ut Deus eum vitarit, imo tantum forte continere bonum, quod serpens promittit; quo dubio libenter accepto, superba curiositas victoriam tulit.

6) Sed qui de Adamo? Scriptura non expresse dicit, quo animo praeceptum Dei violaverit. Legimus enim haec sola verba: « Deditque viro suo, qui comedit ».[2] Et infra, ubi Deus rationem a protoparentibus quaerit, Adam nihil respondit nisi: « Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de « ligno et comedi ».[3] Quae verba Deus veluti repetit in initio punitionis ad Adam directae: « Quia audisti vocem uxoris tuae ».[4]

premier doute qui commence à se former dans notre esprit, bouchons l'oreille; car « pour peu que nous chancelions, nous périrons.* »

[1] GEN. III, 6.

[2] Ibid.

[3] Ibid., 12.

[4] In quibus sane verbis insinuatur etiam, Adamum ex nimia in uxorem complacentia hanc vocem audivisse (ibid., V, 17).

* Op. cit., IV *Sem.*, III *Elév.*

Nonnihil interfuisse inter peccatum Evae et Adami, infra videbimus. Modo sufficiat animadvertere quod, iuxta solidum argumentum in articulo praecedenti expositum, principium peccati in Adamo non potuit esse nisi superbia. Unde et ipsa inordinata condescendentia, quam ostendit in sociam suam, ita ut nollet ab ipsa separari, non potuisset in eius mente oriri, nisi iam praecessisset motus propriae excellentiae tamquam a Deo, saltem facto, independentis, ac proin motus superbiae, imo superbiae aliqualem saltem imitatione aequiparantiam cum Deo ambientis.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non distinguit inter similitudinem per naturam, et similitudinem per scientiam et potentiam. Cf. dicenda in discussione *Corporis* articuli.

2ª Obi. Non distinguit in ipsa similitudine per scientiam, illud quod est ordinatum et illud quod est inordinatum.

3ª Obi. Confundit similitudinem aequiparantiae et similitudinem per imitationem. Prima consistit in aequalitate, et tam absurda est, ut positivo modo nisi ab amente appeti possit. Nihilominus ipsa aequiparantia potest aliquo modo negative intendi, quatenus per vires proprias homo vult esse quod est, et fieri quod cupit. Inde apparet malitia latens liberalismi, qui independentiam hominis praedicat, nec mirum quod, si in ultima consequentia perveniat, ex una parte ducat ad atheismum, ex altera ad luciferanismum.

Sed contra est. Corroboratur doctrina huius articuli per verba quae Deus ipse homini lapso protulit: « Ecce Adam « quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum ».[1] Ex quo habes, non solum peccatum primi hominis fuisse in inordinato appetitu similitudinis divinae, sed et ipsum Adamum conscium fuisse suggestionis uxoris suae, licet non, quemadmodum illa, deceptus fuerit. Cf. dicenda in art. 4.

Hanc impiam hominis vel Angeli cum Deo assimilationem Scriptura variis in locis condemnat. « Quis similis tibi « in fortibus, Domine? quis similis tibi, magnificus in san- « ctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? ».[2]

[1] Gen., III, 22.
[2] Exod., XV, 11.

« Deus, quis similis tibi? » [1] « Non est similis tui in diis, Do- « mine ». [2] « Quid superbit terra et cinis? ». [3] Unde Michaëlis gloria ipsius nomine sacratur: « Quis ut Deus? ».

In Corpore. En schema huius argumentationis:

Similitudo cum Deo:
- *A) aequiparantiae:*
  - 1) *absolute* (repugnat apprehendi a sapiente);
  - 2) *aliqualiter*, per independentiam inordinatam (fuit in primo homine);
- *B) imitationis:*
  - *a) secundum esse* (aderat in Angelo et in homine sine inordinatione);
  - *b) secundum scientiam* (aderat in Angelo ordinate, in primo homine inordinate);
  - *c) secundum potentiam* (aderat inordinate et in homine et in Angelo).

Confer doctrinam huius *Corporis* cum II, Dist. XXII, q. 1, a. 2; et I, q. LXIII, a. 3.

Interest autem inter hunc ultimum locum et praesentem articulum, quod ibi S. Thomas distinguit duplicem ordinem supernaturalem et naturalem; dum hic distinctio huiusmodi, saltem expresse, non habetur. Dico: saltem expresse, nam si attenter consideras ultima verba, quae sub *A*), 2) redegimus, ad eam distinctionem alludunt. In hoc enim ordo divinae regulae violatur, quod viribus propriis, sive mediis propriis, aliquis illud attingere vult, ad quod determinato modo a Deo destinatur.

Adverte insuper, nullam dari contradictionem inter doctrinam *B*), *b*) et perfectionem scientiae, quam in Adamo ab initio posuimus. Nam quoad scientiam inter Angelos et Adamum discrimen erat duplex: 1) Angelus *naturaliter* ab ipso initio scientiam habuit perfectioni suae parem; Adamus autem *supernaturaliter* vel *praeternaturaliter;* 2) scientia Angeli amplectebatur *omnia* quae intuebatur in speciebus enti suo proportionatis; Adami scientia muneri ipsi commisso aptabatur, quin omnia contineret.

Profunde *Anselmus* in libro *de Casu diaboli* evolvit illud quod *A*), 2) expressimus: « Plus aliquid quam acceperat, « inordinate volendo, voluntatem suam diabolus extra iusti-

[1] *Ps.* LXXXII, 1.
[2] *Ps.* LXXXV, 8.
[3] ECCLI., X, 9.

« tiam extendit. ... At quum hoc voluit, quod Deus illum « velle nolebat, voluit inordinate similis esse Deo.... Etiamsi « noluit omnino par esse Deo, sed aliquid minus Deo, contra « voluntatem Dei, hoc ipso voluit inordinate similis esse « Deo, quia propria voluntate, quae nulli subdita fuit, voluit « aliquid. Solius enim Dei esse debet, sic voluntate propria « velle aliquid, ut superiorem non sequatur voluntatem.... « Non solum autem voluit esse aequalis Deo, quia praesum- « psit habere propriam voluntatem; sed etiam maior voluit « esse, volendo quod Deus illum velle nolebat, quoniam volun- « tatem suam supra voluntatem Dei posuit ». Quae omnia pari iure primo homini applicantur, quemadmodum ipse Anselmus in paulo superius indicat: « Voluit (diabolus) ali- « quid quod non habebat, nec tunc velle debebat, sicut « Eva similis voluit esse diis, prius quam Deus hoc vel- « let ».[1]

Utriusque articuli doctrinam *S. Augustinus* sequentibus locis praeclare exponit: « Quando his verbis crederet mulier « a bona atque utili re divinitus se fuisse prohibitos, nisi « iam inesset menti amor ille propriae potestatis, et quaedam « de se superba praesumptio, quae per illam tentationem « fuerat convincenda et humilianda? ».[2] « Manifesto ergo « apertoque peccato, ubi factum est quod Deus prohibuerat, « diabolus hominem non cepisset, nisi iam ille sibi ipsi placere « coepisset. Hinc enim delectavit, quod dictum est: "Eritis « sicut dii „. Quod melius esse possent summo veroque prin- « cipio cohaerendo per obedientiam, quam suum sibi exi- « stendo principium per superbiam ».[3] « Quid hic intelligitur, « nisi persuasum esse ut sub Deo esse nollent, sed in sua « potestate potius sine Domino, ut legem eius non obser- « varent, quasi invidentis sibi, ne se ipsi regerent, non indi- « gentes illius interno lumine, sed utentes propria provi- « dentia, quasi oculis suis ad dignoscendum bonum et malum, « quod ille prohibuisset? Hoc est ergo quod persuasum est, « ut suam potestatem nimis amarent ».[4]

[1] C. 4. - *P. L.*, t. CLVIII, col. 332 sq.
[2] *De Genes. ad litt.*, t. XI, c. 39. – *P. L.*, XXXIV, col. 443.
[3] *De Civ. Dei*, l. XIV, c. 13, n. 2. – *P. L.*, t. XLI, col. 421.
[4] *Genes. contra Manich.*, l. II, c. 15. - *P. L.*, t. XXXIV, col. 207, sq.

Placet quoque *S. Bonaventurae* doctrinam paucis hic afferre,[1] quae quasi ad verbum respondet analysi superius ab Hugone Victorino depromptae. Peccatum mulieris primo considerat, in illoque triplicem successionem invenit. Principium fuit in superbia, id est in immoderato appetitu excellentiae, in quem attraxit diabolus mulierem per illa: *eritis sicut dii*. Superbia conduxit in avaritiam, id est in immoderatum appetitum sufficientiae, in quem attraxerunt sequentia: « scientes bonum et malum ». Consummatum est autem peccatum per gulam: « vidit igitur mulier » (instigante quoque serpente, imo ostendente) « quod bonum esset lignum ad « vescendum et pulchrum oculis ». Inde secuta est inobedientia; per superbiam, alta appetens, peccavit in irascibili; per avaritiam, scientiam inordinate anhelans, offendit in rationali, per gulam demum deliquit in concupiscibili.

Hoc de peccato Evae. Iam de peccato Adami. Auctoritate directus Augustini, qui negat ullam in Adamo fuisse deceptionem, S. Bonaventura, reiecta sententia quam in contrarium, licet cum moderamine, prius attulerat, docet quidem Adamum inobedientiae peccatum aeque commisisse ac Evam, sed principale eius motivum fuisse diversum. Ita tamen quod et in Adami peccato, quemadmodum in peccato Evae, triplex culpabilitas reperiatur. Etenim per superbiam sibi facile promisit veniam; per avaritiam experiri voluit quid sibi eveniret; per inordinatum affectum noluit uxorem contristari. De quibus rursus in art. 4.

Corollarium I. – Quo magis, ingravescente rebellione in Deum, homo, iam superhomo, in seipso suum, quin et universi finem constituit, eo magis spiritus serpentini tentatoris mundo et rei publicae dominatur. Optime id nuper ita expressit Card. Mercier: « Le grand pervertisseur des idées du « XIX siècle est le philosophe allemand Emmanuel Kant.... « Une personnalité morale trouvant en elle-même sa fin, voilà, « selon Kant, l'homme, tout l'homme!

« Le tentateur avait dit à nos premiers parents: " Mangez « du fruit de l'arbre de la science du bien et du mal, et « vous serez comme des dieux ".

[1] II, q. XXII, a. 1, q. 1 et 2.

« Kant dit à l'homme: « Ta grandeur est dans ta moralité. « De cette moralité tu es le principe et le but. Ta grandeur « vient de toi, Tu es Dieu! „.

« Et comme, tôt ou tard, les idées germent et produi- « sent leurs fruits, de vie ou de mort, l'indépendance sou- « veraine préconisée sous le nom d'autonomie de la per- « sonnalité, developpera dans des consciences l'instinct de « l'orgueil; chez les uns, l'identification de l'homme à la « divinité, [1] sous la forme de monisme panthéiste; chez les « autres, l'orgueil du fort qui sacrifie les faibles à sa supé- « riorité surhumaine; chez d'autres encore, l'orgueil guer- « rier de la nation ou de la race, par lequel se justifient « tous les procédés utiles des dominations et d'oppres- « sion ». [2]

Placet huic iudicio addere verba non minus severa, quibus doctissimus et piissimus apud Germanos Praesul Paulus Gulielmus v. Keppler, episcopus Rottenburgenis, describit invadentes has doctrinas pessimas quae in superba, a Deo

[1] Hic superbiae instinctus, sensualitate permixtus, anima quoque erat antiqui paganismi dicti classici. Ad rem Julius Lemaître, eximius ille criticus, « clericalismi » minime suspectus: « Si je consulte ma propre expérience, je sens très bien « ce que les classiques de l'antiquité ont insinué et laissé en moi; c'est, en somme, « le goût d'une sorte de naturalisme voluptueux, les principes d'un épicurisme ou « d'un stoïcisme également pleins de superbe et des germes de vertus peut-être, « mais de vertus où manque entièrement l'humilité ». Unde Robertus Vallery-Radot, unus ex illis iuvenibus scriptoribus qui in Gallia renascentiae catholicae dictae litterarum se dedunt - utinam inverecundo realismo quin et spiritualismo sensuali liberae! - conqueritur haec pagana in humanioribus studiis non innocua reddi per apposita christiana: « En rhétorique, en seconde, pour magnifier et ramener à leur « sens chrétien (?) les brûlantes ardeurs de Didon, pourquoi ne nous faisait-on pas « pénétrer dans les incomparables *Confessions* de Saint Augustin où ce prodigieux « lyrique, ce peintre enflammé des passions humaines consume aux pieds de son « Dieu toutes les hardiesses du cœur et des sens? ». *

[2] *La Leçon des événements. Mandement de carême,* 1918, n. 19 sq. Et sapienter doctus Cardinalis addit: « Le modernisme, contre lequel le Pape Pie X a si heureuse- « ment et si puissamment réagi, n'était qu'une infiltration lente du Kantisme dans « les consciences chrétiennes et dans la théologie » (p. 21). Ex hoc quod iuramentum antimodernisticum a Pio X in « Motu proprio » *Sacrorum Antistitum* institutum, in novo Codice Iuris non continetur, dubium ortum erat utrum post festum Pentecostes huius anni 1918 adhuc in vigore maneret. Die 22 martii 1918 S. C. S. O respondit, tum Consilia vigilantiae, tum hoc iuramentum, serpente adhuc modernistico veneno, esse servanda usquedum Apostolica Sedes aliter statuerit.

* *La littérature et nos responsabilités,* p. 5 (Paris, Gabalda, 1913).

rebelli notione propriae evolvendae personalitatis[1] radicantur. Postquam exposuit stadia quae haec idea percurrenda habuit a Kant et Schleiermacher ad Stirner et Nietzsche usque ad praesentem formam popularem, addit: « Le grand « mot d'épanouissement de l'individu est un euphémisme « qui cache l'égoïsme le plus abject, la liberté de tout faire, « le dévergondage et la débauche, l'anarchie et la sauva- « gerie morale ». Unde concludit: « La principale mission « du prédicateur de nos jours, doit être de faire compren- « dre aux hommes, que l'on n'obtient une bonne et saine « personnalité que par une foi humble et soumise, une « obéissance volontaire, la discipline de la volonté pour « le travail et l'abnégation, le renoncement et la souf- « france ».[2]

Ex expositis in hoc toto articulo patet, quam profunde dixerit Lacordaire: « Nous ne pouvons entrer en révolte « contre la lumière de Dieu que par le sentiment profond « de n'en point avoir besoin, et dès lors le mot de l'orgueil « à l'orgueil devient d'une saisissante justesse: Vous serez, « comme des dieux, sachant le bien et le mal ».[3]

ARTICULUS III.

UTRUM PECCATUM PRIMORUM PARENTUM FUERIT COETERIS GRAVIUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - Duplex hic quaestio investiganda est: 1) Prima, veluti praeliminaria, utrum primus homo potuerit peccare venialiter; 2) altera, directe intenta, utrum peccatum eius fuerit omnibus gravius. De utroque hoc ordine agamus.

1) S. Thomas variis in locis[4] quaerit utrum homo in statu

[1] Alibi diximus, Hermannum Schell in sua theologia non semel, imo in fundamentali autocausalitate Dei et in evolutione Christi, influxum huius exaggeratae notionis subiisse.

[2] *La prédication contemporaine*, ch. IV, *Culture du moi*, trad. Douadicq.

[3] LXIII *Conférence*.

[4] II, Dist. XXI, q. 2, a. 3, ubi brevissime quaesitum solvit, *de Malo*, q. 2, a. 8, ad 1, et q. 7, a. 7 et 9, ubi fusius (art. 7) rem pertractat, et I-II Q. LXXXIX a. 3, cuius titulus est: « Utrum homo in statu innocentiae potuerit peccare venialiter ».

innocentiae vel Angeli potuerint peccare venialiter.[1] Solutio est negativa. Ratio autem alia reiicitur ut non recta; alia exponitur et vindicatur ut vera. Totum habes in his verbis contractum: « Non ea ratione dicitur, quod Adam venia- « liter peccare non potuerit, quia ea quae nobis sunt venialia, « ei essent mortalia; sed quia ea quae nobis sunt venialia » committere non potuit antequam mortaliter peccaret: nisi « enim averteretur a Deo per peccatum mortale, nullus « defectus in eo esse poterat, nec animae, nec corporis ».[2] Utrumque est paululum evolvendum.

a) Verum quidem est, ex dignitate peccantis gravius fieri delictum; non ita tamen ut quae de se venialia sunt, iam mortalia evadant, nisi adsit ratio vel voti vel specialis obligationis ex statu.

b) Iam vero si venialia consideramus, sunt vel α) motus primi in materia conducentis ad mortale, vel β) inordinationes circa ea quae sunt ad finem, servato ordine finis. Iam vero primi motus α) deerant, quia deerant passiones tum a parte concupiscentiae, tum in ipsa ratione praeveniente deliberationem; insuper deerant inordinationes β) propter rectitudinem perfectam, qua non solum finis servabatur, sed et infallibilis ordo in finem, idque tam in practicis quam in speculativis.

Eadem sententia demonstrari solet per hoc quod nullum datur peccatum, cui non respondeat poena. Atqui in statu innocentiae nulla esse poterat poena, nisi ablatio eiusdem status; haec autem non poterat infligi nisi ob peccatum mortale. Haec tamen consideratio, quae non est argumentum novum, sed eiusdem argumenti nova illustratio longe minorem habet vim demonstrativam.[3]

[1] Noli hanc quaestionem confundere cum alia prorsus distincta: « Utrum pec- « catum veniale possit esse in aliquo cum solo originali » (I-II Q. LXXXIX a. 6). De qua inferius nonnihil dicemus.

[2] *De malo*, q. 2, a. 8 ad 1. Eodem prorsus modo S. Thomas incedit in praecitato articulo *Summae*.

[3] Imo posset vis huius considerationis in dubium vocari, distinguendo in statu originalis iustitiae dona directe supernaturalia in gratia fundata, et dotes praeternaturales hisce donis superstructas. Esto, nonnisi ob peccatum mortale potuisse gratiam ipsam auferri; quid autem de uno alterove adspectu integritatis originalis? Imo quid de ipsis gratiis actualibus ita, ut poena peccati venialis esset diminutio harum gratiarum, unde maius adesset periculum in graviora decidendi? Caeterum

Fatendum tamen est, non concordem hac de re esse theologorum sententiam. Ratio inde provenit, quod non omnes originali iustitiae eamdem tribuunt perfectionem. Ita dum S. Thomae sententiam, quae cum Augustino concordare videtur,[1] Suarez[2] iudicat probabiliorem; alii cum Scoto,[3] quem confutat Caietanus, oppositam sententiam propugnant. Inter quos eminet apud recentiores Palmieri, qui haec scribit: « Ille status non amittebatur nisi per peccatum mortale: « atqui nonne verisimillimum est, ante completum peccatum « mortale nedum in Evae animo sed et in Adami aliquos « inordinatos praecessisse motus, quos iure appelles peccata « venialia? et quos, liber cum esset, potuisset abrumpere et « sic non labi in mortale »?[4] Sed haec est ipsissima quaestio: utrum scilicet tales motus inordinati cum huius status perfectione componi possint. Quod ex ipsa Angelorum perfectione est manifestum.

Et sane ita solvenda est quaestio de Angelis, imo a fortiori, quia maioris excellentiae fuit status in quo daemones conditi sunt. Cui accedit argumentum petitum ex indole intuitiva mentis angelicae, qua ipsum finem immediate intendit, omniaque ad ipsum ordinat, sive per charitatem in Deum tendendo, sive per superbiam finem suum in se quaerendo. Unde veniale peccatum in Angelis repugnat.[5]

2) His de prima quaestione praemissis, iam ad alteram accedamus. Inspectis sacris Litteris, apparet peccatum primorum parentum fuisse quidem valde grave, non tamen omnino gravissimum.

α) Grave quidem fuit, imo valde grave, quia α) ex gravi inordinatione voluntatis procedebat, β) grave praeceptum transgrediebatur, γ) in statu omnibus donis cumulatissimo

censemus huiusmodi argumenta esse sat debilia; sicut est alia consideratio inde deducta quod exeunti de vita in stato innocentiae cum solo veniali peccato, non adesset locus quo iret. Loci enim, sicut et poenae radicitus mensurandi sunt a peccatis, non e converso peccata a locis vel poenis.

[1] *De Civit. Dei,* l. XIV, c. 10.

[2] *Proleg.* IV *De gratia,* c. 3, n. 4.

[3] In II Dist. XXI.

[4] Op. cit. Append. Q. III, p. 212.

[5] Cf. I-II Q. LXXXIX, a. 4: « Utrum Angelus bonus, vel malus possit peccare « venialiter ».

committebatur; demum δ) gravibus poenis est iuste remuneratum.

b) Gravissimum tamen non fuit, quia α) si *speciem delicti* consideras, superbia non in summo gradu animam protoparentum invaserat. Summus enim gradus superbiae est contemptus Dei, usque ad iram vel negationem. Talem autem non fuisse Adami et Evae superbiam, ostendunt ipsa narratio tentationis et modus quo, commissa culpa, se gerunt. Nedum Deum contemnant, ab illo se abscondunt. Carent quidem humilitate et amore quibus se prosternant ad pedes Creatoris et ex imis pectoribus confessionem delicti eructent, sed Deum adhuc verentur ac timent. Imo sibi ipsis vilescunt. Nam longe ab hominibus iam animalibus factis, qui in luto gloriantur, de rebellante in spiritum carne erubescunt. – β) Si autem *personas* consideras, verum est eas in sublimi statu fuisse conditas; nihilominus peccati malitiam nondum erant expertae; proin peccato ipsorum deerat gravitas illa quae a contumacia et relapsu reperitur. – Demum γ) si *modum* attendis quo in peccatum inducti sunt, gravius protoparentes peccassent, si absque suasione externa, alter alteri causa fuisset delicti. – Unde δ) graves quidem fuerunt *poenae* ab irato Conditore in ipsos latae, non ita tamen ut graviores esse non potuerint, quum spes veniae ipsis relicta sit, imo Redemptor ipsis promissus, antequam de Paradiso pellerentur.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non considerat nisi malitiam provenientem ex nobilitate status, et non respicit essentiam peccati. Sed neque circumstantias fuisse undequaque gravissimas, superius *b*) β) demonstravimus.

2ª Obi. Non attendit ad singularem effectum quem debuit habere singulare peccatum, a quo status lapsus inciperet. Si autem ipsos delinquentes consideras, poenitentiae gratia eis concessa (de qua mox) iam ostendit, eorum peccatum non fuisse tale cuius nulla sit, utique ex gratuita miserentis Dei motione, remissio.

3ª Obi. Supponit primum in serie ordinata. Ubi adverte quemvis peccatorem, nisi eum Deus convertat, potius in peius decidere peccata maiora minoribus addendo, secun-

dum quod voluntas ipso scelerum pondere semper magis a Deo detrahitur.

Sed contra est. Suadetur doctrina hic contenta ex modo ipso quo serpens Evam aggreditur. Quin et prima responsio Evae nondum in ea culpam ullam indicat. Primo enim diabolus illam interrogat de praecepto divino circa esum ligni scientiae boni et mali. Porro אַף־כִּי non proprie vertendum est per *cur;* sed *etiamne*, vel *itane verum*[1] *est* quod praecepit vobis Deus, etc.[2] Responsio est confirmantis praeceptum, imo de ratione praecepti non dubitantis. Illud quod in Vulgata legitur, *ne forte moriamur*, et in quo dubium quoddam, sive initium haesitantis mentis non nemo indicari crederet, nequit, inspecto originali, urgeri; nam פֶּן־תָּמֻתוּן nihil amplius dicit quam *ne moriamur*. Unde iuxta Origenis principium, ipsa dispositio initialis in qua serpens Evam reperit, valde improbabile reddit, eam subito ad ima culpabilitatis ab eo esse detractam. Ex hac prima Evae responsione apparet, utrumque per aliquod saltem temporis spatium iussionem divinam reverentiali cultu servasse.

Si autem quis cum Ioviniano contendere vellet, omnia peccata paria esse, haberet contra se non solum traditionem Patrum, Scholarum, Ecclesiae;[3] sed et ipsius Scripturae. Cf. parabolam debitorum,[4] et sententiam: « Ille servus qui « cognovit voluntatem domini sui, et non praeparavit, et « non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis ».[5] Principium autem quod indirecte argumento praesenti, et directius argumento articuli sequentis solvendo inservit,

[1] Chaldaeus vertit: « Verumne est quod dixit Deus? ».

[2] Sane Evae responsio non tangit rationem praecepti. Sed ex eius loquendi modo iam introvideri potest, illam magis in libertate quam in obedientia delectari. Quum enim potuisset breviter respondere: « Utique hoc verum est », mavult prius discurrere circa ea de quibus cum Adamo libere disponit; neque fatetur se permittente Deo ita agere, sed quasi independenter ab eius ordinatione. Porro stimulus rebellionis est nimium libertatis studium. Insuper Eva in fine responsionis iam quasi ostendit se solo metu, non amore legem ferentis, a solvendo praecepto servari. Tollatur deceptione metus, totum corruet.

[3] Cf. Conc. Trid., sess. XIV, *de Poenitentia,* ubi mortalia a venialibus, quin ipsa inter se mortalia distinguuntur.

[4] Luc., VII.

[5] Luc., XII, 46, 47.

exprimitur sententia: « Pro mensura peccati erit et plagarum modus »,[1] etc., etc.

In corpore. En schema argumenti et articuli:

Peccati gravitas mensuratur:
1) *ex specie peccati* – ita non fuit primi hominis peccatum gravissimum;
2) *ex circumstantiis* – ita fuit gravissimum, ratione perfectionis status innocentiae.

Reliqua patent.

ARTICULUS IV.

UTRUM PECCATUM ADAE FUERIT GRAVIUS QUAM PECCATUM EVAE.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) In praecedentibus iam quaedam praelibavimus de discrimine inter peccatum Evae et Adami. Haec nunc complenda sunt, eo scopo ut gravitas maior minorve ex collatione determinetur. Ad quod solvendum problema unicum nobis criterium suppeditant documenta revelata. Haec autem in *Genesi* et Novo Testamento praesto habemus.

2) In Mosaica narratione penitius inspecta sequentia invenimus. *a*) Eva suggessit viro ut secum praevaricaretur. Ergo Eva et in Deum et in virum peccavit;[2] Adam vero non.[3]

b) Eva se deceptam fuisse a serpente fatetur; credidit proin Deum praeceptum de non edendo ligno ex invidia tulisse. De Adamo nulla legitur talis deceptio;[4] sed ex com-

[1] DEUTER., XXV, 2.

[2] Hanc malitiam Evae Adamum seducentis ita illustrat Chrysostomus: « Esto « igitur; teipsam in tantum praecipitium depuleris, et honore maximo privaveris: « quare et virum tantae ruinae socium facis? et cuius te adiutricem esse oportebat, « illius facta es insidiatrix, et ob minimum cibi illum quoque tecum a gratia Dei « abalienas ». *

[3] Apud Milton, in pulcherrimo illo colloquio, quod a mutuis querelis ortum, reconciliatione et communi poenitentia clauditur, Eva Adamo ad eum placandum ait:

Both have sinned; but thou
Against God only; I against God and thee. **

[4] De hac absentia erroris in Adamo ita scribit Palmieri: « Sententia quidem « S. Thomae est communior; sed certe solum probabilis est, non certa; quia nulla « est repugnantia inter errorem et gratiam atque integritatem, nisi supponas statum

* *Homil.* XVI *in Gen.*, n. 4. – *P. G.*, t. LIII, col. 130.

** Op. cit., l. X.

placentia inordinata in uxorem [1] peccato eiusdem consentit, uti ipse fatetur, et Deus ipsum insimulat.

c) Eva pulchritudine ligni et suavi, quem habere videbatur gustu est allecta. Nihil huiusmodi de Adamo apparet. [2]

d) Potuit nihilominus in mente Adami aliqua dubitatio ex hoc oriri quod viderit uxorem post comestionem ligni nondum morte corruptam [3] (vide infra S. Augustinum).

« illum obtinuisse perfectissimum gradum, quod quidem quomodo demonstras? Cur « non potius adhaeremus historicae narrationi? Haec exhibet mulierem aures praebentem serpenti, eius promissa laete excipientem: credidit ergo se cum eo colloqui, qui sibi utilia et vera diceret: error proinde ab initio fuit ».* Liceat tamen ad haec obiicere sequentia: 1) Perfectiorem scientiam Adamo vindicavimus uti humani generis capiti. Et ipsa Scriptura dicit Evam quidem esse deceptam, non autem Adamum. 2) In ipsa Eva, initium non fuit in errore, sed in culpabili dubitatione circa mandatum a Deo acceptum. Quae dubitatio culpabiliter accepta veluti sui poenam peperit errorem.

[1] Inde Milton de Adamo affirmat:

Against his better knowledge, not deceived,
But fondly overcome with female charm. **

Ultima enim verba, quae profert antequam tentationi succumbat, revocant ea quibus Evam a Deo acceptam salutavit; unde sortem eius declarat se cum ea velle communem, sive in prosperis sive in aerumnis.

No, no! I feel
The link of nature draw me: flesh of flesh,
Bone of my bone thou art, and from thy state
Mine never shall be parted, bliss or woe. **

[2] Discrimen inter utriusque culpam Vondel condensat his duobus versibus, qui dialogum inter Adamum et Evam claudunt:

Ad. *Nu geef den appel hier, soo deelen wij één lot.*
Ev. *Zoo leert men good en kwaad met kennisse onderscheiden.****

[3] Hoc pariter sensu, apud Milton, Adamus cum Eva colloquens dubitat de exitiali effectu fructus a quo iam ipsa comederat, et e quo putabat et serpentem altiorem vitam percepisse:

Yet so
Perhaps thou shalt not die; perhaps the fact
Is not so heinous now, – foretasted fruit
Profaned first by the Serpent, by him first
Made common and unhallowed ere our taste,
Nor yet on him found deadly. He yet lives, –
Lives, as thou saidst, and gains to live, as Man,
Higher degree of life. ****

* Op. cit. Append. q. II, p. 211.
** Ibid., l. IX.
*** Op. cit., IV.
**** Ibid.

e) Superbe tamen ipsum Adamum similitudinem cum Deo appetiisse, suadetur ex verbis a Deo ipsi prolatis: « Ecce « Adam quasi unus ex nobis factus est ».

f) Si iam inflictam poenam consideramus, duo occurrunt notanda: α) maiorem fuisse poenam in Evam latam et priori loco (ordo quippe poenae ordinem culpae sequebatur: in serpentem, in mulierem, in virum): β) ita tamen, ut in sequentibus solus Adam nominaretur.[1]

3) Porro haec quae habemus ex narratione mosaica, confirmantur per modum quo Apostolus Paulus de praevaricatione protoparentum loquitur. *a*) Adami, ut capitis generis, culpam in omnes posteros transiisse affirmat, non autem Evae.[2] *b*) Ubi autem confert inter se delictum Adami et Evae, hanc proclamat fuisse seductam, non autem illum: « Adam non est seductus: mulier autem seducta in praeva- « ricatione fuit ».[3] Quibus elementis si congeruntur, efformatur doctrina quam S. Thomas in *Corpore* exponit.

4) Potest tamen, aliis prae oculis habitis, maiori scilicet Adami dignitate, illuminatione, deliberatione,[4] responsabilitate, peccatum ipsius uti gravius haberi peccato Evae. Quae est sententia Bossuetii, qui tres rationes adducit praecipuas, quia erat in tanta felicitate constitutus, tam facile tentationem superare potuisset, et per concupiscentiam totum humanum genus invadentem fuit cooperator illius quem Christus vocavit homicidam[5] ab initio: « Mais s'il a été homicide, Adam « a été le parricide de soi-même et de tous ses enfants qu'il « a égorgés, non dans le berceau mais dans le sein de leur « mère, et même avant la naissance; il a encore égorgé sa « propre femme, puisqu'au lieu de la porter à la pénitence « qui l'aurait sauvée, il achève de la tuer par sa complai-

[1] Ecce Adam, etc. Eiecitque Adam, v. 22, 25.

[2] Rom., v.

[3] 1 Tim., ii, 14.

[4] Hanc maiorem deliberationem qua Adamus secum et cum uxore pugnat antequam maritali complacentia vincatur, pulcherrime depingit Vondel in longiori colloquio Adamum inter et Evam, quae a serpente seducta serpentinas fraudes adhibet ut de viri oppositione triumphet.*

[5] Ioann., viii, 44.

* Op. cit. iv.

« sance ». Unde exclamat: « O le plus grand de tous les « pécheurs ».[1]

5) Quidquid sit, in hac oeconomia Adami et Evae partes non easdem fuisse, tenendum est. Quod egregie illustrat Card. Newman: « Eve had a definite, essential position in « the First Covenant. The fate of the human race lay with « Adam; he it was who represented us. It was in Adam « that we fell; though Eve had fallen, still, if Adam had « stood, we should not have lost those supernatural privileges « which were betomed upon him as our first father. Yet « though Eve was not the head of the race, still, even as « regards the race, she had a place of her own; for Adam, « to whom was devinely committed the naming of all things, « named her " the Mother of all the living ,,, a name surely « expressive, not of a fact only, but of a dignity; but further, « as she thus had her own general relation to the human « race, so again had she her own special place, as regards « its trial and its fall in Adam. In that primeval events, « Eve had an integral share. " The woman, being seduced, « was in the transgression. She listened to the Evil Angel; « she offered the fruit to her husband, and he ate of it. « She co-operated, not as an irresponsible instrument, but « intimate by and personally in the sin: she brought it « about ,,. As the history stands, she was a *sine qua non,* « a positive, active cause of it. And she had her share in « its punishment; in the sentence pronounced on her, she « was recognised as a real agent in the temptation and its « issue, and she suffered accordingly ».[2]

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non distinguit inter ignorantiam quae minuit culpam et ignorantiam quae culpam aggravat. Hic autem quaeri potest, utrum Eva fuerit in conditione inferiori quoad cognitionem posita, et inde magis excusabilis, quam fuisset Adamus, si se decipi passus esset. Et respondetur affirmative cum S. Augustino.[3] Non ideo tamen minus culpabilis fuit Adamo; nam Adam non est deceptus.

[1] Op. cit., VI: *Sem.* VII *Elév.*
[2] Op. cit., *Letter to Persey* (1864), p. 31 sq.
[3] *De Genesi ad litt.*, l. XI, c. ult.

Cavendum autem ne ultra limites urgeatur discrimen quod interfuit inter Adamum et Evam. Iam certe Eva posita erat in statu supernaturali, charitate aliisque virtutibus ornata. Non autem constat, eam accepisse ab initio plenam infusam scientiam qua Adamum a principio ornatum fuisse vidimus. Fuit igitur aliquo modo ab ipso Adamo educanda. Facilius proin in errorem induci potuit; indeque ratio cur in ipsam se ministerium serpentis exercuerit. De quo infra in tertio Capite huius Membri.

Ex dictis iam sequitur, cum moderamine interpretandum esse S. Augustinum quando haec scribit: « An quia hoc « (Deum ex invidia praeceptum tulisse) credere ipse (Adam) « non posset, propterea mulier addita est, quae parvi intel- « lectus esset, ut adhuc fortasse secundum sensum carnis, « non secundum spiritum mentis viveret, et hoc est quod ei « Apostolus non tribuit imaginem Dei? Sic enim ait: " Vir « quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria « Dei: mulier autem gloria viri est „.[1] Non quod mens femi- « nae eamdem imaginem capere non possit, cum in illa gratia « nos dicat nec masculum esse nec feminam;[2] sed quod for- « tassis illa hoc nondum perceperat quod sit in agnitione « Dei, et viro regente ac dispensante paulatim fuerat perce- « ptura ».[3]

2ª Obi. Solutio patet. Gravius certe fuisset Adamo inducere Evam in peccatum, quam fuit Evae virum in suam attraxisse praevaricationem.

3ª Obi. Procedit ac si quaevis praesumptio contineret in se malitiam divinae contemptae iustitiae. Potuit illa praesumptio provenire tum ex propriae excellentiae exaggeratione, tum ex ignorantia iustitiae divinae, quemadmodum docet Augustinus.

Sed contra est. Maior gravitas poenae in Evam inflictae tum ex verbis ipsis, tum ex historia constat. Insuper ordo punitionis idem insinuat.

Placet afferre hac de re sententiam Hugonis Victorini. « Quaerunt quidem, uter plus peccaverit Adam an Eva. Sed

[1] I Cor. XI, 17.
[2] Galat. III, 27 sq.
[3] *De Gen. ad Litt.*, l. XI, c. 42. – *P. L.*, t. XXXIV, col. 452 sq.

« sicut dicit Apostolus " Mulier seducta est, non vir „.[1] Eva « quippe seducta est, quia verum esse credidit, quod dia- « bolus dixit. Et idcirco non solum inordinate similitudi- « nem Dei cum scientia boni et mali appetiit, sed in tantam « prolapsa perversitatem verisimiliter putatur, ut Deum ex « invidia lignum scientiae boni et mali homini vetuisse cre- « deret, ne ipse homo ex eo gustando ad aequalitatem ipsius « proficere potuisset. Haec est enim illa perversa similitudo « quae creaturae non convenit, quae ex imitatione non quae- « ritur, sed ex comparatione. Hanc ergo mulier in super- « biam elata appetiit, et ne hanc habere potuisset, ipsum Crea- « torem putavit invidia tactum, lignum hoc vetuisse puta- « vit. Voluntaria ergo malitia se contra Creatorem suum « erexit; perverse contra ipsum volendo, et impie de ipso « sentiendo. Adam vero non est seductus, quia quod diabo- « lus promisit, falsum esse sciebat. Neque idcirco pomum « vetitum comedit, quasi per illam comestionem Deo parifi- « cari se posse crederet, vel etiam parificari vellet, sed tan- « tum ne mulieris animum, quae sibi per affectum dilectionis « sociata fuerat, eius petitioni et voluntati resistendo, con- « tristaret. Maxime quia putavit se et mulieri morem gerere « et postea per poenitentiam et veniae postulationem Crea- « tori posse placari ». Conclusio patet. « Vere igitur dictum « est quia minus peccavit qui de poenitentia et misericordia « cogitavit; peccavit tamen qui peccanti consensit, et pec- « cantem non correxit ».[2]

Nihilominus idem Auctor alibi affirmat, Adamum secundum quid gravius peccasse Eva: « Potest dici quod secun- « dum aliquid plus peccaverit (Adam); in hoc scilicet quod « maior deliberatio videtur fuisse in viro quam in muliere, « et quod maioris scientiae erat; et cui plus committitur, « plus ab eo exigitur. Nec tamen dicemus absolute quod « plus peccaverit; sicuti de aliquo presbytero et de aliquo « laico diceremus, si committitur homicidium, laicus ex « longo odio, presbyter ex subita ira; non posset absolute « dici quod ille ordinatus plus peccaverit, et tamen secun-

[1] 1 *Tim.*, II, 14.

[2] *De Sacram.*, l. I, pars VII, c. 10. – *P. L.*, t. CLXXVI, col. 290, sq.

« dum aliquid plus peccavit, in hoc scilicet quod fecit con-« tra ordinem suum ». [1]

In Corpore. En schema argumentationis. Ex qua apparet, articulum praesentem non esse nisi applicationem articulis praecedentis.



Circa hoc *Corpus* Caietanus iure movet quaestionem: Quomodo dici possunt haec tria α) β) γ) maius constituere peccatum in specie superbiae, quum solum α) directe respiciat superbiam. Respondet Caietanus concedendo rationes β) et γ) non respicere superbiae speciem, sed latitudinem peccati sub specie superbiae. Verum est. Aliunde tamen negari nequit, maiorem convinci superbiam illius qui non solum ipse transgreditur legem, sed alium ad illam contemnendam inducit; minorem autem superbiam esse illius qui, nec seductus, nec seductor, ex complacentia erga alterum potius quam ex complacentia in seipsum offendit Deum.

Quaeres. - Quid, si Adami peccatum in hoc tantum poneretur quod erga uxorem nimiae complacentiae indulserit? – Resp. Ita tenet Scotus. Sed illa nimia complacentia dari non potuisset, nisi implicite, imo logice prius, Adam oculos a Deo avertisset, in creaturam sibi caram, et proin in seipsum eos convertens. In quo non potuit non esse radicalis superbia, uti superius in articulo primo ostendimus.

Aliam quoque Augustinus rationem introvidit, quin eam reiiceret. « Sed etiam si virum propter aliquam mentis ela-« tionem, quae Deum internorum scrutatorem latere non « poterat, sollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mu-« lierem videret accepta illa esca non esse mortuam..., non

[1] *Summa Sentent. Tract. III*, c. 6. – *P. L.*, t. CLXXVI, col. 98.

« tamen eum arbitror, si iam spirituali mente praeditus « erat, ullo modo credere potuisse, quod eos Deus ab esca « illius ligni invidendo vetuisset ». [1]

Coeterum ipsa narrationis brevitas coniecturis aperit campum. Nescimus enim ubi Adamus fuerit, dum uxor eius tentabatur; nec quid colloquii inter Evam et virum praecesserit, antequam uxoris peccato Adam consenserit. Unde hanc tractationem claudere liceat verbis Augustini eamdem absolventis: « Sed quid plura? Persuasum est illud pecca- « tum sicut persuaderi talibus posset. Conscriptum est autem « sicut legi ab omnibus oporteret, etsi a paucis haec intelli- « gerentur sicut oportet ». [2]

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum in statu innocentiae nullus fuerit inordinatus appetitus boni sensibilis, peccati initium non potuit esse nisi in inordinato appetitu boni spiritualis, in quo est superbia (art. 1).

2) Quae superbia reducitur in appetitum inordinatae similitudinis cum Deo, non quidem aequiparantiae, nisi forte aliquo modo latiori, ratione independentiae; sed imitationis, si minus quoad esse naturae etiam elevatae, saltem quoad scientiam et potentiam (art. 2).

3) Hoc primi hominis peccatum, si conditionem personae consideras, gravissimum fuit; grave autem, sed non gravissimum, si speciem attendis (art. 3).

4) Pariter si respicitur conditio personae, gravius fuit peccatum Adami quam Evae; si autem superbiam, genere fuit aequale, specie vero peccatum Evae, utpote et seductae et seductricis, fuit gravius peccato Adami quippe complacentia potius nimia delinquentis (art. 4).

[1] Loc. cit., col. 454.
[2] Loc. cit.

CAPUT II.

DE POENIS PECCATI PRIMI HOMINIS.

(Quaestio CLXIV).

De Ordine quaestionis. - Primo S. Thomas quaerit de morte, deinde de aliis poenis, Adamo et Evae illatis. Ratio huius ordinis patet. Mors enim, tum ex modo quo Deus praeceptum dedit, tum ex modo quo Apostolus de poena peccati primi hominis loquitur, singularum supplicii rationem habere probatur. Insuper imago est illius exitii spiritualis, quod in anima peccator, commisso delicto, patitur. De qua morte spirituali quaedam dicemus in primo articulo; in altero etiam verbulum addemus de poena in serpentem inflicta.

ARTICULUS I.

UTRUM MORS SIT POENA PECCATI PRIMORUM PARENTUM.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Iam superius vidimus, in art. 1. Q. XCVII,[1] quomodo Concilia Milevitanum approbante Innocente I, Arausicanum II et Tridentinum contra Pelagianos, eorumque instauratores declaraverint mortem protoparentum ita ipsis in poenam fuisse, ut, nisi peccassent, mori non debuissent.

Quare ad omnia ibi exposita referimus, paucis argumentum complendo.

2) Et prima quaestio veluti praeliminaris sese heic offert. Ut mors poena sit peccati, estne omnino necessarium quod, nisi peccassent homines, mortui non essent? Nonne sufficeret modificatio in modo, cum relatione ad peccatum tamquam ad causam? - Absolute negandum non videtur hoc sufficere posse; sicuti pro serpente in poenam profertur quod super pectus gradiatur, licet de natura sua ab initio habuerit ut rependo incederet; magis tamen repere cogitur post peccatum hominis, propter summam, qua illum homo inse-

[1] Necnon in notula historica de Pelagianis.

quitur, inimicitiam. De quo in fine articuli sequentis sermo redibit. Quidquid autem sit de hac possibilitate, stat factum quod, si homo non peccasset, mortem non gustasset, et quod proin poena, ubi praedicatur de morte, non solum cadit in modum, sed et in rem.

3) In qua quidem poena explicanda vix ulla reperiretur difficultas, si consisteret in privatione alicuius boni ad naturam pertinentis, sicut est v. gr. privatio manus, quae delinquenti a carnifice amputatur. Hic autem agitur de bono, quod homini erat supernaturale vel praeternaturale. Sed ratio poenae morti accedit ex privilegio immortalitatis primo homini ab origine concesso, quo fit ut, propter delictum, iam privetur bono, quo secus fruitus esset. Unde mors potest simul esse naturalis et in poenam.

4) Nec requiritur, ad rationem huius poenae, ut mors eodem modo sese offerat omnibus qui pari titulo participant culpam. Nam, proprius loquendo, mors est potius effectus poenae, quam ipsa poena. Poena enim stricta fuit ablatio doni immortalitatis. Quam ablationem sequitur mors. Quod autem mors in alio celerius, in alio tardius, in isto aerumnose, in illo placide obveniat, non est iam effectus peccati communis; communis enim effectus est unice factum mortis, sine ulla determinata formalitate. Quae formalitas in singularibus casibus a Providentia regitur, in bonum iustitiae universalis et in provectum, aut in poenam maiorem uniuscuiusque mortem obeuntis.

5) Quare, quum modus concretus mortis singularis non formaliter ad poenam communis delicti pertineat, nihil omnino impedit quominus mors possit esse simul poena et meritum: poena quia est, meritum quia talis est.

6) Proinde si quaeritur utrum mors sit bonum vel malum, multipliciter est respondendum. – *a*) Quatenus est de natura humana suis viribus relicta, abstractione facta a quavis elevatione primordiali, nec bonum nec malum est, vel bonum simul et malum; bonum, utpote consequens naturam bonam; malum utpote dissolvens bonum. – *b*) Quatenus tum in protoparentibus tum in genere ab illis oriundo est a peccato, est malum. – *c*) Quatenus haec poena a divino Iudice inflicta, per delicti expiationem laesa divinitatis iura

reparat, est bonum. - *d*) Quatenus iudicium mortis[1] a carnis blanditiis deterret,[2] et a fugacibus bonis mentem et cor avertit, est bonum. – *e*) Quatenus homo libenter mortem acceptat uti sibi debitam,[3] in unione cum Christi morte redemptrice, est bonum. – *f*) Quatenus perseverantia donatos in charitate consummat, bonum est, imo summum. – *g*) E contra, quatenus impie obitur, et malos in malo firmat, est malum. – Sed et hoc *h*) quatenus a Deo in poenam malorum ordinatur, ac proin in suae iustitiae triumphum, rursus est bonum.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Abstrahit *a*) a privilegio immortalitatis primo homini concesso; – insuper *b*) non considerat quid in homine appetat immortalitatem.

En schema responsionis.

Mors homini est naturalis, dist:
- 1) a parte *formae,* nego; anima enim est incorruptibilis;
- 2) a parte *materiae,* subdist:
  - *a*) si respicitur conditio materiae in se, concedo: corpus enim est ex contrariis compositum;
  - *b*) si respicitur conditio secundum quam materia unitur formae; nego: potius postularet aptari ad conditionem animae: quod ex privilegio Deus in initio complevit.

Vide quantopere haec solutio respondeat doctrinae superius expositae, ubi directe de immortalitatis dono disserebamus.

2ª Obi. Abstrahit a forma immortali. Textus autem *Eccl. III*, 19, videtur non solum loqui de interitu quoad cor-

[1] Inde Scriptura dicit: O mors, bonum est iudicium tuum (Eccles. XII, 3).

[2] Sub tabula Iordaens, quae repraesentat puellam in speculo sibi complacentem, dum senior sapiens ei craneum ostendit, hosce legi versus:

Stulta, quid ad speculum fastus assumis inanes
Atque tibi formâ, quae peritura places?
Hic cernis quod eris, quodque es, quid credere cessas?
Qua loquor, haec forsan iam dabit hora fidem.

Unde bene exclamat Pope:

O Death all eloquent! you only prove
What dust we dote on, when 't is man we love. *

[3] Optime Augustinus: « Scias te mortem quam debes supplicio Adam, persolu- « turum; accepit enim ille, in quo tunc omnes fuimus, " Morte morieris ,, , nec potest « evacuari divina sententia ». **

* *Elvira to Abelard.*

** *In Ioann.*, tr. XII, n. 6. – *P. L.*, XXXV, col. 1577.

pus, sed de toto ente hominis et iumenti. Prosequitur enim Coheleth: « Et omnia pereunt ad unum locum: de terra « facta sunt, et in terram pariter revertuntur ». — Hoc de materia; iam sequitur de forma: « Quis novit si spiritus « filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus iumentorum « descendat deorsum? » Utrimque pro spiritu habetur eadem vox רוּחַ, quae spiritum animalem significat, dum *Gen.*, II, 7, habemus vocem נְשָׁמָה, quae de anima humana unice dicitur, immortali quippe et rationali, per quam Hebraei iurare solebant. Sed ex hoc loco *Ecclesiastici* nihil contra praesentem thesim concludi potest, quum scopus totius libri sit, incertis fructibus scientificae inquisitionis, cum quodam polemico excessu apparenter sceptico opponere fructum certum ex gaudio vitae et operibus bonis colligendum. [1]

3ª Obi. Non considerat in Adamo rationem capitis humani generis.

4ª Obi. Non distinguit inter ipsam poenam et effectum poenae; seu inter essentiam rei et modum. Cf. dicta n. 4.

5ª Obi. Confer dicta n. 6. Omnes rationes bonae quae in morte esse possunt, a Deo sunt; reliquae non.

6ª Obi. Cf. dicta n. 5, et n. 6, *d* et *e*.

7ª Obi. Confundit in morte illud quod est in se, et bonum quo privat. Unde schemate sequenti solve obiectionem.

Mors non est afflictiva, dist:
- 1) considerata uti privatio immortalitatis originalis: — nego;
- 2) considerata in seipsa; subdist:
  - *a*) ut in termino, seu facto esse: — concedo;
  - *b*) ut in via, seu fieri per alternationem corporis: — nego.

8ª Obi. Non considerat ablationem doni immortalitatis, a qua ablatione in relatione ad Adami peccatum mors suam formalitatem poenae derivat.

Sed contra est. Recole omnes auctoritates Scripturae et traditionis superius allatas, quibus adde illud Pauli: « Sti« pendia peccati mors ».[2] Quam sententiam de utraque morte

[1] Cf. quae in praecedente de hoc loco diximus,
[2] Rom., VI, 23.

intelligendam esse, paulo inferius monstrabimus.[1] Quemadmodum et censemus, comminatoria verba a Deo ad Adamum prolata non unice de corporali morte esse intelligenda, sed etiam de morte spirituali quae animam, commisso delicto, subito invasit: « Multas enim annorum cen« turias post inobedientiam vixit primus homo. Neque tamen « mentitus est Deus, cum dixit in quocumque die come« deritis, morte moriemini. Nam eo ipso quod alienatus est « a vera vita, eadem die mortis in eum confirmata sententia « est. Postea vero, interiecto tempore, temporalis mors Ada« mum consecuta est ». Ita Gregorius Nyssenus.[2] Imo Gregorius Magnus tantopere huic morti spirituali insistit ut, nisi hoc admittatur, verba Dei non videantur satis impleta. « Si « enim Adae qui prius peccavit anima in peccato mortua non « est, quomodo de ligno vitae ei dictum est: "In quocumque « die comederitis ex eo, morte moriemini„? Et ecce comedit « Adam, et Eva de ligno vetito, et tamen in carne sua ultra « nongentos annos postmodum vixerunt. Constat itaque « quia in carne non est mortuus. Si ergo in anima mortuus « non est, quod dici nefas est, falsam sententiam de illa « protulit Deus, qui dixit: "Quia qua die comederet, more« retur„ ».[3] Pariter Origenes haec verba de animae morte interpretatur;[4] nec aliter primo Rupertus,[5] postea vero melius de utraque morte animae et corporis.[6]

[1] Hoc sensu sententia Paulina valet et de daemone. Bene id illustrat pius Abbas Smith: « The immediate effect of Satan's sin was that he made death possible « first, the living death to which his angel followers were condemned with him, « and secondly, the death which is temptation brought to man. The reason why he « was a murderer of angels and of men is because he had not the truth in him, « that is, he deliberately rejected the truth of God. Thus, his children who followed « him could not understand the word of truth which proceeded from Thee ».*

[2] *Ctr. Eunom.* l. I,

[3] *Ad Eulog.* epist. 34. - *P. L.*, t. LXXVII, col. 893. - Cf. epist. 14, col. 806.

[4] *Homil.* XV *in Genes.*

[5] « Porro victoria eius (daemonis) in qua gloriabatur, talis erat qualis odibi« lium sophistarum esse solet. Nam per aequivocationes, incautos et imprudentes « circumvenit in primis dicendo: "Nequaquam morte moriemini„, volens intelligi « mortem carnis, quae est separatio animae et corporis, cum Deus dicendo: "In « quacumque die etc.„, intelligi voluerit mortem animae a Deo ». *De victoria Verbi Dei*, l. II, c. 10. – *P. L.*, t. CLXIX, col. 1251.

[6] *In Genes.*, c. III, *De oper. Trin.*, l. III. - *P. L.*, t. CLXVIII, col. 293.

* JOSEPH OSWALD SMITH, O. S. B., Abbot of Ampleforth, *Our Lord's own words*, Wasbourne, London, p. 299 sq., in *Ioann.*, VIII, 43 sq.

Quum igitur mors corporalis ex natura sua sit figura mortis animae, et haec, nisi spiritualis vita recuperetur, conducat ad mortem aeternam, et quum aliunde sermoni divino amplissimus quem accipit, sensus tribuendus sit, nisi aliunde limitetur, subscribimus libenter verbis pulcherrimis, quibus Augustinus hoc argumentum illustrat: Postquam profunde dixerit: « Numquam erit homini peius in morte, « quam ubi erit mors ipsa sine morte », adiungit: « Cum ergo « requiritur quam mortem Deus primis hominibus fuerit « comminatus, si ab eo mandatum transgrederentur acce- « ptum, nec obedientiam custodirent: utrum animae, an « corporis, an totius hominis in illam quae appellatur « secunda; respondendum est: omnes.[1] Prima ex duabus « constat; secunda est omnibus tota. Sicut enim universa « terra, ex multis terris, et universa Ecclesia ex multis « constat ecclesiis: sic universa mors ex omnibus. Quoniam « prima constat ex duobus: una animae, altera corporis: « ut sit prima totius hominis mors, cum anima sine Deo « et sine corpore ad tempus poenas luit; secunda vero, « ubi anima sine Deo cum corpore poenas aeternas luit. « Quando ergo Deus dixit primo illi homini, quem in para- « disum constituerat, de cibo vetito: " Quacumque die come- « deritis ex ea, morte moriemini ,,, non tantum primae mortis « partem priorem, ubi anima privatur Deo; nec tantum « posteriorem ubi corpus privatur anima; nec solam ipsam « totam primam, ubi anima et a Deo et a corpore separata « punitur: sed quidquid mortis est usque ad novissimam, « quae secunda dicitur, qua est nulla posterior, comminatio « illa complexa est ».[2]

Nec huic sententiae obiicias, mortem animae non esse

[1] Optime Bossuetius: « Dans l'instant même vous mourrez de la mort de l'âme, « qui sera incontinent séparée de Dieu, qui est notre vie et âme même. Mais encore « que votre âme ne soit pas actuellement séparée de votre corps à l'instant même « du péché, néanmoins en cet instant elle mérite de l'être: elle en est donc « séparée quant à la dette, quoique non encore par l'effet: nous devenons mortels: « nous sommes dignes de mort: la mort nous domine, notre corps dès là devient « mortel, et nous accable de tout le poids de la mortalité et de l'infirmité qui l'ac- « compagnent ». *

[2] *De Gen. ad litt.*, l. XIII, c. 12. - *P. L.*, t. XLI, col. 385 sq.

* Op. cit., VI *Sem.*, XV *Elév.*

proprie peccati poenam, sed naturale eiusdem consequens.[1] Non oportet ut in comminatoria sententia ratio poenae eodem modo omnes sententiae adspectus afficiat. Coeterum, uti mox videbimus, haec mors latiori sensu poena vocari potest;[2] sicuti certo poena est mors secunda, quae tamen et ipsa est consequens peccati, nisi ex misericordia Deus condonet quod ex iustitia infligere posset.

Breviter hanc nostram sententiam ita nervose contrahit Illmus Ullathorne: « He has encursed the sentence of death, « both of soul and body ».[3]

In Corpore. Argumentum ad hunc syllogismum simplicissimum reducitur. Mors vere poena peccati dicenda est, si propter peccatum homo moriatur, secus non moriturus. Atqui ita conditus fuit, ex speciali privilegio, ut, nisi peccasset, non moreretur. Ergo. Probationi minoris, post exposita superius, non amplius est insistendum.[4]

Appendix de morte spirituali.

Haec de morte corporali, quam in poenam culpae subire coacti sunt protoparentes et genus ex eis ortum propter eos. Sint et quaedam de morte spirituali. Si superius audivimus Patres cum Irenaeo de gratiae donis intelligentes illum spiritum quem Deus in plasma Adami insufflavit, perditio huius spiritus et ipsa vocanda erit mors, eo vel magis quod gratiae vita corporali vitae longe praestat. Hanc vitam

[1] Hanc obiectionem nimis nobis Petavius cogere videtur (op. cit., c. 12).

[2] Insuper comminatio de morte animae subintellecta erat, uti declaratio gravitatis inobedientiae a qua Adamum arcebat.

[3] Op. cit., *Lect.* XI, p. 302.

[4] Optime id illustrat eruditus Beelen: « Het lichamelijk sterven was wel eene « natuurlijke eigenschap van den eersten mensch; maar door den staat der oor- « spronkelijke gerechtigheid, waarin God hem stelde, ontving hij het bovennatuur- « lijk vermogen van te kunnen leven zonder ooit te sterven. - Doch Adam verloor « dit vermogen tegelijk met die oorspronkelijke gerechtigheid door zijne zonde van « ongehoorzaamheid; en zoo is de dood, ofschoon eine eigenschap der menschelijke « natuur, in de wereld gekomen als eene straf voor de zonde. En gelijk allen in « Adam gezondigd hebben, zoo moeten ook allen evenzoo in hem sterven ». *

* *Het nieuw Testament onzes Heeren Jesus Christus.* Ep. ad Rom., V, 13 sq., t. I. p. 279.

per peccatum fuisse amissam, tam aperte constat, ut ratio totius Redemptionis huic veritati innitatur. Inde tempora Veteris Testamenti quasi umbra mortis in Scripturis apparent, in qua umbra Israël sedet lugens et anhelans, donec exsurgat divinus Oriens, lucem simul cum vita in mundum desuper allaturus [1] Hanc mortem figurabat, et adhuc hodie figurat ipsa mors corporalis, de qua Christus per propriam mortem triumphator exstitit, solvens in morte pro peccatis mundi, reddens in resurrectione vitam gratiae mundo.[2] Inde quoque miracula quae Salvator patrare dignatus est languores curando mortuosque ipsos suscitando, figurabant potetatem quam a Patre in regnum gratiae acceperat, et quasi prophetice praesignabant emissionem illius Spiritus innovantis, a quo Ecclesia et exordium sumeret et immortalem virtutem derivaret. Unde Christus solebat curationem corporalem ad animae sanationem ordinare. Imo paralytico per tegulas domus ei oblato incepit dicere: « Dimittuntur tibi peccata »,[3] nonnisi postea membrorum usum ei daturus.

Recte igitur Paulus opponit mortem, peccati fructum, vitae aeternae, fructui gratiae. « Stipendia enim peccati « mors. Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Iesu « Domino nostro ». [4] Quo in loco habes totum: opus peccati, opus gratiae, et reparationis Mediatorem.

[1] Is., IX, 1; MATTH., IV, 16.

[2] Pulcherrime id exprimit S. Augustinus: « Quod nostrum mortale et corruptibile aggravat animam, * ex Adam esse apparet et manifestum est; quod autem « nostrum spirituale sublevat animam, de Dei dono et de misericordia eius, qui « Unicum suum misit communicare nobiscum mortem nostram, et ducere nos ad « immortalitatem suam ». **

[3] MARC., II, 5.

[4] ROM. IV, 23. Optime Bossuetiūs: « La grande peine du péché, celle qui est « seule proportionnée, c'est la mort éternelle: et cette peine du péché est enfor« mée dans le péché même. Car le péché n'étant autre chose que la séparation « volontaire de l'homme qui se retire de Dieu, il s'ensuit de là que Dieu se retire « aussi de l'homme, et s'en retire pour jamais, l'homme n'ayant rien pour s'y « rejoindre de lui-même: de sorte que par ce seul coup que se donne le pécheur, « il demeure éternellement séparé de Dieu, et Dieu par conséquent forcé de se séparer « de lui, jusqu'à ce que, par un retour de sa pure miséricorde, il lui plaise de reve« nir à son infidèle créature ». ***

* SAP. IX, 15.

** *In Ioann.*, tr. XXI, n. 1. - *P. L.*, XXXV, col. 1544.

*** Op. cit., VI *Sem.*, XVI *Elév.*

Nec timet Apostolus Legem veterem vocare *Legem mortis*[1] non quasi ad mortem corporalem conduceret, sed quia per ipsa praecepta, ad quae servanda non iuvabat, in peccata inducebat.[2] Unde quum ipse Christus sit lapis offensionis,[3] signum per quod cordium cogitationes revelentur,[4] odor Christi operatur in mortem et in vitam. « Christi bonus « odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, et iis qui pereunt. « Aliis quidem odor *mortis in mortem:* aliis autem odor « vitae in vitam ».[5]

In hoc mortis spiritualis sensu dixit ipse Christus: « Sine « ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et « annuntia regnum Dei ».[6] Unde opus redemptionis est opus resurrectionis spiritualis. « Sicut enim Pater suscitat mor- « tuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat ».[7] Hoc autem esse dictum de anima etiam, et non solum de corpore, probat sequens sententia: « Amen, amen dico vobis, quia « qui verbum meum audit, et credit ei qui me misit, habet « vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transit a « morte in vitam ».[8] Duplex proin habetur resurrectio mortuorum, alia spiritualis, quae per praedicationem Christi exorditur; alia corporalis simul, spiritualem resurrectionem consummans in fine temporum. De utraque in sequentibus eiusdem sermonis Redemptor loqui videtur. De resurrectione potius spirituali: « Amen, amen dico vobis, quia venit « hora, *et nunc est,* etc. »;[9] de corporali potius simul et spirituali: « Nolite mirari hoc, quia venit hora ».[10] Ita Bossuetius cum aliis. Sufficit autem ad probationem nostram in toto contextu utrumque conceptum coniungi; de quo abunde constat ex v. 24. Et sane duplex resurrectio respondet duplici morti, quemadmodum duplex mors respondet

[1] Rom., viii, 2.
[2] Rom., vii, 5.
[3] Rom., ix, 32.
[4] Luc., ii, 34 sq.
[5] ii Cor. ii, 15, 16.
[6] Luc., ix, 60.
[7] Ioan., v, 22.
[8] Ibid., 24.
[9] v., 25.
[10] v., 28.

duplici vitae, iuxta belle dictum sancti Augustini: « Vitae una « corporis, altera animae. Sicut vita corporis anima; sic « vita animae Deus. Quomodo si anima deserat, moritur « corpus; sic anima moritur, si deserat Deus. » [1]

Recte igitur ac profunde Ioannes opus redemptionis vocat translationem de morte in vitam. « Nos scimus, quoniam « translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus « fratres ». Consequens immediate sequitur: « Qui non diligit, « manet in morte ». [2]

Non autem quodvis peccatum, per defectum aut extinctionem charitatis, aequaliter mortem inducit. Ait enim idem Ioannes: « Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad « mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. « Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis, « Omnis iniquitas peccatum est: et est peccatum ad mortem ». [3]

Mortiferam autem hanc peccati genesim, pulchre describit S. Iacobus: « Unusquisque tentatur a concupiscentia sua « abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conce- « perit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum « fuerit, *generat mortem* ». [4] Mortem autem hanc animae intelligendam esse, demonstrat, praeter ipsum contextum, ultima eiusdem sententia. « Fratres mei, si quis ex vobis « erraverit a veritate, et converterit quis eum: scire debet « quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae « suae, salvabit animam eius a morte, et operiet multitudi- « nem peccatorum ». [5]

Talem fuisse mortis statum Adami et Evae post lapsum, dubium esse nequit. Id enim probat gravitas delicti de qua in art. 3. Quaest. praeced. desseruimus. Inducias tamen utrique divina benignitas concessit ad poenitentiam, ideoque mors corporalis, quae illos in morte spirituali consummasset, non illico ipsos invasit.

Nec frustra. Docemur enim ab ipsa Scriptura protoparentes gratiam Dei recuperasse ope poenitentiae, per merita pro-

[1] *In Ps.* LXX, cf. *Gen. ad litt.*, l. XIII c. 12.
[2] I IOANN., III, 14.
[3] Ibid., V, 16, 17.
[4] IAC., I, 14, 15.
[5] Ibid., V, 19, 20.

missi Redemptoris. [1] Ita enim legitur in *Libro Sapientiae:* « Haec (sapientia) illum, qui primus formatus est a Deo « pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, « et *eduxit illum* a delicto tuo ». [2] Qui locus explicitus quoad Adamum, potest et ad Evam extendi. [3] Ita iam a primis saeculis scriptores christiani contra Tatianum, Encratiten, aliosque, praesertim Tertullianus [4] et Irenaeus. [5] Nec aliter Origenes, S. Cyprianus, S. Athanasius, S. Gregorius Nyssenus, S. Augustinus, S. Hieronymus et Patres passim. Unde et in Martyrologio Romano Adami festum diei 24 decembris, in Vigilia Nativitatis assignatur, ad intimum exprimendum nexum inter Adami salutem et Salvatoris ortum. [6]

Sat mirum proin est, Rupertum tam sceptice de hoc argumento scripsisse: « Salvatio eius et a multis libere negatur, « et a nullo satis firmiter defenditur ». [7]

Optime e contra traditionem S. Alphonsus ita vindicat: « È domma poi cattolico contro Taziano che Adamo fece

[1] Cf. de hoc argumento SCHEEBEN loc. cit., n. 215.

[2] SAP. x, 1, sq.

[3] De utroque, v. gr., loquuntur S. Gregorius Nyssenus; « Utrumque Christus « passione sua salute donavit »; * et S. Augustinus: « Postea iuste vivendo merito « creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati ». **

[4] *Praescr.*, 52. - *P. L.*, t. II, col. 72.

[5] *Ctr. haeres.*, l. I, c. 28, l. III, c. 23, et 33-38.

[6] Pulcherrime Milton fingit protoparentes, post primos gemitus desperationi proximos, iam submissos, in ipso loco quo Filium Dei audierant mite eos iudicantem, poenitentiae preces et gemitus simul emisisse:

So spake our Father penitent; nor Eve
Felt less remorse. They, forthwith to the place
Repairing where he judged them, prostrate fell
Before him reverent, and both confessed
Humbly their faults, and pardon begged, with tears
Watering the ground, and with their sighs the air
Frequenting, send from hearts contricte, in sign
Of sorrow unfeigned and humiliation meek. ***

Poenitentium vota et lamenta Filius de caelo audit et offert Patri, qui ea acceptat, et Michaëli committit ut eos, antequam e Paradiso pellantur, de futura Redemptione instruat atque soletur ****

[7] *In Gen.*, l. III, c. 31. - *P. G.*, t. CLXVII, col. 318.

* Orat. 37, n. 7. - *P. G.*, t. XXXVI col. 289.

** *De peccat. merit.*, l. II, c. 34. - *P. L.*, t. XLIV, col. 185; cfr. ab epist. 164, alias 69.

*** Op. cit., l. X in fine.

**** Ibid., l. XI.

« penitenza del suo peccato e siasi salvato, come provano « S. Ireneo e S. Agostino, con Tertulliano, S. Ambrogio, « S. Girolamo ed altri presso il padre Natale. Ma singo- « larmente, ciò si prova dal testo della Sapienza ove dice: « " Haec illum ,,, ecc. Insieme con Adamo si crede senza « dubbio essersi ancora salvata Eva[1] con la fede in cui Gesù

[1] Iuxta hanc traditionem solent pictores Christi descensum ad inferos ita repraesentare ut inter sanctos Antiqui Testamenti, Messiae adventum expectantes, primi occurrant Adamus et Eva. Hinc quoque sub Cruce solent depingere craneum, quid supponitur esse craneus primi hominis, iuxta traditionem quae non solum referebat Adamum Hierosolymis in Calvarii loco fuisse sepultum, sed ab eius craneo hunc locum derivasse nomen. Hanc traditionem exhibet carmen contra Marcionem scriptum, erronee quidem Tertulliano assignatum, sed tamen valde vetustum:

Golgotha locus est, capitis calvaria quondam
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit;
Hic medium terrae est, hic est victoriae signum:
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum,
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum,
Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
Pulvis Adae ut possit veteris cum sanguine Christi
Commixtus, stillantis aquae virtute lavari. *

Iam Origenes hanc traditionem recordatur: « Venit ad me traditio quaedam « talis, quod corpus Adae primi hominis ibi sepultum sit, ubi crucifixus est Chri- « stus ». ** Concordat et homilia pseudo-Athanasii: « Non alibi patitur, non alio « loco cruci affigitur quam in Calvariae loco, quem Hebraeorum magistri aiunt « fuisse Adami sepulcrum ». *** Necnon S. Basilius Seleucensis: « En Iudaeorum « Cabala Adae craneum aiunt ibi repertum, idque Salomonem pro supereminenti sua « sapientia dignovisse. Cuius rei gratia eum locum Calvariae nomen retulisse fe- « runt ». ****

In qua traditione eruditus et prudens Suarezius, distinguens factum et nomen, scribit: « In hoc aliud est loqui de re ipsa, an scilicet Adamus sepultus esset in « loco Calvariae, aliud de denominatione Calvariae unde sumpta est. Quod ergo ad « rem attinet, imprimis non videtur contemnenda tantorum Patrum traditio. Neque « enim verisimile est non fuisse ex aliquo probabili fundamento ortam ». *****

Quidquid sit de hac traditione, adhuc hodie in basilica Hierolymitana Sacri Sepulcri, sub Calvariae sanctuario, invisitur sepulcrum ab Adamo nuncupatum, in quo quatuor primi reges Latini sibi requiei locum delegerunt.

Nec tacenda est duplex alia traditio de loco quo Adamus mortuus est: altera, minoris momenti, hunc in proximitate Paradisi terrestris collocat; altera in Hebron, cuius meminit S. Hieronymus, ****** qui tamen alibi et de traditione Hieresolymitana loquitur.

Et haec de hac incerta nec unquam solvenda quaestione satis.

* *P. L.*, t. II, col. 1067.

** *Comment. series in Math.*, n. 126. – *P. G.*, t. XII, col. 1777.

*** *P. G.*, t. XXVIII, col. 208.

**** *Orat. 38*, n. 3. – *P. G.*, t. LXXXV, col. 411.

***** *In* III *Summae*, q. XLVI, a. 10, n. 6-16.

****** *In Math.* XXVII. De hac traditione interpretatur verba Iosue de Hebron dicentis: « quod Adam maximus ibi inter Enacim situs est (c. XIV, 15).

« Cristo, che sino d'allora fu loro rivelato dovere venire un « giorno a redimere e salvare il genere umano ».[1]

Incertum est per quantum tempus Adam in statu mortis spiritualis permanserit. Probabilius nobis videtur hoc tempus fuisse brevissimum. Id enim suadet a parte Dei pietas misericors Redemptorem subito promittentis, et iam quasi in ipso Paradiso fontem meritorum Christi per magnum hoc vaticinium aperientis; a parte Adami et Evae, docilitas qua se puniendos pellendosque praebent, imo pietatis sensus quo Eva, concepto primo filio, exclamavit: « Possedi hominem per Deum ».[2] Non tamen subito conversi fuisse videntur. Nam excusatione mala culpam auxerunt, et expelli e Paradiso decet adhuc peccatores, magis quam iam in gratiam receptos. Insuper verba a Deo prolata: « Ecce Adam « quasi unus ex nobis factus est »,[3] sonant uti Iudicis similitudine divina orbatum et in eamdem similitudinem nondum restitutum deridentis.

Superest illustrandum quo sensu ista mors spiritualis *poena peccati* vocari possit, iuxta illud Apostoli: « Stipendia peccati mors ».[4]

Dupliciter potest sumi poena: latiori sensu et strictiori. Latiori sensu poena alicuius rei malae potest vocari quodcumque malum quod cum ea re coniungitur sive per se, sive ita disponente providentia divina. Strictiori autem sensu poena vocatur malum illud quod malam rem ita sequitur ut non identificetur cum effectu inseparabili ab eadem re. Priori sensu, mors spiritualis poena peccati est, et quidem per se. Altero autem sensu, distinguendum est. Si consideras ipsum in se peccati actum, mors spiritualis non est poena; nam est inseparabilis ab eodem actu, quum hic de natura sua

[1] *Condotta della Provvidenza*, p. I, c. 1, n. 24.

[2] GEN., IV, 1

[3] Ibid., III, 22.

[4] ROM., V, 23. Utramque mortem intime connexam ostendit Lacordaire: « Qu'était-« ce que la mort? Nul être vivant ne l'avait encore connue... Hélas! nous avons « depuis connu et contemplé la mort... Nous connaissens les deux morts dont le « commendement divin faisait peur à nos pères, la mort du corps et la mort de l'âme, « et ce qui était pour eux une prophétie est devenu pour nous la plus lamentable des « réalités. Et bien! pourtant, la même négation n'a pas trouvé dans la nôtre une « résistance mieux préparée ». *

* LXIII *Conférence.*

charitatem extinguat, et extincta charitate necessario sequatur animae mors. Unde non magis mors spiritualis est poena peccati, quam mors corporalis poena gladii cor transverberantis. Si autem consideras statum peccati seu mortem habitualem, cum relatione ad Deum gratias suas subtrahentem; vel etiam actum lethalis culpae in relatione ad praecedentes culpas propter quas Deus illam permisit; vel adhuc peccatum habituale, intercedente morte corporali, in mortem aeternam firmatum, et in hac morte damnatorum aeterna supplicia, mors spiritualis potest vocari peccati poena.

Et haec pro re praesenti satis sint. De habitualis peccati constitutivis fusius agendum erit in tractatu *De gratia*.

Quaeres. – Utrum per peccatum suum Adamus omnes prorsus virtutes supernaturales, ad fidem usque amiserit.[1]

Has omnes virtutes fuisse in iustitia originali radicatas, est manifestum. Quare hac amissa, consequenter et illas omnes Adamus amisit. Licet enim in ordine salutis separatae fides et spes remaneant, amissa sola charitate, ob influxum perdurantem gratiae a Christo derivatae, de iure non fuit ita in iustitia originali. De facto autem fides et spes potuerunt servari, influxu Redemptoris futuri, aliquomodo iam tunc impedientis ne corruerent. Tunc quoad hanc geminam virtutem in Adamo distingui posset duplex instans logicum; primum, quo ruente charitate et ipsae corruerint; alterum, quo per futuri Christi influxum fuerint sustentatae. Quo insuper influxu mox in Adami animo cum poenitentia revivixit et charitas.

Corollarium I. – Quemadmodum Adam per praevaricationem suam corporis et animae mortem in hac et in altera vita incurrit, ita Christus, alter Adam, fuit ipsa morte plenitudinis vitae in utroque sensu instaurator.[2] Hinc plenus

[1] Cf. de hoc dubio Palmieri (op. cit. Append. Q. v, p. 216).

[2] Pulchre Lacordaire: « Si la mort est le chef d'œuvre de la justice de Dieu, « elle ne l'est pas moins de son amour. A côté de cette parole de l'Ecriture qui dit: « *La mort est la solde du péché,* il en est une autre qui dit: *L'amour est fort comme « la mort* ».*

* LXXVII *Confér.*

sensus Sequentiae paschalis: « Mors et vita duello conflixere « mirando ». Hinc toties ipse Christus ad suam vivificam missionem appellat: « Veni ut vitam habeant, et abundantius « habeant ».[1] « Ego sum resurrectio et vita ».[2] « Ego sum via, « veritas et vita ».[3] Clarificatio proin Filii per Patrem et Patris per Filium in expansione huius vivifici operis per Christi vivificam mortem consistit: « Pater, venit hora; clarifica Filium « tuum, ut Filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem « omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeter- « nam ».[4] Quare sacramentum quo Christi mors mystice renovatur, et fidelibus per communionem applicatur, est eminenter sacramentum vitae. « Ego sum panis vitae.... Qui manducat « meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeter- « nam, et ego resuscitabo eum in novissimo die ».[5]

Pulcherrime proin S. Petrus Christum appellat « auctorem vitae ».[6] Imo Paulus eloquenter declarat, latius patere vivificum opus Christi mortifero opere Adami: « Non sicut « per unum peccatum ita et donum: nam iudicium quidem « ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis deli- « ctis iustificationem ».[7]

Inde in regenerationis sacramento duplex veluti respectus: terminus *a quo* est sepultura corporis, id est hominis peccati;[8] terminus *ad quem* est novi hominis vita a Christo recepta: « An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in « Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti « enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quo- « modo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita « et nos in novitate vitae ambulamus ».[9]

Quare et in Filii clarificatione duplex habetur respectus: alter humilis, absconditus, qui in ipsa Christi morte

[1] Ioann., x, 10.
[2] Ioann., xi, 25.
[3] Ibid. xiv, 6.
[4] Ibid., xvii, 1, 2.
[5] Ibid., vi, 48, 55.
[6] Act., iii, 15.
[7] Rom., v, 16 et sequentia.
[8] « Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati » (Rom., vi, 6).
[9] Ibid., 3, 4.

constitit, quatenus « Christus innocens Patri reconciliavit « peccatores »; alter triumphalis, manifestus, qui in resurrectione priorem expandit: « Dux vitae mortuus regnat vivus ».[1] Inde vox Patris « Clarificavi et iterum clarificabo »,[2] et de mortis adspectu intelligenda est iuxta ipsa verba Christi: « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia « traham ad meipsum ».[3]

Princeps autem huius mundi, tenebrarum harum, dum nihil sibi debentem iniusto ictu percussit, iura sua in mortis regnum amisit, iuxta verba ipsius Christi: « Venit princeps « mundi huius, et in me non habet quidquam.... Nunc iudi- « cium est mundi. Nunc princeps huius mundi eiicietur « foras ».[4]

Totum hoc argumentum S. Augustinus contrahit his verbis iam alibi a nobis allatis, ubi de efficacia mortis Christi agebamus.[5] « Una ergo mors nostri Salvatoris duobus mor- « tibus nostris saluti fuit; et una eius resurrectio duas nostras « resurrectiones praestitit: cum corpus eius in utraque re, « id est, in morte et in resurrectione, et sacramento inte- « rioris hominis nostri, et exemplo exterioris, medicinali

[1] Sequentia *Victimae paschali.*

[2] Ioann., xii, 28. Cf. S. Augustini verba: « Si passione clarificatus dicitur, quanto « magis resurrectione? » (*In Ioann.*, tract. civ).

[3] Ibid., 32 et 33.

[4] Ioann., xiv, 30; xii, 31. Inde solent poetae, Mortem repraesentare veluti reverentiali dubio incertam, utrum lethali vulnere crucifixum Dominum feriret necne. Pulcherrime id dipingit carmen ipsi Molière a nonnullis adscriptum, cui titulus *La Mort du Christ.*

Lorsque Jésus souffrait pour tout le genre humain,
La mort en l'abordant au fort de son supplice,
Parut tout interdite et retira sa main,
N'osant pas sur son maître exercer son office.
Mais le Christ en baissant la tête sur son sein,
Fit signe à la terrible et sourde exécutrice,
Que sans avoir égard au droit du Souverain,
Elle achevât sans peur le sanglant sacrifice.
L'implacable obéit, et ce coup sans pareil
Fit trembler la nature et pâlir le soleil,
Comme si de sa fin le monde eût été proche.
Tout gémit, tout frémit sur la terre et dans l'air;
Et le pécheur fut seul qui prit un cœur de roche,
Quand les rochers semblaient en avoir un de chair.

[5] *De Deo Homine. Soteriologia*, n. 858 sqq.

« quadam convenientia ministratum est ».[1] Hinc eloquenter et pie scribit Fenelonius: « Je ne puis m'empêcher d'admirer « la vertu de la Croix: nous ne valons rien que par elle ».[2] Sed alibi addit: « Les croix que l'on choisit ne sont presque « rien: il n'y a que Dieu qui sache crucifier ».[3] Crux enim vere nostra, quam baiulare iubemur, ut insequamur Christum, est illa quae, ab Eo imposita, licet in se gravis, imo gravissima, contactu tamen ipsius Crucis Domini suavis fit et levis.

Corollarium II. - Quemadmodum Eva partem habuit originali culpae, ita et altera Eva, Beatissima Virgo Maria a salutifero Filii opere nequit seiungi. Altiori sane titulo est « mater viventium », quum sit Mater auctoris vitae. Unde ab Ecclesia salutatur: « Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra ».[4] Pulchre S. Augustinus symbolismum oppositionis inter utramque Evam describit: « Iisdem gradibus « quibus perierat humana natura a Domino Iesu Christo « reparata est: Adam superbus, humilis Christus; per femi- « nam mors, per feminam vita; per Evam interitus, per « Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem: haec « integra peperit Salvatorem. Illa poculum a serpente propi- « natum libenter accepit, et viro tradidit, ex quo simul mere- « retur occidi: haec gratia caelesti desuper infusa, vitam « protulit, per quam caro mortua possit resuscitari. Quis « est, qui haec operatus est, nisi Virginis Filius, et Virgi- « num Sponsus, qui attulit matri foecunditatem, sed non « abstulit integritatem? ».[5] Bene hanc doctrinam contrahit laudatus Abbas Marmion his verbis: « Au nouvel Adam « Marie est associée comme une nouvelle Eve; mais elle « est, bien mieux qu'Eve, "la mère des vivants,,, la mère « de ceux qui vivent de la grâce de son Fils ».[6]

[1] *De Trin.*, l. IV, c. 3. - *P. L.*, XLII, col 892.

[2] Op. cit. *Lettres spirituelles*, Lettre 17, ibid., p. 478.

[3] Op. cit. *Divers sentiments et avis chrétiens*, n. 29 *Sur la mort*, p. 222.

[4] Antiph. *Salve Regina*.

[5] *De Symb. ad Catech.* Sermo alius, c. 4. - *P. L.*, XL, col. 655 sq. Cf. et textus quos, una cum isto, e S. Epiphanio, S. Bernardo et Adamo Victorino alibi deprompsimus ubi de titulo *novae Evae* a traditione Mariae collato disputavimus (Ibid., p. 490s qq.).

[6] Cf. et pulcherrimam synthesim Bossuetii in fine huius Quaestionis adducendam.

Hinc in hymno Mariano, oppositionem celebrans inter colloquium quod Eva cum daemone et Maria cum Angelo habuit, Ecclesia canit:

Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace
Mutans Evae *nomen.*

Hinc et S. Ioannes Damascenus, Assumptionem B. V. Mariae celebrans, Christi Matrem pulchre cum Paradiso confert: « Hodie Eden, novi Adam paradisum suscipit animatum, « in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum « vitae, in quo operta fuit nostra nuditas ».[1]

De hac B. M. Virginis, utpote secundae Evae, dignitate pulcherrime disserit Card. Newman.[2] Parcat lector longiori citationi: « What is the great rudimental teaching of anti- « quity from its earliest date concerning her? By " rudi- « mental teaching „. I mean the *prima facie* view of her « person and office, the broad outline lead down of her, the « aspect under which she comes to us, in the writings of « the Fathers: " She is the second Eve „ ». Postquam descripsit Evam et partem quam habuit in tragica compromissione inter serpentem, feminam et virum, ita pergit: « In « that awful transaction there were three parties concerned; « the serpent, the woman and the man; and at the time of « their sentence, an event was announced for a distant « future, in which the three same parties were to meet again, « the serpent, the woman, and the man; but it was to be a « second Adam and a second Eve, and the new Eve was to « be the mother of the new Adam: " I will put enmity be- « tween thee and the Woman, and between thy seed and « her seed „. The seed of the Woman is the Word Incarn- « ate, and the Woman, whose seed or son He is, is His « Mother Mary. This interpretation, and the parallelism it « involves, seem to me undeniable; but at all events (and « this is my point) the parallelism is the doctrine of the

[1] *Orat. 2 de dormitione B. M.*

[2] Op. cit. *Letter addressed to Persey* (1864), p. 31 sq. Cf. *Essay on development of doctrine*, 1845, p. 384 sqq. Quam devotus erga B. M. Virginem fuerit Cardinalis Newman, ostendunt, v. gr., eius conciones: *The glories of Mary for the sake of her Son; On the fitness of the glories of Mary.*

« Fathers, from the earliest times; and this being established, « we are able, by the position and office of Eve in our fall, « to determinate the position and office of Mary in our resto- « ration ».[1] Unde a S. Iustino Martyre exorsus, pius et doctus Cardinalis hac de re traditionem Patrum evolvit.

Corollarium III. – Quum mors sit poena peccati, nil mirum si dupliciter homo ab ea refugiat. Quem horrorem iam in natura fundatum, [2] et fide duplicatum, mitigat sane haec ipsa fides cum spe resurrectionis in Christi morte ac resurrectione fundatae, quin tamen eum omnino tollere valeat. Bene id exprimit Illmus Hedley: « Death was meant as a « punishment for the world's sin. And therefore, even « christian faith, even the light of Christ's resurrection shi- « ning on the open tomb, cannot appease the shudderings, « the repugnances, the physical torture of the act and of « the apprehension of death ».[3] Orandum ergo est, Christiane, ut acerbissima Christi mors, amaritudinem mortis nostrae mitiget, quemadmodum olim Moyses, immisso symbolico ligno, amaras deserti aquas in dulcem poculum con-

[1] Op. cit., p. 558.

[2] Pulcherrime hanc veritatem ita evolvit Bossuetius: « Quoique l'horreur de la « mort soit le sentiment universel de toutes les créatures vivantes, il est aisé de recon- « naître que l'homme est celui des animaux qui sent le plus fortement cette répu- « gnance; et encore que je veuille bien avouer que ce qui nous rend plus timides, « c'est que notre raison prévoyante ne nous permet pas d'ignorer ce que nous avons « sujet de craindre, il ne laisse pas d'être indubitable que cette aversion prodigieuse « que nous avons pour la mort, vient d'une cause plus élevée. En effet, il faut « penser, chrétiens, que nous étions nés pour ne mourir pas; et si notre crime nous « a séparés de cette source de vie immortelle, il n'a pas tellement rompu les canaux, « par lesquels elle coulait avec abondance, qu'il n'en soit tombé sur nous quelque « goutte, qui, nourrissant en nos cœurs cet amour de notre première immortalité, « fait que nous haïssons d'autant plus la mort, qu'elle est plus contraire à notre « nature ». *

Et alibi pie scribit:

« L'horreur que j'ai naturellement de la mort, me sera une preuve de mon « abandonnement au péché: car, Seigneur, si j'étais demeuré innocent, il n'y aurait « rien qui pût me faire horreur. Mais maintenant je vois la mort qui me poursuit, « et je ne puis éviter ses affreuses mains. O Dieu! faites que l'horreur que j'en « ressens et que votre saint Fils Jésus n'a pas dédaigné de ressentir, m'inspire l'hor- « reur du péché qui l'a introduite sur la terre ». **

[3] *A retreat.* VII, *Death.*, Burns and Oates, 1899, p. 79 sq.

* *Ier Sermon sur la présentation de Jésus au temple ; Ier Point.*

** *Elévations sur les mystères,* VI *Serm.,* XV *Elév.*

vertit. Hinc Sanctis pia praxis est, ut mortem antecedenter de Providentiae manu accipiant intimo poenitentiae amorisque sensu,[1] ubi, quando et qualis sibi a caelesti Patre destinatur.[2]

Caeterum, uti sapienter monet Augustinus: « Aliud est « quod carnis sensus infirmiter pavidus refugit, aliud quod « mentis ratio enucleata convincit. Mala mors putanda non « est quam bona vita praecesserit: neque enim facit malam « mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum « curandum est eis qui necessario morituri sunt, quid acci- « dat ut moriantur; sed moriendo quo ire cogantur ».[3] Unde idem pulchre orat: « Caeterum de salute huius mortalis cor- « poris mei, quamdiu nescio quid mihi ex eo utile sit, vel « eis quos diligo, tibi illud committo, Pater sapientissime « atque optime ».[4]

Bene inde proclamat Lacordaire: « C'est à l'homme de « lui prêter (à la mort) son aide pour la transfigurer, et pour « se transfigurer lui-même dans sa vertu. C'était à lui de

[1] Inde Fenelonius: « Il ne faut point dire que l'on veut vivre pour faire péni- « tence, puisque la mort est la meilleure que nous puissions faire. Nos péchés seront « purgés plus purement et expiés plus efficacement par notre mort que par toutes « nos pénitences ». Et: « Quand on est meurt à soi-même, la mort du corps n'est « plus que la consommation de l'œuvre de la vie ». *

[2] Intra ascetica scripta quae de hoc argumento tractant, eminet mystico lyrismo exercitium septimum S. Gertrudis Magnae. En, v. gr., quomodo Christi mortem compellat: « O mors charissima, tu mea sors felicissima. Eia in te nidum sibi inveniat « anima mea, o mors! O mors parturiens vitae aeternae fructus: eia involvant me « totam tui vitales fluctus! O mors, vita perennis: eia sperem semper tuis sub pen- « nis! O mors salutaris, eia anima mea demoretur in bonis tuis preclaris! O mors « pretiosissima, tu es acquisitio mea charissima. Eia, tu totam vitam meam in te « absorbeas, mortemque meam tibi immergas! ». – Citandae hic essent pulcherrimae orationes a Bossuetio conscriptas sub titulo: *Préparation à la mort*, quarum prima his clauditur verbis: « O Dieu, j'adore ce bras souverain qui détruit tout par « un seul coup: ô mort, tu m'ouvres les yeux, afin que je voie mes vanités; ainsi, « ô mort, tu m'es un remède contre toi-même. Il est vrai, tu ôtes tout à mes sens, « mais en même temps tu me désabuses de tous les faux biens que tu m'ôtes. O « mort, tu n'es plus mort que pour ceux qui veulent être trompés; ô mort! tu m'es « un remède, tu envoies tes avant-courreurs, les infirmités, les douleurs, les « maladies de toutes les sortes, afin de rompre peu à peu les liens qui me plaisent « trop, quoiqu'ils m'accablent. O mort! Jésus-Christ crucifié t'a donné vertu; ô « mort! tu n'es plus ma mort, tu es le commencement de ma délivrance ».

[3] *De Civit. Dei*, l. I, c. 11. – *P. L.*, t. XLI, col. 25 sq,

[4] Ibid., l. I, c. 1, n. 6. – *P. L.*, t. XXXII, col. 872.

* Op. cit., *Divers sentiments et avis chrétiens*, n. 51, *De la mort*, p. 357.

« faire de la mort lâchement subie un saint et terrible sup-
« plice, ou bien l'acceptant comme une expiation méritée,
« d'en faire le trône de l'amour, de la gloire et de la résur-
« rection ». [1]

Quaeres. – Fuitne mortis dilatio pro protoparentibus in misericordiam an in rigorem? – Quatenus *a*) non subitanea morte correpti sunt in instanti quo Adam peccatum consummavit, fuit in misericordiam. [2] Pariter *b*) quatenus per protractiorem vitam plenius ope poenitentiae peccatum expiare potuerunt, adiuvante utique Christi futuri gratia, in misericordiam fuit, iuxta illud Apostoli: « An nescis, quia patientia « Dei ad poenitentiam te adducit »? [3] et S. Benedicti: « Ideo « nobis propter emendationem malorum, huius dies vitae ad « inducias relaxantur ». [4] *c*) Quatenus autem a tot aerumnis et laboribus morte durioribus, nonnisi post tam longa saecula Deus protoparentes eripuit, potest dici haec dilatio argumentum rigoris. Sane primaevae felicitatis recordatio non potuit non reddere vitam exulibus durissimam. [5]

[1] LXVII *Confér.*

[2] Potuisset Deus morte corripere Evam antequam Adamum seduceret; et tunc nova ex eo educta uxore novam instaurare probationem. Potuisset utrumque sine misericordia illico punire; et tunc vel non instaurare genus humanus extinctum, vel novos novi humani generis parentes creare. Maluit tam potenter simul et sapienter de serpente triumphare, ut illaesa manente iustitia, non solum humanum genus repararetur, sed in Novo Adamo longe maiori excellentia ornaretur, cuius et ipsi protoparentes per primum veniam acciperent beneficium. De qua mirabili Incarnationis et Reparationis oeconomia alibi fuse tractavimus. Cf. et versus Dantis superius allatos.

[3] ROM., II, 4.

[4] *Prol. in Reg.*

[5] Inde apud Vondel Adamus mortem appellat.

Wat toeft de dood! Het leven is me tegen,
De nare duisternis veel liever dan de dag.
Mijn schande ligt te naakt. Zoo't mij gebeuren mag
*Te sterven; keer het niet. Laet u mijn dood behagen.**

* Op. cit., v; v. 1547-1550.

ARTICULUS II.

UTRUM CONVENIENTER PARTICULARES POENAE PRIMORUM PARENTUM DETERMINENTUR IN SCRIPTURA.[1]

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Ad pleniorem intelligentiam poenarum quibus Deus peccatum protoparentum vindicavit, iuvat quaedam de genuina sacri textus interpretatione praemittere.

a) Cap. III, ℣. 14 אָרוּר אַתָּה verti potest, loco « maledictus es », invocative: « o tu animal maledictum! ».

b) ℣. 15: α) « ipsa conteret », legitur « ipsum vel ipse conteret » הוּא. Bellarminus tamen testatur[2] se in uno Codice legisse הִיא.[3]

β) Vox quae vertitur in Vulgata « conteret » et « insidiaberis » in hebraico textu eadem est יְשׁוּפְךָ et תְּשׁוּפֶנּוּ.[4] Posita significatione media v. gr. *impugnare, impetere,* iam optime vertitur cum adsignificatione potentiae triumphantis: « conteret », imbellis autem astutiae: « insidiaberis ». Utramque hanc adsignificationem legitimam esse ostendunt tum verba רֹאשׁ et עָקֵב, necnon discrimen inter erectum habitum mulieris calcaneo tellurem prementis, et humilem habitum serpentis humo adhaerere coacti; demum climax ipsius sententiae eam insinuat.[5]

[1] De verbis a Deo in protoparentes lapsos prolatis, pulcherrime disserit S. Ioannes Chrysostomus. *Homil.* XVII *in Genes.*

[2] L. II, *de Verbo Dei,* c. 12.

[3] Ita verterunt Septuaginta, Αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν, referendo in masculino ad filium mulieris, et non ad semen, quod esset neutri generis. Nec defuerunt vetusta exemplaria latina in quibus legebatur *ipse.*

[4] Vide quae de hoc diximus in dessertatione de Immac. Concept. B. M. V.

[5] Pulcherrime hanc maledictionem in serpentem prolatam ita reddidit Vondel:

O hofslang, listig dier, gevoel nu 's Hoogsten toren.
Ge gult voortaan, gehaat van allerhande vee
En dieren, op uw buik voortkruipende, geen vrêe
Noch rust gevoelen, en, in uw spelonk gedreven,
Het gansche leven lang, bij aarde, uw voedsel, leven!
Het hoog gerechte zal een' onuitbluschbren haat
Ontsteken tusschen u, en tusschen 't vrouwezaad,
Dat u het hoopd verplet: hoewel gij, bits in 't wrijten
*En wederstreven, dit durft in de hielen bijten.**

* Op. cit., V, v. 1655-1664.

c) Plura notanda occurrunt circa ℣. 16. α) Quod Septuaginta vertunt: « Multiplicabo aerumnas tuas et gemitus tuos, καὶ τὸν στεναγμόν σου, interpretantes effectum pro causa, nam וְהֵרֹנֵךְ litteraliter vertendum esset ut in Vulgata habetur: « et conceptus tuos ».

β) Quod sequitur: « sub viri potestate eris, וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ » (a שׁוק appetivit) vertendum esset litteraliter « et « ad virum tuum desiderium tuum », subaudiendo alligabitur, vel aliquid huiusmodi. Similis locutio occurrit in Cantico: « Ego dilecto meo, et ad me conversio eius תְּשׁוּקָתוֹ »,[1] scilicet ut impleat desideria mea.

γ) Infra ℣. 17: « Maledicta terra *in opere tuo* » intelligendum videtur: « propter opus tuum », scilicet inobedientiae, iuxta Hieronymum et Teodotion. Septuaginta vertunt *in operibus tuis* ἐν τοῖς ἔργοις σου. Loco lectionis hodiernae: « בַּעֲבוּרֶךָ propter te », Septuaginta probabilius legerunt: בעבדך cum ד loco ר, unde sensus: in opere tuo.

d) In ℣. 18, vox quae vertitur per *herbam* terrae, עֵשֶׂב complectitur etiam frumenta, « foenum agri ».[2]

e) In ℣. 20 חַוָּה, quod multi Graeci verterunt ζωή, unde nomen muliebre Zoë, idem sonat ac *vivipara;* quod nomen cur hoc loco datum sit, mox videbimus.

f) In ℣. 21, aliqui putaverunt[3] tunicas has pelliceas intelligendas esse de arborum corticibus. Ait enim Seneca (ep. q.). « Corticibus arborum pleraeque gentes tegunt corpora ». Sed vox hebraica עוֹר non usurpatur nisi de pelle animalium. Alii referunt עוֹר ad corpora Adami et Evae: ad eorum pelles obtegendas; hoc sensu Chaldaeus textus habet « Deus fecit illis vestes honoris pro eorum carne ».[4]

g) In ℣. 22, praeter illos qui vertunt: « Ecce homo quem solum Deus creavit ad cognoscendum bonum et malum »,

[1] VII, 10.

[2] AUG., op. cit., l. XI, princ.

[3] V. gr. Theodorus Heracleensis apud THEODORETUM, *q. 39 de Genes.* et Genadius Constantinop.

[4] Calmet tradit Rabbinum Eliezer opinatum esse protoparentes a Deo indutos fuisse spoliis serpentis, a quo fuerant tentati.

variae versiones vix differunt a versione Vulgatae. Aliqui loco *factus est*, vertunt: *qui fieri voluit*, in quo derisio mitigatur.

2) His breviter de ipso textu praemissis, iam ad argumentum accedamus. Poenae peccati considerari possunt aliae communes, aliae speciales Adae et Evae. Communes autem aliae respiciunt statum, aliae locum. Quae autem statum respiciunt, alia infligitur in instanti consummatae culpae; alia postea subeunda. Iam de singulis, et primo de poenis communibus.

3) *Communes poenae A) quoad statum* fuerunt: *a*) in instanti inflicta, amissio donorum praeternaturalium, seu integritatis et per consèquens rebellio carnis in spiritum. In qua rebellione tria possumus considerare: α) *principium*, nempe amissa gratia, dicente Domino: « Quis indicavit tibi « quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam « tibi ne comederes, comedisti? »; [1] – β) *ignominiam*, dicente Adamo: « Vocem tuam audivi in Paradiso et timui, eo quod « nudus essem, et abscondi me »; [2] – γ) *remedium* simul et *indigentiam:* « Fecit Dominus Deus Adae et uxori eius tu- « nicas pelliceas, et induit eos ». [3] Bene hic observat Rupertus [4] tunicas illas fuisse pelliceas, ut non solum colendo pudori, sed etiam arcendo frigori inservirent. Indigentia quippe vestimentorum simul indicium erat amissàe integritatis et minantis mortalitatis.

b) Iam inde facilis est transitus ad alteram status poenam sub conditione ante delictum inflictam, et post commissam culpam in iura sua ipso facto ingredientem. Etenim, nisi misericordia praevenisset iudicium, quo die peccassent, Adam et Eva mori debuissent. Sinuntur tamen vivere. Imo sinuntur incumbere operi vitae. Unde Adam, hoc ipso quo puniebatur tempore, ante absolutam sententiam et expulsionem e Paradiso, uxorem suam « Evam » appellat, « eo quod mater esset « cunctorum viventium », [5] quasi misericordia divina com-

[1] Gen., III, 11.
[2] Ibid., 10.
[3] Ibid., 21.
[4] *In Genes.*, l. III, c. 27.
[5] Ibid., 20.

motus gratusque de induciis ab Altissimi clementia obtentis, memoriam huius bonitatis in nomine primae matris servare voluerit. [1]

Si iam quaeris cur Deus mortis sententiam tulerit verbis ad Adam et non ad utrumque prolatis, respondetur, ad illum decentius haec verba dirigi, ad quem praeceptum fuerat directum, quique generis humani caput. Sed et nomen Adam non primo tantum homini, sed et homini in genere, propter ipsam e terra originem impositum erat: « vocavit nomina « *eorum* Adam, in die quo creati sunt ». [2] Unde quum hoc nomen pariter Evae congruat, sententia ad originem nominis alludens, cadit quoque in Evam.

B) *Quoad locum* autem communis poena fuit eiectio de Paradiso voluptatis. Quae eiectio exhibetur tamquam consequens necessarium poenae mortis. Unde connectitur intime cum ligno vitae, a quo deinceps arcendi sunt morituri. Adverte porro sermonis instantiam. « Nunc ergo, *ne forte* ... « Et *emisit* eum Dominus ... *Eiecitque* Adam ». [3]

Locus vix est heic fuse disserere de Cherubim, quos Deus ad ostium, vel ad ostia Paradisi collocavit. Non abs re, ut iam Rupertus advertit, hoc munus commissum est illis e spiritibus caelestibus, quibus speciali titulo scientiae acies tribuitur. Gladium igneum quo armati sunt, S. Thomas, Tertullianum in hoc secutus, [4] intelligit zonam torridam, quae nimio calore praecluderet horti aditum. Lyranus credit Paradisum, in altissimo monte editum, undique igne fuisse circumdatum. Ambrosius autem [5] et Rupertus, [6] purgatorii hic intelligunt ignem, per quem animae debent pertransire

[1] Rupertus tamen (op. cit., c. 26) omnino aliter hoc factum interpretatur. Videt enim in hac Evae appellatione superbiam rebellantis Adami. Etenim, iuxta illum, dicente sibi Deo: « Pulvis es et in pulverem reverteris », alludendo ad ipsum nomen Adam de terra desumptum, ipse Adam, etsi gratiae vita privatus, etsi cum uxore morti damnatus, insurgere voluit, et superbiae complacentia matrem vocavit omnium viventium, illam ipsam quam, complacentia amoris, in culpam secutus erat. Coeterum Rupertus in protoparentes durior reperitur, quippe qui de poenitentia Adami dubitaverit (op. cit., c. 31).

[2] GEN., v, 2.

[3] Ibid., 22-24.

[4] *Apologet.*, c. 47.

[5] *In Ps.* CXIII.

[6] Op. cit., c. 32, 33.

ut in paradisum redeant. Allato textu S. Pauli, [1] ita quaerit pius Abbas Tuitiensis: « Quid enim ex huiusmodi dictis col-« ligimus, nisi ad hoc flammeum gladium atque versatilem « ante Paradisum esse collocatum, ut quicumque deinceps « admittendi sunt, illuc transeant per examinatorium ignem »? Grotius putat Paradisum fuisse invio igne circumfusum, cuius ignis vestigia, iuxta ipsum, adhuc prostant in regionibus prope fines Paradisi sitis. Probabilius tamen videntur Cherubim revera igneis gladiis armatos fuisse, omnesque Paradisi aditus ita praeclusisse.

Adverte quomodo in his poenis communibus utrique inflictis, Adam caput humani generis appareat. *a*) Adamum Deus appellat,[2] *b*) Adamo declarat amissionem integritatis esse effectum sui peccati, *c*) Adamo mortis legem denuntiat, *d*) Adamum e Paradiso eiicit. Haec tamen omnia ita ut et de uxore valere eodem titulo probentur.

His de communibus poenis dictis, iam ad poenas utrique speciales transeamus.

4) *Speciales poenae* Adamo et Evae inflictae considerari possunt in *ordine* quo proferuntur, et in *seipsis*.

a) *Ordine* videmus Evam prius puniri. Cuius rei ratio triplex afferri potest. α) Adam culpam in mulierem, mulier in serpentem proiecerat.[3] Deus proin a punito serpente, ad mulierem, et a punita muliere ad Adamum assurgit. β) Sicuti

[1] 1 Cor., II.

[2] Ad rem Bossuetius: « Le crime commence par le serpent, se continue par Eve « et se consomme en Adam; mais l'ordre de la justice divine est de s'attaquer d'abord « au plus capital. C'est pourquoi il s'en prend d'abord à l'homme, en qui se trouvait, « dans la plénitude de la force et de la grâce, la plénitude de la désobéissance et de « l'ingratitude. C'est à lui qu'était attachée la totalité de la grâce originelle; c'était « à lui que les grands dons avaient été communiqués, et à lui qu'avait été donné « et signifié le grand précepte: c'est donc par lui que Dieu commença ». *

[3] De modo quo Adamus culpam fecit in Evam, et Eva in serpentem pulchre monet Bossuetius: « Ne cherchons point d'excuse à nos crimes: ne les rejetons pas « sur la partie faible qui est en nous; confessons que la raison devait présider et « dominer à ses appétits: ne cherchons point à nous couvrir: mettons-nous devant « Dieu, peut-être alors que sa bonté nous couvrira d'elle-même, et que nous serons « de ceux dont il est écrit: ** " Bienheureux ceux dont les iniquités ont été remises, « et dont les péchés ont été couverts ,, ». ***

* Op. cit., VI *Sem.*, V *Elév.*

** Ps. XXXI, 2.

*** Op. cit., VI *Sem.*, V *Elév.*

rationem ab Adamo, Deus quaesierat in initio, ita in fine cum Adamo concludit. [1] - γ) Ordo peccati postulabat ut Eva, quae prior et in se gravius peccatum commiserat, prior quoque et gravius puniretur. De prioritate constat; de gravitate ex sequentibus constabit.

A) *Poenae in Evam* inflictae respondent optime tum sexui eiusdem tum culpae. 1) *Culpae* quidem, nam voluit esse sicut dea, suumque seduxit maritum. Iam vero, quia seducta propriam voluntatem Adamo imposuit, damnatur ut in silentio [2] ad virum habeat desiderium suum; quia supra se dignitatem caelestem appetiit, iubetur ut serva domino subsit. [3] Sexui autem poena respondet: etenim uti *mulier* punitur in hoc ipso quod maximam ei attulisset laetitiam, nempe in maternitate, dein in solatio domestico: *a*) in maternitate, tum quoad conceptum et gestationem, tum quoad partum; *b*) in solatio domestico, quod ei mutatur in servitutem. Iam vero in his duobus, scilicet in prole et in opere domestico, mulier est tota. Ergo tota punitur.

Nec obiicias, eam in utroque vix puniri, quum subesse marito et parere in dolore habeat a natura. - Resp.: Concedo naturam sibi relictam non parere sine dolore; sed mulier creata erat in natura integra. Unde partus aerumnosus fit poena, non minus quam concupiscentia carnalis. Insuper in ipsa natura gradus esse possunt, quibus fit ut longe magis patiatur mater in statu lapso quam passa fuisset in statu naturae purae. – Pariter naturalis dependentia uxoris a marito nihil in natura habet durioris; est imo dulcis, quia secundum ordinem. Longe aliter loquendum de dominatione servili sub qua mulier per saecula gemere coacta est, usquedum Redemptorem mulieris simul ac hominis Virgo sine dolore pareret.

Sed et poena facta est mulieri medium salutis, [4] dicente

[1] V. 9, 22, 24.

[2] Cf. 1 Tim., II, 11-14. Dominationi viri supra mulierem eo magis Moyses insistit, quod Aegyptii, Isidis cultui dediti, nimium mulieri supra virum tribuebant.

[3] Cf. Bossuet, op. cit., VI *Sem.*, XI *Elév.*

[4] Unde de verbis Dei: « Ad virum tuum conversio tua etc. », ita pulchre disserit S. Ioannes Chrysostomus: « Quasi se defendens apud mulierem haec dicit benignus « Deus. Ego inquit, ab initio honore parem te formavi, et eiusdem dignitatis in « omnibus participem, et sicut viro ita et tibi omnium principatum concredidi: cae-

Apostolo: « Mulier in silentio discat cum omni subiectione[1] ... « Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit « in fide, et dilectione et sanctificatione cum sobrietate ».[2]

B) *Adam* pariter punitus est poena quae congruat viro, et quae respondeat peccato suo. 1. *a*) Congruit *peccato.* Superbe se voluit erigere supra se; ecce per servilem laborem incurvatur usque ad humum. – *b*) Originis oblitus, naturam appetiit divinam; iam damnatur ut redeat, quasi animam non haberet, in humum unde fuit extractus. – *c*) Contra praeceptum Dei vesci voluit ligno voluptatis; iam cogitur cibis uti infimis, nec ad uberem voluptatem, sed ad miseram sustentationem. – *d*) Rebellaverat in voluntatem Dei; iam naturam ipsam materialem experitur in se rebellem. – 2). Punitur autem ut *vir*, in opere viri, qui est labor. Sed quod in labore gloria erat et gaudium, iam fit ei humiliatio et dolor. Labor enim tunc gloriosus est quando quis eo non indigens ad existentiam, per illum ingenium et activitatem libere expandit. Gaudium autem habet ex hoc quod exitus respondeat labori, quin causae externae illum frustrentur; insuper quod mensura laboris sit ipsa mensura voluptatis. In Adamo autem omnia quae labori inerant gloriae et gaudii tolluntur, α) per necessitatem qua victum et quidem humilem quaerere cogitur: « in laboribus comedes ex « ea cunctis diebus vitae tuae: comedes herbam terrae »; β) per naturae rebellionem contra conatus hominis: « spinas « et tribulos germinabit tibi »; – per assiduitatem usque ad exhaustas vires « in sudore vultus tui vesceris pane ».[3]

Eloquenter Bossuetius: « Homme, voilà donc ta vie, éter- « nellement tourmenter la terre, ou plutôt te tourmenter

« terum, quia abusa es honoris dignitate, subiicio te viro ... Quia relicto eo qui « dignitate par, et cuius naturae particeps. et propter quem formata es, familiari- « tatem cum serpente mala illa bestia habere, et eius accipere consilium voluisti: « propterea posthac illi te subiicio, et illum dominum tuum assero, ut illius scilicet « dominium agnoscas: et quia nescivisti imperare, disce bene parere ... Melius est ut « tu sub illo sis, et illum dominum habeas, quam libere et cum potestate vivens « per praecipitia feraris. Nam et equo utilius est freno regi, et composite progredi, « quam sine illo per praecipitia ferri ». *

[1] Cf. Bossuet, op. cit., VI *Sem.*, XI *Elév.*

[2] I Tim. II, 11, 15.

[3] Genes., ibid., 17-19.

* *Homil.* XVII, *in Genes.*, n. 3. – *P. G.*, t. LIII, col. 145.

« toi-même en la cultivant, jusqu'à ce qu'elle te reçoive « toi-même, et que tu ailles pourrir dans son sein. O repos « affreux! ô triste fin d'un continuel travail »![1]

Nec obiicias rursus laborandum fuisse quoque homini in Paradiso; atque naturale esse telluri gignere spinas et tribulos. De labore iam diximus, quomodo in Paradiso fuerit deliciis plenus; de spinis distinguendum est, inter spinas per se, quae sine lapsu hominis quoque extitissent; et mensuram spinarum, modumque quo prodeunt; quae mensura, qui modus habent rationem poenae.

Audiatur de hoc argumento S. Basilius ita disserens: « Omnis herba, ac omne oleracium genus et si quid in « fructicibus aut in leguminibus reperitur, omni cum uber- « tate tunc supra terram amicabat. Neque enim infelix ullus « successus iis quae tunc producebantur, erat extimescendus, « cum neque agricolarum imperitia, neque aëris intemperies, « neque alia ulla causa rebus nascentibus noceret. Verum « enim vero damnatorium iudicium tum impedimento non « erat telluris fertilitati. Isthaec enim antiquiora sunt pec- « cato, cuius gratia ad hoc sumus damnati, ut panem in « sudore nostri vultus comedamus ».[2]

Sed et heic rursus poena laboris fit homini salus, et per salutem gloria. Nec mirum antiquos populos rerum gestarum pondere insignes, durissime inertiam cohibuisse, quum neglecta laboris lex non solum respublicas opibus frustretur, sed et innumeris pessimisque ianuas aperiat vitiis. Aegyptii nulla arte aut labore quo sibi subvenire possent operosos capite plectebant; Draco inerte viventes morte damnabat; Solo eosdem sententia iudicis declarari iubebat infames. Romanae leges inertibus diem dici sinebant. Apud Iudaeos erat nullus qui non labori cuidam incumberet; unde prolem in aliqua arte educare, inter primaria officia patris censebatur. Iuxta hunc patrium morem videmus Paulum artis scenofactoriae peritum, seseque sine ullo rubore in ea exer-

[1] Op. cit., VI *Sem.*, XI *Elév.*

[2] S. BASIL. M., *Homil. V in Hexaem.*, n. 6. - *P. G.*, t. XXIX, col. 106. - Cf. textum S. Augustini superius allatum. Nec praetermittenda videtur hic opinio Rabbini Eliezer docentis quod, nisi Redemptoris promissio poenam peccati ab initio temperasset, vi huius divini maledicti, tellus nihil deinceps nisi spinas germinasset.

centem.[1] Nec exempli modo, sed et verbo laborem commendat, iuxta celebrem eius sententiam: « Si quis non vult ope-« rari, nec manducet ».[2] Inde et S. Benedicti famosa sententia tot operum artis et mentis in monasticis claustris ferax: « Otiositas inimica est animae ».[3]

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non attendit ad dicta ubi de poenis Evae et Adami.

2ª Obi. Non distinguit in conceptu poenam et foecunditatem. Haec obiectio videtur illos impulisse qui, loco *conceptus,* vertunt *gemitus,* ad formalitatem doloris in conceptu exprimendam. Caeterum, muliere in libidinosam servitutem reducta, quivis conceptus quem a domino femina patitur, fit ipsi aliquo modo in poenam, utpote in servitutis argumentum.

3ª Obi. Non attendit ad sterilitatem, quae ex altera parte, poenae mulieris respondet; nec distinguit inter labores; nec in ipsis non laborantibus considerat taedii poenam ipso labore longe maiorem.

4ª Obi. Abstrahit a prima destinatione, et ab utilitate propter recordationem et exemplum.

5ª Obi. Negligit dicta superius de huius loci natura et de intercludendo ad ipsum aditu.

6ª Obi. Iam in praedictis soluta est, ubi de ligno vitae.

7ª Obi. De hoc loco fuse supra disputavimus. Hic addatur quod, si cum Ruperto teneatur, Adamum animo superbo, quasi contra mortis decretum rebellante, uxorem matrem viventium appellasse, verba sequentia Dei: « Ecce Adam... », magis apparent deridentis, et per ipsam derisionem peccatoris pertinaciam castigantis.

8ª Obi. Confundit rationem vestimenti cum ratione cibi. Vestimentum prius erat nullum; cibus autem erat, sed dignior.

9ª Obi. Procedit iuxta stultam imaginationem eorum qui Adamum et Evam caecos natos putaverunt. Miram status innocentiae felicitatem! Ad quid in eo servissent oculi nisi post peccatum aperiendi? Rationibus superius iam allatis ad

[1] Act. xx, 34; I Cor., iv, 12; I Thess., ii, 9; II Thess., iii, 8.
[2] II Thess., iii, 10.
[3] *Regul.*, c. xlviii, *De opere manuum quotidiano.*

hanc stultitiam confutandam adde sequentes. Quomodo potuisset Adam agnoscere uxorem, si caecus fuisse natus? Quid sibi vellet illud quod sequitur? Num erubescere potuissent de nuditate, si ambo caecus? Insuper si aperitio oculorum revelavit ipsis nuditatem, cur non Deus dixit Adamo, amissam caecitatem ruboris rationem fuisse? Sed haec nimis absurda relinquamus. Veram potius significationem verborum: « Et aperti sunt oculi amborum » inquiramus. Haec verba sunt reproductio verborum quae serpens in colloquio cum Eva protulerat. « Aperientur oculi vestri; et eritis sicut « dii, scientes bonum et malum ». Digna mendacii parentis sententia, in qua totum sit ambiguum, imo quae in ipsa damnatione verum teneat. Nam et aperti sunt oculi amborum, scilicet ad ignotam ignominiam. Facti sunt sicut dii, scilicet angeli mali, malitiae eorum participes; bonum et malum cognoverunt, scilicet bonum amissum, malum iam proprium.

Quare verba « aperti sunt oculi amborum » habent vel sensum narrationis, et tunc intelligenda sunt de malo quod nondum viderant, nec in se nec in tota natura; vel habent sensum ironicum, et tunc alludunt ad promissionem qualiter Eva illam intellexerat, et ad ea quae in oppositum secuta sunt; vel demum habent utrumque sensum simul.

Prior interpretatio magis connectit verba « aperti sunt « oculi », cum sequentibus: « cumque cognovissent ». [1] Ex quo rursus apparet, agi hic et in ℣. 5 de visione intellectuali, non exclusa corporali; quatenus corporeis oculis corpora sua facta alia aliter conspexerunt.

Plenam igitur interpretationem illam esse putamus quae utrumque complectitur, iuxta sententiam Ruperti [2] et Illmi Ullathorne superius allatam.

Sed contra est. Congruentiam poenarum a Deo protoparentibus illatarum demonstrant quoque sequentia *Proverbiorum,* VIII, 8: « Iusti sunt omnes sermones mei, non est

[1] Adverte dictum esse « cum cognovissent », et non « cum vidissent ». Vox autem יָדַע exprimit optime cognitionem per experientiam acquisitam, unde hic recte verteretur « cumque experti essent ».

[2] Op. cit., c. x.

« in eis pravum quid, neque perversum ». Et Paulus tacitae submissionis et materni laboris poenam mulieri in ipsius salutem esse inflictam insinuat, [1] legem autem operandi in hominem latam comprobat dum ait: « Si quis non vult ope- « rari, nec manducet ». [2] - Iustissime porro primos parentes fuisse et in anima et in corpore punitos, Conc. Trid. satis aperte indicat. [3]

In Corpore. En schema huius *Corporis:*

- Protoparentes, orbati per culpam dono integritatis, puniti fuerunt:
  - *A*) quoad *locum* habitationis:
    - 1) eiecti e Paradiso; [4]
    - 2) sine spe reditus;
  - *B*) in *seipsis:*
    - 1) quantum ad *corpus*, et quidem iuxta sexus:
      - *a*) *Eva* punita fuit:
        - α) in *generatione prolis:*
          - α) taedio gestationis;
          - β) dolore partus;
        - β) in *conversatione domestica:*
          - per subditionem sub dominio viri;
      - *b*) *Adamus* punitus fuit in *opere:*
        - α) per sterilitatem terrae;
        - β) per laboris anxietatem;
        - γ) per impedimenta insurgentia;
    - 2) quantum ad *animam:*
      - 1) per confusionem ex carne rebellante;
      - 2) per increpationem propriae culpae;
      - 3) per commemorationem futurae mortis.

Quaeres in fine quid de *poena in serpentem* lata tenendum sit. - Iam alibi tractantes de Immaculata Conceptione B. M. V, [5] demonstravimus verba ℣. 15: « Inimicitias po- « nam, etc. », ad Satanam esse directa, non ad serpentem; verba autem ℣. 14 potius esse directa ad animal, sed uti diabolicae tentationis instrumentum. In hoc autem versu tria habemus: *a*) maledictionem, vi cuius inter omnia ani-

[1] I THIM., II, 11-15.

[2] II THESS., III, 10.

[3] Can. 1, Sess. V.

[4] De benignitate qua Deus Adamum et Evam mox e Paradiso eiiciendos vestierit, pulchre disserit S. Ioannes Chrysostomus (*Homil.* XVIII *in Genes.* n. 1. – *P. G.*, t. LIII, col. 149). Quam actionem uti Deo indignam sat leviter Origenes in sensu litterali explodit. (*In Genes.* in hoc loco. - *P. G.*, t. XII, col. 102).

[5] *De Deo Homine. Christologia*, p. 44 sqq.

mantia nullum invenitur erga quod homo tanto horrore moveatur; *b*) habitum serpentinum, qui simul est insidiantis et humiliati; et demum *c*) victum omnium communissimum, in quo victu ratio poenae servatur ex oppositione inter fructum ligni scientiae boni et mali, alte pendentem et pulchrum adspectu, et vilissimas herbas humo permixtas. Quoad haec omnia, si conditio serpentis in poenam huius diabolicae obsessionis non peior est effecta, saltem ex praeordinatione divina ad has diaboli poenas symbolice figurandas destinabatur. Quod ita pulcherrime exprimit Bossuetius: « Comme les caractères du diable devaient être repré-« sentés par ceux du serpent, Dieu, qui le prévoyait, le « détermina à se servir de cet animal pour parler à Eve, afin « qu'étant l'image du diable par ses embûches, il en repré-« sentât encore le juste supplice; en sorte que ces carac-« tères que nous venons de marquer, [1] convinssent au ser-« pent en parabole, et au diable en vérité ». [2]

Sed haec omnia habent insuper sensum allegoricum, qui potest multipliciter applicari daemoni serpente abuso. In fine autem simul sub velamine promittitur Redemptor, Mariae filius, de daemone triumphaturus. Unde qui princeps fuit auctor lapsus, non solum primo loco, sed et durius punitur,[3] quum ipsa punitio maxime in hoc consistat, quod casus hominis ex divina sapientia simul et bonitate in maiorem hominis per Christum excellentiam cedat. Quare quod serpentis caput conterit, poenitentis et sperantis hominis caput attollit. [4]

Corollarium I. - Ex doctrina in hoc articulo exposita rursus apparet quantopere sensus historicus sit fundamentum multiplicis sensus altioris qui litterae subest. Quemadmodum enim prima verba ad serpentem prolata possunt allegorico sensu extendi ad daemonem, ac ita praeparant viam

[1] Ut maledictus odio habeatur, ut ad prava et ima excitet, ut absconse insidias paret.

[2] Op. cit., VI *Sem.*, X *Elév.*

[3] Cur daemon primus et durius punitus sit, egregie illustrat laudatus Ullathorne. *

[4] Hac prophetia pulcherrime utitur Milton, ostendens quam partem principalem in lapsus nostri tragoedia agat promissum mulieris semen.

* Op. cit., *Lect.* XI, p. 301 sq.

ad ultima quae ad ipsum daemonem directius dirigun tur; ita quoque aliae poenae respondent culpae ab Adamo et Eva commissae, ita tamen ut latiori sensu contineant solutionem magni problematis laborum qui tum hominem tum mulierem deprimunt. Quare qui dicunt, Moysen in hoc capite intendere ut solutionem afferat huius magni problematis, dicunt verum; modo addant, hos labores, uti punitionem, esse argumentum veritatis facti historici, quod ab auctore sacro narratur.

Corollarium II. - Quemadmodum superius vidimus, concupiscentiam, etsi naturae humanae sibi relictae consonam, esse in praesenti statu lapso « ex peccato », indeque specialem derivare inordinationem; ita quoque dicendum est de aerumnis praesentis vitae mortalis. Sunt quidem connaturales homini in sua conditione relicto; sed pro homine lapso tum in se, tum in suo ingravescenti modo, sunt insuper et imo principaliter poena peccati.

Qua ex origine si derivant humiliationem, cum concupiscentia communem, acquirunt aliunde, quod deest huic, dignitatem novam, si in expiationem accipiantur, et maxime, si Christi patientis immolationi coniungantur, infinitam prope nobilitatem. Inde christiana religio est benefica schola quae hominem docet labores quoscumque, sive corporis sive animi, non solum tolerare patienter, sed imo pro Christo et cum Christo patienda ambire. Quumque, velit nolit, homini in hac vita sit laborandum, iuxta pulchre dictum Iob: « Homo « natus ad laborem, et avis ad volatum », et illud: « Homo « natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis « miseriis »;[1] quumque nulla alia disciplina altissimam artem doceat patiendi, quin et hilari avidoque animo laborandi, consequens est religionem Christianam esse institutionem socialem summi pretii ad vitam digna ratione regendam. Quod nuper perdoctus vir Americanus, omni caeteroquin religioni extraneus, hisce verbis proclamavit: « La religion nous « rend aisés des sacrifices inévitables, et nous y fait même « trouver le bonheur; s'il n'est pas d'autre influence qui

[1] Iob., v, 7; xiv, 1.

« puisse produire un tel résultat, cela seul établit son impor-
« tance capitale dans la vie humaine. Si rien d'autre ne peut
« remplir dans notre vie cette fonction consolante et forti-
« fiante, la religion en devient un rouage essentiel. Du point
« de vue purement biologique, si j'ose dire, je ne vois pas
« que nous puissions échapper à cette conclusion ». [1]

Et sane fundamentalis Christiani sapientia in hoc consistit ut per ardua quaeque, si oporteat, Christi unitus Cruci, consilia Dei in se implere studeat. Inde S. Fulgentius, patientis Christi figuram in sancto Iob salutans, ait: « Beatus « Iob quum in divitiis iuste viveret, sed beatior quum in « paupertate iustior exstitisset ». [2] Altissimam et multiformem Providentiae in malis infligendis legem ita profunde simul ac eleganter evolvit S. Gregorius Magnus: « Percus-
« sionum diversa sunt genera. Alia namque est percussio
« qua peccator percutitur, ne sine retractatione puniatur;
« alia qua peccator percutitur ut corrigatur; [3] alia qua nonnun-
« quam quisque percutitur, non ut praeterita corrigat, sed
« ne futura committat; [4] alia qua plerumque percutitur, per
« quam nec praeterita culpa corrigitur, nec futura prohi-
« betur, sed ut, dum inopinata salus percussionem sequitur,
« salvantis virtus cognita ardentius ametur; cumque innoxius
« flagello atteritur, ei per patientiam meritorum summa con-
« feratur ». [5] Potest proin providentia Dei in rebus adversis

[1] William James, *The varieties of religious experiences*, Lect. II, Trad. Abouzit-Cf. Card. Mercier, op. cit., p. 10 sq.

[2] *Epist. 2 ad Gallam.*

[3] Huc faciunt pulcherrima verba Francisci Coppée: « Qu'elle soit donc bénie « l'année qui s'enfuit, car elle fut pour moi l'année de l'épreuve, l'année de la grâce, « où j'ai pu recueillir les ruines de mon cœur, et où j'ai rallumé dans un vase fait « de débris, le grain d'encens de la prière? ». * Hinc per luctum patet iter ad Deum. Quod inspiravit Ludovicum Veuillot, ut in repentino obitu Adolphi Thiers, quem ultima vice ad ecclesiae ianuam inter lacrimas socri funus ducentem salutaverat, haec profunda et pia verba scriberet: « Elles me laissent espérer (ces larmes) « que Dieu aura pitié du grand ignorant qui fut toute sa vie gâté du succès, et plus « tristement épargné du malheur. Je l'ai vu pleurer aux portes d'une église et j'espère « que, ce jour-là, les miséricordes de Dieu lui ont permis de voir la Croix ».

[4] Etenim omnis prosperitas, sive ordinis materialis sive ordinis moralis, secum fert periculum elationis, aut saltem minoris mortificationis animique libertatis, in Deum et Christum sese unice extendentis. Quod militum dux de Sonis, pietate insignis, devotissima oratione iure famosa expressit.

[5] *Mor. in Iob., Praef.*, c. 9, n. 12. – *P. L.*, t. LXXV, col. 523.

* *La bonne souffrance*, ch. XI.

generali nomine « admonitionis » describi, quatenus tot sunt admonitionis genera, quot variae intentiones Dei adversa immittentis. Hinc Augustinus dicere potuit: « Res prospera « donum est admonentis Dei ». [1] Ac proin utraque de Dei manu nos oportet cum gratiarum actione recipere, iuxta mirabilem sententiam Iob: « Dominus dedit, Dominus abstu- « lit: sit nomen Domini benedictum! ». [2]

Quare inter fines a Providentia intentos quando procellas in res publicas irruere sinit, non ultimus sane est illa concussio, qua mentes a terrenis rebus in Deum avocat. Optime id exprimit doctus Abbas F. Cabrol: « Les grands événe- « ments de l'histoire ont pour effet ordinaire de remuer « l'âme humaine jusque dans ses dernières profondeurs, et « de ces retraites mystérieuses, où se cachent souvent les

[1] *Epist. 210.* – *P. L.*, t. XXXIII, col. 957.

[2] Ad hanc Iob sententiam alludit Lord Byron in sequentibus verbis, quae in fine audacis poëmatis *Heaven and Hearth,* ponit in ore cuiusdam qui, mox a fluctibus diluvii submergendus, contra chorum blasphemando pereuntium, pie protestatur. Ad famam tanti, sed eheu moribus tam perversi poëtae* firmandam, hi pulcherrimi versus sufficerent:

Blessed are the dead
Who die in the Lord!
And though waters be o'er earth outspread
Yes, as his word
Be the decree adored!
He gave me life - He takesh but
The breath which His is own;
And though these yes should be for ever shut,
No longer this weak voice before his throne
Be heard in supplicating tone,
Still blessed be the Lord,
For what is past,
For that which is;
For all is His,
From first to last -
Time - space - eternity - life - death
The vast known and immeasurable unknown,
He made and can unmake,
And shall I for a little gasp of breath
Blaspheme and groan?
No: let me die as I have lived in faith,
No quiver, though the universe may quake.

* Iure Byron compararunt archangelo delapso, qui nec sublimitatem ingenii nec religionis sensum vitiorum luto extinguere potuit. Unde, morti proximus, filiae suae consilium dedit ut catholicam fidem amplecteretur; quod et fecit.

« plus nobles pensées, les sentiments les plus généreux, les « résolutions les plus héroïques, jaillit aussi parfois un cri « de l'âme vers Dieu, maître puissant de nos destinées, pro- « tecteur et sauveur ». [1]

Conclusio patet: in altissimo scilicet fidei sensu omnia nobis esse a Dei manu accipienda, utpote ab optimo Patre in bonum nostrum ordinata. Quod pulchre ita exprimit Pascal: « Toutes choses couvrent quelque mystère; toutes « choses sont des voiles qui couvrent Dieu. [2] Les chrétiens « doivent le connaître en tout. Les afflictions temporelles « couvrent les biens éternels où elles conduisent. Les joies « temporelles couvrent les maux éternels qu'elles causent. « Prions Dieu de nous le faire reconnaître et servir en tout, « et rendons-lui des grâces infinies de ce qu'étant caché en « toutes choses pour tant d'autres, il soit découvert en tou- « ches choses et de tant de manières pour nous ». [3] Id totum S. Paulus comprehendit hac brevi sententia lumine ac sola- nime plena: « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia « cooperantur in bonum ». [4] Unde S. Franciscus Salesius affirmabat: « Notre-Seigneur aime d'un amour extrêmement « tendre ceux qui s'abandonnent à son sein paternel, se lais- « sant gouverner par sa divine Providence ». [5]

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum ex divina ordinatione inferiores hominis vires superioribus tamdiu subderentur quamdiu superiores Deo parerent, mors aliique defectus corporales, cum ipsa carnis contra spiritus rebellione, inobedientiam secuta sunt, sicuti poenae culpam (a. 1).

Sed et in aliis, tum quoad locum per expulsionem a Paradiso, tum in seipsis, non solum quantum ad corpus,

[1] *La prière pour la France*, Paris, Bloud et Gay, 1916, p. 5.

[2] Insitam dolori maiestatem iam ipsos ethnicos introspexisse, probat Senecae effatum: « Ecce par Deo spectaculum, vir cum adversis compositus ». Et Mahumetus in *Corano* iubet speciali reverentia tractari omnes naturali deformitate afflictos, quippe quibus divinum fatum sortem graviorem imposuit.

[3] *Pensées*, II, p. a. 16, § 8.

[4] Rom., VIII, 28.

[5] *Pensées de St François de Sales.*

iuxta utriusque sexus officia ac indolem, sed et quantum ad ipsam animam, convenientissime Adam et Eva puniti sunt (a. 2).

CAPUT III.

DE TENTATIONE PRIMORUM PARENTUM.

(Quaestio CLXV).

Ordo Quaestionis simplicissimus est. Primo agit S. Doctor de ipso tentatore, quaerens convenientiam ut homo in statu innocentiae probationem a diabolo pateretur. Dein, concessa hac convenientia, transit ad illustrandum modum et ordinem ipsius tentationis.

Hic rursus praesupponitur agi de facto historico, et non de mera allegoria; hanc enim narrationem nonnisi impie quis cum apostata Iuliano fabulam vocaverit.

Porro allegoriam quoad partem heic inveniri, concessit Caietanus, existimans serpentem nullum alium ibi adfuisse quam daemonem interne quidem et invisibiliter spiritum et cor Evae pertentantem; Moysen autem, quo res melius a populo intelligeretur, hanc internam suggestionem sub forma externi colloquii cum animali descripsisse. Philo autem longe ulterius progressus erat. [1] Iuxta ipsum tota narratio est allegoria. Tentatio fuit carnalis; appetitus fructus, nihil aliud quam generationis opus. Quae Philonis assertio omnino est reiicienda, utpote non solum gratuita, sed crasse cum tota narratione pugnans, imo contradictionem involvens. Quomodo enim dictum fuisset primis parentibus « Crescite « et multiplicamini », si actus, sine quo multiplicatio dari nequit, esset ipse fructus vetiti ligni?

Opinio autem Caietani non excedit limites doctrinae catholicae. Nihilominus illam reiiciendam putamus, uti fundamento carentem traditionique oppositam. Insuper cum 3° responso Pont. Comm. de Re Biblica superius relato vix concordat, utpote in quo declaratur uti historica tenenda « divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, trans-

[1] *De opific. mundi*, p. 86, et *De agricultura*, p. 201.

« gressio ». [1] Nec satis a sententia Caietani recedit Hoberg, qui admittit quidem realem serpentem apparuisse Evae, non autem serpentem Evae esse locutum; sed Evam viso serpente, tentatione invasam, hanc tentationem, uti verbis expressam, serpenti tribuisse. Rationem autem cur ad hoc subterfugium recurrat, ita exprimit: « Quomodo explicanda est loquela « serpentis? Serpentem loqui, id est exprimere sonis arti- « culatis proprias cogitationes, est impossibile. Ergo sugge- « rimus interpretationem sequentem: Eva, viso serpente, in « tentationem incidit offendendi Dei mandatum, quae ten- « tatio tantopere excrevit, ut Eva serpenti humanam loque- « lam tribuerit. Eva ita tentationem narraverit, et transmis- « sam traditione Moyses conscripserit, quin serpentem magis « revelaret, ne populum ad serpentis cultum apud varias « gentes existentem, indirecte incitaret ». [2] Sed haec argu- mentatio omni virtute caret. Esto serpentem, uti animal, non posse ope loquelae manifestare cogitata. Sed cur non possit daemon serpente ad loquendum instrumentaliter uti? Insuper, nisi hoc admittatur, quaenam erit ratio relationis inter visum serpentem et tentationem invadentem? Eo magis quod, iuxta Hoberg, daemon externo instrumento sensibili uti debuerit, quum hominem interne invadere non posset. Haec sunt longius petita, parum logica et historicae indoli narra- tionis vix consona.

Longe melius scribit laudatus P. Murillo: « La que el « texto llama serpiente es indudablemente un animal de « ese nombre, come lo demuestra su comparación con las « otras bestias: pero la serpiente material ocultaba al mismo « tiempo en su interior otro agente sobrehumano que se « sirve de la lengua del reptil para articular los sonidos

[1] Hinc forte hodie Lacordaire mitigaret quod de hoc argumento dixit: « Ce « n'est pas, Messieurs, que je redoutasse pour ma foi l'idée que le démon eût « transformé un animal immonde en organe extérieur de ses suggestions. Le Fils « de Dieu, venu pour nous sauver, a pris la forme humaine: le fils du mal, venu « pour nous perdre, a pu prendre la forme de la bête. Mais je crois meilleur de ne « jamais outre-passer le dogme, et l'Eglise n'ayant rien décidé à cet égard, je m'ar- « rête à l'explication qui, sans meurtrir le texte de l'Ecriture, le rapproche davan- « tage du respect de tous ». *

[2] Op. cit., p. 44.

* LXX *Conférence*.

« que Eva escucha, y que se atribuyen á la serpiente, por- « que exterior é instrumentalmente proceden de ella »[1]. Sed de hoc plura occurrent in decursu Quaestionis.

Igitur utrumque historice stat: tum primum hominem fuisse a diabolo tentatum, tum diabolum ad illum impugnandum vel assumpsisse formam serpentinam, vel eo animali instrumentaliter esse usum.

Sed antequam ad discutendum modum et ordinem tentationis accedamus, convenientia ipsius tentationis penitius est examinanda.

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT CONVENIENS, UT HOMO A DIABOLO TENTARETUR.

1. **De ipsa Quaestione.** – 1) Duplex heic quaestio moveri potest. *a*) Utrum primus homo indiguerit tentatore ad hoc ut malum agere posset. – 2) Utrum conveniens fuerit illum tentari. Priori breviter respondemus negative. Posse peccare, habuit homo a se, non a diabolo. Imo in hominem diabolus nihil valuisset, nisi homo iam quasi secum de malo anceps deliberasset, vel saltem tentatoris partes secum ipse, dum tentaretur, egisset. Ad rem Augustinus: « Nec arbitrandum « est quod esset hominem deiecturus ille tentator, nisi prae- « cesserit in anima hominis quaedam elatio comprimenda, ut « per humiliationem peccati, quam de se falso praesumpserit « disceret ».[2]

2) Inconvenientia autem talis tentationis desumenda esset vel *a*) ex debilitate quam supponit in ipso homine, vel *b*) ex impugnatione quam ponit in daemone, vel *c*) ex praescientia casus quae erat in Deo. Nullum autem ex his tribus valere, haud aegre ostenditur.

a) Non valet primum. Secus dicendum esset, Deum non potuisse creare nisi naturas omnino optimas, id est tantopere bono adhaerentes, ut ab illo deflectere nequirent. Belle Augustinus: « Talem, inquiunt, faceret hominem, qui nollet « omnino peccare. Ecce nos concedimus, meliorem esse na- « turam quae omnino peccare nolit: concedant et ipsi non

[1] Op. cit., p. 292.
[2] *De Genes. ad litter.*, XI, 5.

« esse malam naturam, quae sic facta est ut posset non « peccare si vellet, et iustam esse sententiam qua punita est, « quae voluntate non necessitate peccavit. Cum ergo haec « natura bona sit, illa melior, cur illam solam et non utram- « que faceret Deus. ...[1] Quis autem hos audiret, si dicerent « quoniam excellentior sensus est videndi quam audiendi, « quatuor oculi essent et aures non essent? ». Et prose- quitur ostendendo utilitates operi Dei ex permissione culpae obvenientes. [2]

Huc faciunt verba Hugonis Victorini: « Disponit Deus « tam bona quam mala. Unde quaeritur an omnia, tam bona « quam mala, sint in eius dispositione? Ita est, dicunt qui- « dam; et habent auctoritatem ab Augustino dicente: « Nulla « reliquit Deus ordinata ». Et alibi: « Malarum voluntatum « Deus est inordinator ». Et iterum: « In potestate malorum « est malum velle; sed utrum hoc vel illud malitia perficiant, « in potestate Dei est, dividentis tenebras et ordinantis ». Sed « alii opponunt: « Si Deus mala disponit, tunc mala placent « ei. Sed hoc est falsum, quia non placent ei mala; sed mala « fieri placet ei propter universitatem. Propter hanc opposi- « tionem dicunt quidam quod non disponit mala; sed dispo- « nit de malis, eliciendo inde aliquid quod prosit bonis; ut « de Nerone quod Petro profuit, de Decio quod Laurentio: « quia non vult aliquem ita stare otiosum in republica sua, « quin sibi serviat. Quod tamen servitium, quia mala inten- « tione fit, eis sic servientibus malum est ». [3] Quod quanto-

[1] Apud Milton Deus proclamat, se tam excellentem condidisse hominem ut, quemadmodum et lapsi Angeli, non nisi sibi casum tribuere debeat, si ingratus ceciderit.

Whose fault?
Whose but his own? Ingrate, he had of me
All he could have; I made him just and right,
Sufficient to have stood, though free to fall,
Such I created all the Ethereal Powers
And Spirits, both them who stood and them who failed;
Freely they stood who stood, and fell who fell. *

[2] Op. cit., c. 78.

[3] *Summ. Sent.*, p. II, tract. 1, c. 12. - *P. L.*, t. CLXXVI, col. 68. Iudaeorum de hoc problemate mentem optime exponit hisce verbis Cl. Frey: « Les Juifs ... ne se « sont jamais demandé pourquoi Dieu n'a pas créé un monde d'où le péché eût été

* Lib. III.

pere sit verum, apparet in Iuda, qui, ex una parte tantum scelus patravit, ut de illo Christus dixerit, quod melius ei fuisset non esse natum; ex altera tamen divinis consiliis de Christi morte salvifica exequendis efficaciter contulit.

Unde, quemadmodum id apparet in praecipuis divinae Providentiae instrumentis, ita quoque in singulis verificatur hominibus, sive primo Adamo lapso, sive novo Adamo Redemptori adhaereant. Quod Lacordaire ita eloquenter evolvit: « Quoi que vous fassiez donc, Messieurs, soit que vous choi- « sissiez de demeurer unis au premier Adam, fidèles à son « sang et à ses ruines; soit que vous vous retrempiez dans « le sang régénérateur du Dieu fait homme et devenu le « centre fécond de l'humanité réparée, dans l'un et l'autre « cas, quoique différemment, vous aiderez à l'œuvre et à la « victoire de Dieu ».

Quod de primis ita illustrat: « Soldats opiniâtres de votre « corruption native, vous manifesterez dans vos actes à tous « les yeux le vice original dont vous avez reçu la tradition « avec la vie, et le christianisme s'appuiera de vous pour « asseoir le premier fondement de sa doctrine, qui est la « transmission du péché d'Adam à toute sa posterité ». [1]

Quare haec difficultas redundat in altiorem quaestionem de operibus minus perfectis, vel imperfectione admixtis et ita a Deo dispositis ut in pulchritudinem redundent universi; quemadmodum in tabulis pictis partes adumbratae maiorem dant lucidis partibus claritatem, maioremque toti tabulae ex ipsa oppositione syntheticam pulchritudinem.

« banni. Persuadés que Dieu est infiniment puissant et que le monde actuel n'a pas « épuisé sa fécondité, ils ne doutaient pas davantage que l'état de choses présent, « malgré ses misères nombreuses, ne laissât pleinement intacte la sainteté de Dieu.

« En définitive, l'existence du mal moral ne créait pas à leurs yeux des objec- « tions insolubles contre la Providence. Dieu ne veut pas le péché, il le hait et le « punit sévèrement. Mais il ne pouvait doter certains êtres de la noble faculté de « choisir entre le bien et le mal, sans permettre la défaillance de la volonté; le pé- « ché est la contre-partie inévitable de la vertu et du mérite. Mais ces fautes ne la « prennent pas au dépourvu; sa science infinie les a prévues, et sa sagesse saura les « utiliser pour des fins dignes de lui. Rien ne peut échapper au gouvernement de la « Providence divine », *

[1] LXVII *Conférence.*

* *Dieu et le monde d'après les conceptions juives. Extrait de la Revue Biblique*, janvier, 1916, p. 22.

Optime id illustrat Card. Mercier: « Maux physiques et « fautes morales ont leur raison d'être providentielle. Dût-elle « nous dépasser toujours, il serait encore insensé de la nier, « car il faudrait, pour la bien comprendre, n'être pas, comme « nous le sommes, enfermés sur un point de l'espace, dans « un intervalle éphémère du temps, mais embrasser l'univer- « salité des êtres, le champ illimité de l'histoire, et mesurer « les relations de tous les événements qui s'écoulent, avec « les intérêts éternels de la gloire divine et de la vie immor- « telle des âmes ». [1]

Bene de hoc disserit Illmus Ullathorne, ostendens ex una parte quaenam perfectiones in tali ordine eluceant, et ex altera quae bona inde ipsi homini obveniant: « Before « the question is asked, why God did not make man perfect « and sinless from the first; it must be remembered that « we are speaking of God's earthly dispensation; and that « for reasons profound beyond our search, as well as « for reasons made known to us, it was the eternal plan « to have a great earthly dispensation, with a wonderful « exercice of the divine power, wisdom, mercy, and good- « ness; and that the greater the difficulties arising from « the weak elements of this creation, all the more grand « and glorious is the divine triumph in raising up such a vast « amount of everlasting good from elements so weak and « from wills so unstable ».

« It should be remembered, that, if we had never known « our weakness, we should never have known what strength « we receive from God to accomplish our union with Him. « Had we never been liable to sin, we should never have « been taken from the stock of Adam to be engrafted on « the divine humanity of Christ ». [2]

Bene Vitus Fornari, posito problemate, recurrit ad excellentiam creatae libertatis. Quae non fuisset sapiens donum Dei, si Deus ex sapientia debuisset impedire eius usum, in hac praesertim electione, a qua tantum homini derivaret dignitatis augmentum: « Adamo dunque, il re di Eden, questo « dio creato, può essere un suicida e disfare la più mara-

[1] *La leçon des événements. Mandement de Carême*, 1918, p. 20.

[2] Op. cit., lect. x, *Why man was not created perfect*, p. 277.

« vigliosa delle opere divine. O Dio creatore; poichè hai « fatto la tua creatura sì grande e sì bella, or perchè gli « metti nelle mani questo coltello della libertà? Così vor- « remmo talvolta gridare a Dio; ma tosto ci sovviene, che « lo spirito, perchè ha quest'arme, perciò è sì grande ».[1]

b) Non valet secundum. Etenim: α) haec diabolica impugnatio non laedit dignitatem hominis, quum adveniat ei a creatura utique in malo obstinata, sed, quoad naturam, nobiliore. Imo redundat in hominis excellentiam. Nam daemonem ad hominem impugnandum movit invidia ex ipsa elevatione et sublimi destinatione hominis provocata. Optime id illustrat S. Ioannes Chrysostomus: « Vide maligni daemo- « nis invidentiam ... Videbat super terram angelum terre- « strem, et a sua rodebatur invidia daemon malorum auctor; « quoniam cum ipse inter superas virtutes esset, et ob vo- « luntatis suae nequitiam et ingentem malitiam, e summo « caelo proiectus fuerit, magna usus est machinatione ut « et hominem Dei gratia privare et, ingratum factum, tantis « bonis per divinam bonitatem ipsis concessis nudare pos- « set ».[2] Insuper β) haec impugnatio non tanta erat qua homo veluti a poena opprimeretur; e contra, ipse erat in tanta integritate conditus, boni Angeli ei adstabant tam propinqui, Deus quoque gratiae iuvamen tam liberaliter illi praeparaverat, ut, si voluisset, homo facile stare potuisset. Quae quum ita sint, γ) impugnatio haec sub Dei providentia tendebat in hominis laudem, quemadmodum dicit Augustinus in loc. cit. ad 2m.

c) Nec valet tertia ratio petita ex Dei praescientia. Eatenus enim Deus teneretur impedire peccatum praevisum, quatenus nullum ex peccato bonum educere posset. Hoc autem est falsum. Sufficit enim ut peccatum puniatur, et iam manifestat Dei iustitiam. Unde unum consequens praevisionis peccati fuit bonum ex hoc peccato educendum.

Ab alto quaesitum hoc a priori solvit praeclare Augustinus: « Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo « fieri quaecumque fiunt male. Non enim hoc sine iusto iudicio « sinit; et profectum bonum est omne quod iustum est. Quam-

[1] Op. cit., lib. I, cap. II, p. 107.

[2] *Homil.* XVI, *in Gen.*, n. 1. - *P. G.*, t. LIII, col. 126.

« vis ergo ea quae mala sunt, in quantum mala sunt, non « sint bona; tamen ut non solum bona, sed etiam sint et « mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et « mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono: cui « procul dubio quam facile est quod vult facere, tam facile « est quod non vult esse, non sinere. Hoc nisi credamus, « periclitatur ipsum nostrae confessionis initium, qua nos in « Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque « enim ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid « vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturae voluntatis « omnipotentis impeditur effectus ».[1]

Alta nihilominus remanet quaestio de permissione peccati praevisi primorum hominum.

Audiamus rursus Augustinum: « Primum hominem Deus « in ea salute in qua conditus erat, custodire voluisset, eum- « que opportuno tempore post genitos filios sine interposi- « tione mortis ad meliora perducere, ubi iam non solum pec- « catum non committere, sed nec voluntatem posset habere « peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus « erat, perpetuam voluntatem habiturum esse praescisset. « Quia vero eum male usurum libero arbitrio, hoc est pec- « caturum esse, praesciebat, ad hoc potius praeparavit volun- « tatem suam, ut bene ipse faceret de male faciente, ac sic « hominis voluntate mala non evacuaretur, sed nihilominus « impleretur omnipotentis bona ».[2] Et alibi difficultatem problematis ita premit: « Si ergo quaeritur, cur Deus tentari per- « miserit hominem, quem tentatori consensurum esse prae- « sciebat: altitudinem quidem consilii eius penetrare non « possum, et longe supra vires meas hoc esse confiteor ». Et infra: « Cur ergo creavit, quos tales futuros esse presciebat? « Quia, sicut praevidit quid mali essent facturi, sic etiam prae- « vidit de malis factis eorum quid boni esset ipse facturus. « Sic enim eos fecit, ut eis relinqueret unde et ipsi aliquod « facerent, quo quidquid etiam culpabiliter eligerent, illum « de se laudabiliter operantem invenirent. A se quippe habent « voluntatem malam, ab illo autem et naturam bonam et

[1] *Enchir.*, c. 96. - *P. L.*, t. XL, col. 276.
[2] Ibid., c. 104, col. 281.

« iustam poenam: sibi debitum locum, aliis exercitationis « adminiculum et timoris exemplum ».[1]

Augetur autem difficultas ex hoc, quod, si voluisset, Deus potuisset[2] talem primo homini dare gratiam quacum in bono stetisset. Optime huic instantiae occurrit Augustinus: « Sed posset, inquit, etiam ipsorum voluntatem in bonum « convertere, quoniam omnipotens est. Posset plane. Cur ergo « non fecit? Quia noluit. Cur noluerit penes ipsum est. Debe- « mus enim non plus sapere quam oportet sapere. Puto « autem paulo ante satis nos ostendisse non parvi boni esse « rationalem creaturam, etiam istam quae malorum compa- « ratione cavet malum ».[3] Et tractationem concludit sententia quae totum argumentum complectitur: « Cur ergo non per- « mitteret tentari hominem illa tentatione probandum, con- « vincendum, puniendum, cum superba concupiscentia pro- « priae potestatis quod conceperat pareret, suoque foetu « confunderetur, iustoque supplicio a superbiae atque inobe- « dientiae malo posteros deterret, quibus ea conscribenda et « annuncianda parabantur? ».[4]

Quodsi introducimus oeconomiam Redemptionis, apparet non solum Deum permisisse Adami peccatum quia id impedire non tenebatur, et de eo erat per iustitiae ordinem triumphaturus, sed insuper quia in magni mali remedium operaturus erat bonum summum.[5] Pulchre Card. Mercier: « Si Dieu n'eût pas permis le péché de nos premiers parents « et les nôtres,[6] il n'eût pas été possible au Christ de souf-

[1] Loc. cit., c. 4, 9.

[2] Hoc sensu apud Vondel plangentes Angeli lamentantur de inefficaci sua custodia, si Deum non totam suam potentiam adhibet:

Helaas, wat baat een englenwacht,
Zoo 't alziende oog van boven
Den mensch niet gaslaat naar zijn macht! *

[3] Loc. cit., c. 10.

[4] Loc. cit., c. 11.

[5] Unde Milton antequam hominis lapsum denarret, exponit consilium divinum lapsum praevidens, et ad conciliandam Dei iustitiam cum Dei misericordia, ipsam futuram Verbi Incarnationem, cui Angeli iubilanti choro plaudunt. **

[6] Op. cit., p. 27. Ex his verbis apparet, considerationes hic motas non valere tantum de praevisione peccati Adami, sed et de praevisione omnium peccatorum per Christi sanguinem delendorum.

* Op. cit., IV, Cant. 1, v. 1356-1358.

** Op. cit., lib. III.

« frir et de mourir, et l'univers eût été privé de Son chef « d'œuvre.... Dieu lui-même n'eût pu, sans la permission du « péché, révéler au monde ce qu'il y a de plus riche dans « les trésors de son amour. La miséricorde, au dire de « St Thomas d'Aquin, est la plus haute des manifestations « de l'ordre moral. Dès lors, l'amour de Dieu pour une huma- « nité misérable, péchereuse et révoltée, est la plus puis- « sante révélation de la Bonté divine ».[1]

Quod totum pulcherrime comprehenditur hisce verbis orationis liturgicae: « Deus qui omnipotentiam tuam parcendo « maxime et miserando manifestas, multiplica super nos mise- « ricordiam tuam ».[2]

Totam hanc doctrinam, simul et oeconomiam Redemptionis per hominem-Deum Mediatorem, ita breviter contrahit S. Augustinus: « Sic factus est homo rectus, ut et « manere in ea rectitudine posset, non sine adiutorio divino, « et suo fieri perversus arbitrio. Utrumlibet horum elegisset, « Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certe de illo. « Proinde quia suam maluit facere quam Dei, de illo facta « est voluntas Dei, qui ex eadem massa perditionis, quae « de illius stirpe profluxit, facit aliud vas in honorem, aliud « in contumeliam:[3] in honorem, per misericordiam; in con-

[1] De excellentia oeconomiae *reparationis* per Incarnationem fuse disputavimus in exordio nostri tractatus de *Deo Homine* (*Christologia*, Quaest. I).

[2] Dom. X post Pent. Unde laudatus Laminne, postquam difficultatem sibi fortiter opposuit, per Redemptionem eam solvit: « Pourquoi, dit-on, Dieu a-t-il permis « que son œuvre, à peine créée, fût détruite? Pourquoi a-t-il tiré l'homme du néant, « prévoyant qu'il se plongerait dans la misère lui-même et toute se descendance? « Pourquoi a-t-il fait dépendre de la fidélité d'un seul le sort de toute la race? Il y « a à ces questions une réponse que nous développerons un peu dans notre dernier « chapitre: c'est la Rédemption des hommes par Jésus Christ ».* Absit tamen ut absque Redemptionis opere iam praeintento, Deus dicatur peccatum Adae non permittere potuisse. Unde sapienter laudatus auctor addit: « Sans contester la valeur des « considérations qui ont été présentées pour expliquer l'existence du mal, nous avouons « volontiers qu'elles n'en dissipent pas complètement le mystère. Tout ce que l'on « peut exiger des croyants, c'est que leurs conceptions religieuses puissent se con- « cilier avec l'existence du mal qui est un fait, et notamment que ce fait ne soit pas « en contradiction avec les caractères que nous attribuons à la Divinité. Pour cela « il suffit qu'on doive le considérer comme contraire à la volonté divine, comme « abus de la liberté dont l'homme est responsable et non le Créateur ».**

[3] Rom., IX, 21.

* Op. cit., IV, p. 121.

** Ibid., p. 121 sq.

« tumeliam, per iudicium: ut nemo glorietur in homine; ac « per hoc, nec in se.

« Nam neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem « Dei et hominum hominem Iesum Christum,[1] nisi esset et « Deus. Sed cum factus est Adam, homo scilicet rectus, me- « diatore non opus erat. Cum vero genus humanum peccata « longe separaverunt a Deo, per Mediatorem, qui solus[2] sine « peccato natus est, vixit, occisus est, reconciliari nos opor- « tebat Deo, usque ad carnis resurrectionem in vitam aeter- « nam: ut humana superbia per humilitatem Dei argueretur « et sanaretur, et demonstraretur homini quam longe a Deo « recesserit, cum per incarnatum Deum revocaretur; et exem- « plum obedientiae per hominem Deum contumaci homini « praeberetur; et Unigenito suscipiente formam servi, quae « nihil ante meruerat, fons gratiae panderetur; et carnis « etiam resurrectio redemptis promissa in ipso Redemptore « praemonstraretur; et per eamdem naturam, quam se dece- « pisse laetabatur, diabolus vinceretur; nec tamen homo « gloriaretur, ne iterum superbia nasceretur; et si quid « aliud de tanto Mediatoris sacramento a proficientibus « videri et dici potest, aut tantum videri, etiamsi dici non « potest ».[3]

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Non considerat, natura diabolum homini praeesse.

2ª Obi. Non reflectit ad praevisionem possibilis resistentiae. Ubi adverte, difficultatem petitam ex praevisione lapsus Adami esse Adamo aliquo modo extrinsecam. Etenim si bonum fuit Deum condere hominem talem ut peccare posset, sortemque suam in manu proprii consilii haberet, iam sequitur bonum quoque fuisse ut hac sua potestate sineretur abuti. Reliquae rationes, quae extrinsece et consequenter ad vindicandam hanc Dei permissionem afferuntur, ad abundantiam sunt. Haec antecedens est, intrinseca, atque omnino sufficiens.

[1] 1 Tim., II, 5.

[2] Quomodo in mente S. Augustini similes locutiones concilientur cum immaculata Conceptione B. M. V., loco suo illustravimus.

[3] *Enchir.*, cc. 108, 109. - *P. L.*, t. XL, col. 282 sq. Cf. quae de sublimitate huius oeconomiae diximus in tractatu *De Deo-Homine*.

3ª Obi. Duplici vitio haec obiectio peccat. *a*) Exaggerat violentiam Adamo ex tentatione obvenientem. *b*) Falsam disiunctivam ponit poenae et praemii. Potest aliquis nec poenam mereri nec praemium, quando stat, integer, initiali stadio probationis. Talis erat primus homo in Paradiso.

Sed contra est. Adde huic loco *Ecclesiastici,* illud quod S. Paulus affirmat de ipsa tentatione Christi: « In eo enim « in quo passus est ipse et tentatus, potens est eis, qui ten- « tantur, auxiliari »;[1] et parum inferius affirmat, Christum fuisse « tentatum per omnia ».[2] Quo sensu ipse Christus Apostolo dixit: « Virtus in infirmitate perficitur ».[3] Unde habemus, tentationem in se continere bonum, scil. perficiendi quem probat.

In Corpore. Ex argumento huius *Corporis* habes quam stulte ex lapsu Adami novatores ad impossibilitatem superandae tentationis concluserint. E contra, si in hoc statu homo tentatus est, signum est quod tentari ipsi fuerit bonum, et quod proinde in lucta cum tentatore facile victor existere potuisset.

Ne autem ex doctrina huius articuli aliquis deduci credat, peccato ab aliis commisso vel committendo non tantopere resistendum esse, quum Deus ipse illud permittat, notetur: valde interesse inter nos et Deum. Nos in quantum possumus peccato obstare, et in nobis et in aliis tenemur, quum sit nobis malum summum, et simus incapaces qui de malo eruamus bonum. Hanc autem potentiam solus habet Deus; solusque tam est altus quem paena peccati non attingere possit.

ARTICULUS II.

UTRUM FUERIT CONVENIENS MODUS ET ORDO PRIMAE TENTATIONIS.[4]

1. De ipsa Quaestione. – 1) Uti ex ipso titulo apparet, agendum est hic primo de modo, dein de ordine primae tentationis. *a*) *Ordo* tentationis in hoc consistit quod daemon ten-

[1] Hebr., II, 18.

[2] Ibid., IV, 15.

[3] II Cor., 12, 9.

[4] De tentationis ordine pulcherrime disserit Lacordaire in sua LXIII Collatione. Gradationem inter « cur », et « nequaquam » a serpente successive prolata, eloquenter et ingeniose evolvit.

taverit Evam; Eva autem in peccatum induxerit Adamum. *b*) In *modo* autem tentationis consideranda sunt alia a parte tentatoris, alia a parte tentati, α) a parte tentatoris: α′) suasionem fuisse externam; β′) per instrumentum formae serpentinae; γ′) ita ut serpens loqueretur et puniretur. β) a parte tentati: α′) Adamum fuisse allectum per intelligibile bonum, β′) ope rerum sensibilium. Itaque primo de *ordine*, dein de *modo*.

2) Difficultatem parere potest quod homo per mulierem inductus sit in peccatum, superior per inferiorem; dum e contra tentationis diabolicae convenientiam in ipsa superioritate naturae angelicae reperimus. Sed tentatio Evae non fuit nisi instrumentum tentationis Adami. Ibi erat vis. Etenim Dei regnum non fuisset per lapsum solius Evae destructum. Unde quum daemon sentiret, sibi facilius fore mulierem seducere quam virum, maximam autem in virum virtutem habituram esse ipsum uxoris exemplum: Evam tamquam instrumentum adhibuit serpente callidius.[1] Quare *ordo* non solum servatur, sed et augetur, quum inter mulierem et virum quid virtutis interfuerit et dignitatis, egregie illustret.[2]

3) In *modo* autem primo considerandus est *a*) ipse *tentator*, iuxta tria superius enumerata.

[1] Profunde Bossuetius: « Le diable en attaquant Eve se préparait dans la femme « un des instruments les plus dangereux pour perdre le genre humain, et ce n'est « pas sans raisons que le Sage a dit qu'elle a assujetti les plus puissants et donné « la mort aux plus courageux ». *

[2] Ingeniose Vondel fingit dialogum inter daemones Balial et Asmode. Dum Belial propugnat ut ipse Adam directe tentetur:

De grootvorst vindt geraân den man eerst om te zetten ...
Het waar' de korste weg den man in 't hart te raken. **

Asmode e contra suadet ut Eva impugnetur, et per mulieris preces superetur vír:

Wij moeten met gemak
Te werk gaan, en den man door 't vrouwebeeld genaken ...
Men moet het steenen hert vermurven door gebeden,
En vrouwelippen. ***

Unde lapsus Adamus gemens exclamavit:

Och, dit komt van vrouweliefde! ****

* Op. cit., VI *Sem.*, II Elév.
** Op. cit., III, v. 745, 750.
*** Loc. cit., v. 748 sq; 753 sq.
**** Ibid., V, v. 1447

α) Obvio adspectu crassior fuisse non nemini videbitur agressio *externa*. Penitius autem rem intuenti manifestum e contra fit, dignitatis fuisse primi hominis ut nonnisi per externam suggestionem impeti potuerit. Quod optime S. Thomas ostendit in resp. ad 2m. Maiorem enim potentiam in alium habet ille qui potest interna eius mutare; quam qui nonnisi externe ei aliquid suggerere valet.

β) Sed cur seductor instrumentum huius suggestionis adhibuit *serpentem*.

Hic diversae occurrunt opiniones. Alii putant in serpente antecedenter nihil fuisse cur sub eius specie diabolus Evam aggressus sit; sed daemonem invasisse serpentem, quia hoc ipsi erat a Deo permissum. Ita sentire videtur Augustinus in loco citato a S. Thoma, in resp. ad 3m, licet locus non sit undequaque manifestus; apertam enim relinquit quaestionem, an Deus diabolo permiserit ingredi serpentem propter speciales quasdam qualitates huic animali proprias et scopo obsessionis congruas.

Inde alii putant, serpentem propter suam nativam callidítatem et etiam insidiantem formam instrumentum tentationis electum fuisse. Hoc magis consonum videtur locutioni Scripturae, quae narrationem ita exorditur: « Sed et serpens « erat callidior cunctis animantibus terrae quae fecerat Do- « minus Deus ». [1] Nervose Bossuetius, ad hunc locum: « Le « serpent était le plus fin de tous les animaux: c'est-à-dire « celui qui s'insinuait de la manière la plus souple et la plus « cachée, et qui pour beaucoup d'autres raisons que la suite « développera, représente mieux le démon dans sa malice, « dans ses embûches, et ensuite dans son supplice ». [2] Insuper corroboratur locis Scripturae in quibus ars et prudentia serpentis commendantur. « Fiat Dan coluber in via, cerastes in « semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius re- « tro ». [3] « Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut « aspidis surdae et obturantis aures suas quae non exaudiet « vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter ». [4]

[1] GEN., III, 1.
[2] Op. cit., IV *Sem.*, I *Elév.*
[3] GEN. XLIX, 17.
[4] PS. LVII, 5, 6.

Et Christus ipse ait: « Estote prudentes sicut serpentes ». [1] Haec astutia (id enim significat עָרוּם) in ipsa flexibilitate corporis serpentini, in modo quo incedit, mox abscondite repens, mox per saltus se proiiciens, caputque extollens, satis exprimitur. Adde micantes oculos, oris sibilam imitandae humanae vocis veluti praedestinatam, miramque in aliquibus speciebus coloratae pellis varietatem atque splendorem, et iam in serpente prae omnibus animantibus aliquid apparebit distinctivum, quod huic diabolico ministerio maxime congruebat. [2] Pulchre Lacordaire: « Comme le serpent caché « dans d'obscures broussailles s'élance en sifflant sur le « voyageur inattentif, ainsi le corrupteur invisible des âmes « leur tend des pièges pleins d'artifices, de mensonge et de « poison. C'est là son caractère principal et celui de tous « les siens ». Et citato Ioannis visione, [3] ait: « Aux deux « extrémités de la Bible, dans la *Genèse* comme dans l'*Apo-* « *calipse*, au commencement et à la fin du drame de l'hu- « manité, l'esprit des ténèbres apparaît sous le signe du ser- « pent, et le prophète, comme s'il en eût reçu la mission « spéciale, a soin de nous expliquer que c'est le serpent « antique, celui qui est appelé d'autres noms, qui tous en- « semble désignent la même personnalité en exprimant la « même perversité ». [4]

γ) Instrumentum itaque daemonis fuit serpens, ita ut per serpentem daemon loqueretur, et, completo seductionis opere, in serpente quoque puniretur. [5] Stulte Iulianus deridet narrationem Mosaïcam, quaerens quanam lingua serpens locutus sit. Dicat ipse quamnam linguam locuta sit Eva, et tunc respondebitur, eadem lingua locutum esse non serpentem, sed daemonem per serpentem. An forte daemonem linguam Evae ignorasse Iulianus putat? [6] Sonos autem dia-

[1] MATH., X, 16.

[2] Pulchra de hoc habet Vondel, ubi daemones fingit deliberantes de forma sub qua efficacius protoparentes tentandos aggrederentur. *

[3] APOC., XII, 9.

[4] LXXII *Confér.*

[5] Colloquium Evam inter et serpentem pulcherrime illustrat S. Ioannis Chrysostomus (*Homil.* XVI *in Genes.*).

[6] Quo spectarent, v. gr., exorcismi in daemones prolati, nisi isti exorcismos intelligerent? Ferunt, nuper daemonem puellam obsidentem, dum liturgico ritu eum

* Op. cit., art. II.

bolus produxit in intelligibilem loquelam. Quae certe suavissima fuerit, ac veluti caelestis, quum multum suavitas vocis apud animum per aures valeat. [1] Putaverunt nonnulli, serpentem non aliter locutum esse quam loquuntur inter se animalia. Loquelam enim suam habent, quam, aiunt, Eva in innocentiae statu optime intelligebat, quemadmodum Apollonius Thyaneus se illas intelligere iactitabat. Aliqualem loquelam animantibus esse non negabimus. Sed multum interest inter hanc loquelam, quae non supponit rationalitatem, sed merum instinctum, et sermonem de rebus maxime spiritualibus mira astutia conductum. Magis dubitari potest, utrum sonos diabolus in ipso ore, ope linguae, gutturis ac dentium efformaverit, an potius in aëre, [2] concomitante aliquo organorum bestiae motu. Sed solutio huius dubii parum refert. [3]

Quomodo autem et serpens in diabolo et diabolus in serpente punitus fuerit, iam supra expositum est. Explicatio, quam in resp. ad 4^m^ S. Thomas suggerit, tota allegorica est, referens omnia verba ad daemonem. Ubi adverte, expositionem versus 15 non sumendam esse exclusive, ac si non prius ibi intenderetur promissio Redemptoris, de mulieri nasciturí, caputque serpentis contrituri.

b) Haec de tentatore; iam de ipso *homine tentato.*

Adam, – nam de illo in presenti articulo imprimis quaerimus, – gaudebat quidem integritate naturae; non ita tamen ut non esset homo terrenus. Quare ex una parte debuit allici per intellectuale bonum, et quidem tale quale valeret

expellere conaretur sacerdos linguae latinae sat imperitus, risum emisisse quotiescumque ille erronee verba proferebat.

[1] Optime Vondel efficaciam huius praestigii depingit:

De slangetong te rekken,
Natuurlijk als een' galm, die uit den hemel daalt,
Dat is de ziel met kunst door d'ooren heen gehaald. *

[2] Inde Milton:

With serpent-tongue
Vocal, or impulse of vocal air. **

[3] Evidens est, serpentem, uti bestiam, non intellixisse quod ipse, uti instrumentum diaboli, proferebat. Fuisse autem verum serpentem et non tantum speciem serpentis, ex toto contextu sequi videtur.

* Op. cit., III, v. 785-788.

** Op. cit., I. IX.

attrahere iam in gratia constitutum; tale autem nullum fortius inveniri potuisset quam ipsa similitudo cum Deo, non quidem latiori sensu, qualem iam possidebat, sed strictiori, qualem nulli creaturae appetere licet, vel saltem qualem pro hoc tempore non ipsi appetere licebat. Ex altera autem parte congruebat ut natura sensibilis huic suggestioni cooperaretur ad ostendendum discrimen inter tentationem Angelorum et tentationem primi hominis. Hoc autem quomodo per tres gradus, e proximo ad remotiorem evenerit, S. Thomas in *Corpore* ostendit.

Ordinem tentationis et lapsus ita pulcherrime describit laudatus Illmus Ullathorne: « It was against the woman and « her divine Child that Satan warred in Heaven. [1] It was « against the mother of mankind that he first spread his « deceits on earth. He approaches her disguisedly, questions « her insidiously, awakens her curiosity, allures her by the « senses with desire of the forbidden fruit, prompts her to « the pride of independance, and insinuates the ambition of « becoming like God, knowing good and evel. Thus out- « wardly allured by the tempter, she swells inwardly with « pride against the command, and the pride breaks forth « outwardly into manifold evel. She plucked the fruit, and « did eat, and her disobedience was consummated. Then the « woman became the tempter of the man. She gave him « the fruit with ensnaring words and endearments, and he « did eat, and his disobedience was consummated. » [2]

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non considerat, Evam fuisse serpentis instrumentum.

2ª Obi. Non considerat, maiorem requiri potestatem ad internam suggestionem quam ad externam. Sed ab ipso

[1] Illmus enim Ullathorne censet, revelatum mysterium Incarnationis fuisse occasionem lapsus Angelorum; quam opinionem ex hac visione *Apocalypseos* confirmat: « The great mystery of Redemption from sin, and of a new Headship to the creation, « was preordained in favour of the human race, and this most amazing of all myste- « ries was partly revealed to the angels during their probation, as a test of their « faith and humility; and by their faith in this mystery, or their revolt from its « revelation, the angels stood in the truth, or fell ». *

[2] Ibid., p. 295.

* Op. cit., lect. XI. *The fall of man and the redemption of Christ*, p. 285 sqq.

instanti quo Eva coepit cedere externae suggestioni, iam daemoni potestatem tribuit externae suggestionis efficaciam interius iuvandi. Hoc sensu intelligendus est Augustinus quando de diabolo dicit quod « occulto instinctu adiuvaret « interius, quod exterius egerat per serpentem ».[1]

3ª Obi. S. Thomas solvit argumentum, allata auctoritate Augustini. Aliam solutionem vide supra.

4ª Obi. Difficultatem S. Thomas truncat allegorice interpretando omnia de diabolo dicta. Confer exposita superius in fine praecedentis Quaestionis; necnon in loco ibidem allato.

Sed contra est. Argumentum hic consideratur secundum rationem typicam, quae primae tentationi inesse congruebat, quatenus tres agentes, nempe serpens, Eva, Adam, figurabant, et quidem ordine suo, tres potentias quae peccato concurrunt: sensualitatem, rationem inferiorem, rationem superiorem, quae generant concupiscentiam, delectationem, consensum.

In Corpore. In hoc *Corpore* S. Thomas potius considerat tentationis modum.

Observa, rationem adductam heic de pomo, tamquam de genere propinquo, non certe unicam esse cur diabolus esum eiusdem ligni suggesserit. Imo est dubium valde, utrum serpens de hoc genere propinquo cogitaverit. Etenim quum iuxta profundum Dei consilium, ligno vitae opponeretur lignum scientiae boni et mali, oportebat ut homo ad violandum divinum praeceptum per pomi vetiti comestionem induceretur. Non ideo negamus, ingeniose fictam esse scalam sensibilis creaturae Adamum allicientem. Caeterum, uti ex supradictis patet, nec serpens, nec pomum, sed complacentia erga uxorem Adamum in culpam induxit.

Resp. ad 4m. Nota in fine huius responsionis, allegoricam significationem mulieris nonnihil differre a significatione data in *Sed contra est.* Ibi stat pro ratione inferiori; hic pro parte animali.

Hucusque, in praesenti capite egimus ex peccato actuali Adami, abstractione facta a lege solidaritatis, quae protoparentem cum progenie ab ipso oritura intime colligabat.

[1] Loc. cit., c. 27.

Itaque, respectu habito ad hanc solidaritatem, addenda sunt pauca; non quatenus, propter hanc solidaritatem, peccatum et poena transierunt in posteros, – de quo in altero Membro agetur, – sed quatenus haec solidaritas peccatum Adami reddidit gravius, gravioreque poena dignum.

Satis sit breviter duplex principium statuere. Quo expressius Adam cognovit, se gratiae et integritatis dona atque ius in beatitudinem caelestem non sibi modo, sed et posteris suis per transgressionem mandati divini esse amissurum, eo maior inde ipsi peccato eius gravitas accessit. Si autem nulla ratione hoc praescivit, nullum inde maioris culpabilitatis momentum deduci potest. Utrumque per se satis manifestum credimús. Culpabilitas enim a voluntate, producente cognitione, desumitur; nec potuit Adamus solidaritatis legem novisse, quin sentiret gravem sibi obligationem incumbere tanta bona iuxta divinam voluntatem sibi suisque servandi.

Solidaritas autem haec protoparentem inter et eius posteros fuit simul iuridica et moralis: iuridica, propter haereditatis ius positivum et quasi naturale; moralis, propter legem servandam, cui hoc ius alligabatur. De quo mox in sequenti Membro, data opera, tractabimus.

Hanc solidaritatem putamus satis exprimi in Scriptura per modum quo Adamo et Evae, in plenitudine integritatis et sanctitatis originalis constitutis, dicitur: « Crescite et mul« tiplicamini »; tales scilicet multiplicamini quales conditi estis, sancti et immortales. Unde implicite, ac veluti per consequens, solidaritatem in poena iam involvit praecepti sanctio: « In quocumque enim die comederis ex eo, morte « morieris », ita, scilicet, ut inde mortalis ipse, gratiaque orbatus, nonnisi peccatores mortales procreare possis. Quousque constet de magis explicita manifestatione huius solidaritatis a Deo protoparenti facta, in sequentibus fusius inquiremus.

Modo satis sit animadvertere quod, posita cognitione, saltem qualicumque, eiusdem legis, iam legis executio, sive traductio peccati originalis cum poenis suis in posteros potest tamquam pars poenae ipsius peccati Adami considerari.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum tentatio nihil obesset dignitati hominis, nullam in eo succumbendi necessitatem, imo nec resistendi difficultatem poneret, et ab ipso Deo in laudem ac mercedem Adami dirigeretur, maxime conveniens in *seipsa* fuisse dicenda est (a. 1).

Sed et in *modo* et in *ordine* summe conveniens fuit. Eva quippe uti instrumentum congrue a daemone adhibebatur; serpens congruebat satanico ministerio; ipsaque suasio, de re spirituali, concurrentibus rebus sensibilibus, apte erat ad vincendum hominem disposita (a. 2).

Corollarium. - Ex ordine quo non solum sese evolvit ipsa protoparentum tentatio, sed et in ipso innocentiae statu veluti futurae Incarnationi praeludebatur, apparet quantopere hoc reparationis opus ab exordio praedestinabatur, utpote quo, ex sapienti et misericordioso consilio, omnia erant sublimius instauranda, iuxta orationem Ecclesiae: « Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter con-« didisti et mirabilius reformasti... ».[1]

Praeclara synthesi id evolvit Bossuetius: « O Dieu! quelle « abondance de miséricordes, et que les sujets d'espérance « se multiplient devant nous! puisqu'en même temps qu'un « homme et une femme perdaient le genre humain, Dieu, « qui avait daigné prédestiner un autre homme et une autre « femme pour les relever, a désigné cet homme et cette « femme jusque dans ceux qui nous donnaient la mort. « Jésus-Christ est le nouvel Adam; Marie est la nouvelle « Eve. Eve est appelée *mère des vivants*[2] même après sa « chute, comme l'ont remarqué les saints Pères, et lorsque, « à dire vrai, elle devait plutôt être appelée la mère des « morts. Mais elle reçoit ce nom dans la figure de la Sainte « Vierge, qui n'est pas moins la nouvelle Eve que Jésus-Christ « le nouvel Adam. Tout convient à ce grand dessein de « la bonté divine. Un ange de ténèbres intervient dans « notre chute: Dieu prédestine un ange de lumière, qui

[1] Oratio sacerdotis in offertorio Missae aquam vino infundentis.
[2] Ibid.

« devait intervenir dans notre réparation. L'ange de ténè-
« bres parle à Eve encore vierge: l'ange de lumières parle
« à Marie qui le demeure toujours. Eve écouta le tenta-
« teur et lui obéit: Marie écouta l'ange du salut et lui obéit.
« La perte du genre humain, qui devait se consommer en
« Adam, commença par Eve: en Marie commence aussi
« notre délivrance; elle y a la même part qu'Eve a eue à
« notre malheur, comme Jésus-Christ y a la même part
« qu'Adam avait eue à notre perte. Tout ce qui nous a
« perdu se change en mieux. Je vois paraître un nouvel
« Adam, une nouvelle Eve, un nouvel ange: il y a aussi
« un nouvel arbre, qui sera celui de la croix, et un nouveau
« fruit sur cet arbre qui détruira tout le mal que le fruit
« défendu avait causé. Ainsi l'ordre de notre réparation est
« tracé dans celui de notre chute: tous les noms malheu-
« reux sont changés en bien pour nous; et tout ce qui avait
« été employé pour nous perdre, par un retour admirable de
« la divine miséricorde, se tourne en notre faveur ».[1]

MEMBRUM II.

DE PECCATO ORIGINALI.

Praenotanda.

Accedentes iam ad alterum Membrum huius Partis, ad consequens peccati Adami in toto genere ab ipso traducto, iuvat praemittere praeclaras sententias Augustini, quibus tum traditio constans, tum ratio mysterii, tum fructus theologicae inquisitionis affirmantur: « Non ego finxi peccatum « originale, ait contra Pelagium disputans, quod catholica « fides credidit antiquitus; sed tu, qui hoc negas, sine dubio « es novus haereticus ».[2] – At si traditio antiquissima, non ideo facilis expositio. « Nihil est ad praedicandum notius, « nihil ad intelligendum secretius ».[3] – Nec tamen ideo Pelagianis hodiernisque rationalistis concedendum est, my-

[1] Op. cit., VIII *Sem.*, III *Elév.*
[2] *De nupt. et conc.*, 2, 12, n. 25.
[3] *De morib. Eccl.*, 1, n. 40.

sterii velum subtiliori discursu scientiae sacrae nullo modo attolli posse. « Aliud est nulla, quod tu dicis, aliud non facili, « quod ego dixi, ratione comprehendi nec sermone explicari « posse; sed etsi nulla ratione indagetur, nullo sermone expli- « cetur, verum tamen est, quod antiquitus veraci fide catho- « lica praedicatur et creditur per Ecclesiam totam ».[1] Quare concludit: « Si potes, intellige; si non potes, crede ».

Iam vero ad huius argumenti discussionem ea mente accedimus, qua Anselmus librum *De conceptu virginali* aggrediebatur, inquiens: « Dicam igitur sic breviter de hoc quod « sentio, ut nullius de eadem re fidelem improbem senten- « tiam: nec meam (si veritati repugnare rationabiliter pote- « rit ostendi) pervicaciter defendam ». Et paulo inferius: « Nihil prohibet eiusdem rei rationes plures esse, quarum « unaquaeque sola potest sufficere ».[2] Quod, licet ab Anselmo directe de conceptu Christi ab omni labe immuni dictum, pari iure ad peccatum originale, de quo in eodem libro profunde disputat, extendere licet.

Ducem, de more, in hoc mysterio investigando sequemur Angelicum, id est, praeter Quaestiones LXXXI-LXXXII-LXXXIII, I-II, quarum textum illustrare conabimur, aliaque loca hic illic sparsa: imprimis II, Dist. XXX sqq.; *De Malo,* Q. IV; IV *Ctr. Gent.,* C. L sqq., etc. - Augustinum quoque cum Anselmo et Bonaventura, inter alios Doctores ac theologos, praecipue consulemus.

Ut autem ab initio princeps de re praesenti Ecclesiae oraculum, quasi totius argumenti summa atque speculum, ac prout infallibilis tessera prae oculis habeatur, Concilii Trid., sess. V, de peccato originali decretum ex integro heic transcribendum duximus.

« 1. Si quis non confitetur, primum hominem Adam, quum « mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim « sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, ami- « sisse, incurrisseque per offensam praevaricationis huius- « modi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam « antea illi comminatus fuerat Deus,[3] et cum morte capti-

[1] *Contra Iulian.*, 6, 5, n. 11.
[2] In initio.
[3] Gen., II, 17, III, 3.

« vitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit impe-
« rium,[1] hoc est diaboli, totumque Adam per illam praeva-
« ricationis offensam, secundum corpus et animam in dete-
« rius commutatum fuisse, a. s.

« 2. Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non eius
« propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem
« et iustitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam,
« eum perdidisse: aut inquinatum illum per inobedientiae
« peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne
« genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod
« mors est animae; a. s.: quum contradicat Apostolo dicenti:[2]
« *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per*
« *peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit,*
« *in quo omnes peccaverunt.*

« 3. Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est,
« et propagatione, non imitatione, transfusum omnibus, inest
« cuique proprium, vel per humanae naturae vires, vel per
« aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius me-
« diatoris D. N. I. C., qui nos Deo reconciliavit in sanguine
« suo,[3] factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio:[4] aut
« negat, ipsum Christi Iesu meritum per baptismi sacramen-
« tum in forma Ecclesiae rite collatum, tam adultis quam
« parvulis applicari; a. s.: quia non est aliud nomen sub caelo
« datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.[5] Unde
« illa vox: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;*[6]
« et illa: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.*[7]

« 4. Si quis parvulos recentes ab uteris matrum bapti-
« zandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti,
« aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari,
« sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod rege-
« nerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam
« consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma bapti-
« smatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intel-

[1] Hebr., II, 14.
[2] Rom., V, 12.
[3] Ephes., II, 13. - Coloss., II, 14. - I Tim., 5 seq.
[4] I Cor., I, 30.
[5] Act., IV, 12.
[6] Ioann., I, 29.
[7] Gal., III, 27.

« ligatur ; a. s.: quoniam non aliter intelligendum est id, quod « dixit Apostolus : [1] *Per unum hominem* etc. ... *in quo omnes « peccaverunt,* nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique « diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei « ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil pecca- « torum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in « remissionem peccatorum veraciter baptizantur, [2] ut in eis « regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. « *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, « non potest introire in regnum Dei.* [3]

« 5. Si quis per I. C. D. N. gratiam, quae in baptismate « confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut « etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam « peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi aut « non imputari; a. s. In renatis enim nihil odit Deus, quia « nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt [4] cum « Christo per baptisma in mortem; qui non secundum car- « nem ambulant, [5] sed, veterem hominem exuentes, et novum, « qui secundum Deum creatus est, induentes, [6] innocentes, « immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, haere- « des quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil pror- « sus eos ab ingressu caeli remoretur. Manere autem in « baptizatis concupiscentiam vel fomitem haec sancta syno- « dus fatetur et sentit; quae quum ad agonem relicta sit, « nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi « gratiam repugnantibus non valet; quin imo qui legitime « certaverit, coronabitur. [7] Hanc concupiscentiam, quam ali- « quando Apostolus peccatum appellat, [8] sancta synodus « declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse pec- « catum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum « sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si « quis autem contrarium senserit, a. s.

[1] Rom., v, 12.
[2] *Conc. Carth.* (418), iuxta Aug.
[3] Ioann., iii, 5.
[4] Rom., vi, 4.
[5] Ib., viii, 1.
[6] Gal., iii, 27. – Ephes., iv, 24. – Coloss., iii, 9, 10.
[7] 2 Tim., ii, 5.
[8] Rom., vi, 12; vii, 8.

« Declarat tamen haec ipsa sancta synodus, non esse suae « intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato « originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam « Dei Genitricem; sed observandas esse constitutiones fel. « rec. Sixti Papae IV,[1] sub poenis in eis constitutionibus « contentis, quas innovat ».

Ordo huius Membri.

In hoc Membro, uti iam diximus, S. Thomam ita sequemur, ut quae de peccato originali habet in I-II, ex aliis locis sive ipsius *Summae,* sive aliorum eius scriptorum, praeter alias auctoritates, compleamus. Iamvero in hac *Summae* parte Angelicus agit 1) de peccati originalis *traductione,* 2) de eius *essentia,* 3) de eius *subiecto.* Hoc igitur ordine, cuius in decursu tractationis meritum lucide apparebit, servato, agemus insuper 4) de peccati originalis *poena,* et demum 5) de eius *remissione.* Quinque ergo Capitibus argumentum comprehendetur.

CAPUT I.

DE PECCATI ORIGINALIS TRADUCTIONE.

(I-II Quaestio LXXXI).

I. **De Ordine Quaestionis.** - Dogma peccati originalis consistit in transmissione cum natura peccati cuiusdam non personaliter a contrahente commissi. *Quodnam* est hoc peccatum? *Ad quosnam* transit illud? *A quonam?* En tria quaesita quae S. Thomas, praesertim quoad *factum,* in praesenti Quaestione solvit. Primum autem et secundum bipartito dispescuntur. Etenim statuto (art. 1) quod primum peccatum protoparentis traducitur, remanet quaerendum utrum talis traductio sit singularis pro hoc unico peccato (art. 2). Pariter, secundum quaesitum investigatur modo affirmativo (art. 3) et modo exclusivo (art. 4). Tertium unico articulo (5) absolvitur.

[1] C. 1, 2, *Extrav. comm.,* III, 12.

ARTICULUS I.

UTRUM PRIMUM PECCATUM PRIMI PARENTIS PER ORIGINEM TRADUCATUR IN POSTEROS.

I. **De ipsa Quaestione.** - Hic articulus est totius tractationis fundamentum. Nec fundamentum modo, sed iam quasi totum aedificium paucis virtute continet. Etenim discrepat S. Thomas ab his theologis qui gradatim prius probant factum, dein modum facti inquirunt. Ab ipso enim exordio modum a facto vix seiungit. Eadem methodo alibi vidimus Angelicum utentem in aliis mysteriis elucidandis, v. gr. in principio tractatus de SS̃ma Trinitate, ubi simul et factum processionum probat, et modum earumdem illustrat. Quum autem magni momenti sit, hisce praesertim temporibus, ipsum factum auctoritatibus, historiaeque documentis demonstrare, huic probationi sedulius incumbere operae pretium erit.

Dissertatiuncula praevia.

In hac brevi dissertatiuncula 1) ex Scripturis; 2) ex traditione constanti Ecclesiae, 3) ex expressa eiusdem auctoritate dogma peccati originalis vindicabimus; 4) dein inquiremus utrum per investigationem mere naturalem idem dogma possit efficaciter demonstrari; demum 5) mysterium aliqualiter illustrare conabimur.

1. *Scripturae* documenta praesto sunt tum in Veteri, tum in Novo Testamento.[1]

A) In Vetere Testamento habemus testimonia sequentia:

1) Ex tota narratione Mosaïca de creatione et lapsu primi hominis videmus, non Adam solum, sed et progeniem eius poenas parentis tulisse: mors omnes invasit, concupiscentiae omnes subduntur, omnes a Paradiso degunt expulsi, omnes pro sexu ea experiuntur, quae vindex Deus Adamo et

[1] Credimus non nihil deficere Tanquerey quando scribit: « In V. Test. transmissio peccati Adae in posteros nonnisi implicite et obscure traditur; attamen, accedente N. Test. et Patrum auctoritate, quaedam vestigia huius doctrinae inveniuntur » (op. cit. n. 903).

Evae minatus erat. Iam vero hoc factum rationem habeat oportet. Quamnam rationem, nisi solidaritatem primum hominem inter et eius progeniem, qua solidaritate fiat ut status iram Dei provocans a primo parente in prolem eius transierit? Hoc autem est peccatum originale. Eodem sensu

2) legimus in libro *Sapientiae:* « Deus creavit hominem « inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit « illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem ter- « rarum ».[1] Allusio ad narrationem Mosaïcam de serpente Evae tentatore est manifesta. Ad totam vim huius loci perpendendam observa: *a*) immortalitatem et imaginem similitudinis Dei intime coniungi, quasi per hanc ratio illius reddatur; *b*) mortem describi ut orbem universaliter invadentem; *c*) hanc mortem proin, ex tentatione diabolica secutam, ad omnes extendi propter nexum traductionis ex illo quem tentatio devicit. - Eodem omnino sensu in libro *Ecclesiastici* legitur: « A muliere initium factum est peccati, et per « illam omnes morimur ».[2] In quo, si minus expresse affirmatur originale donum immortalitas, magis expresse proclamatur extensio mortis ad omnes. Invidia autem diaboli fuit mulieris tentationis instrumentum, unde et ipsa vocari potest initium.

Utrumque hoc argumentum, etsi maxime suasivum, non est omnino stringens, nisi ad demonstrandam existentiam originalis *poenae;* nam *peccatum* originale, id est, rationem *culpae* in hac poena, non expresse, suasive tamen valde, demonstrat.

Quae ratio culpae ex duobus aliis locis Veteris Testamenti efficacius evincitur.

3) In psalmo poenitentiali L, David canit: « Ecce enim « in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit « (fovit) me mater mea ».[3] Qui locus in hebraïco textu adhuc efficacior est propter numerum singularem בְּעָוֹן in iniquit*ate*, וּבְחֵטְא et in pecca*to*. Iam vero haec iniquitas, hoc peccatum non potest intelligi de matre, quum iusta fuerit, legitima

[1] II, 23 sq.
[2] *Eccl.*, XXV, 33.
[3] ℣. 7.

uxor.[1] Ergo praedicatur in Davide de aliquo peccato quocum conceptus et natus sit. Quod quale erit, nisi originale? Optime Augustinus: « Numquid David de adulterio natus « erat? [2] De Iesse, viro iusto, et coniuge eius. Quid est, quod « se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas « ex Adam? ». [3]

Monet tamen prudenter de hoc argumento Palmieri, [4] posse hunc locum intelligi de concupiscentia, [5] ac proin iam, saltem quoad hanc, habere vim contra Pelagianos. At contra eos qui admittunt quidem transfundi poenalitates concupiscentiae, mortis, vitiataeque naturae, non autem culpae reatum, hic locus non habet per se vim apodicticam. Acqui-

[1] Equidem scio, nonnullos ob hunc versum, hac eadem ratione motos, negare huius psalmi auctorem esse regem David. Sed haec ratio nimis debilis est quam ut tam constantem traditionem infringat.* Imo ex contextu apparet, hoc versu tamquam veniae argumentum afferri iniquitatem originis qua homo nascitur debilis, et divinam inde misericordiam provocat. Quare haec verba non solum sunt splendida confessio labis originalis, sed nullam aliam plausibilem interpretationem patiuntur: « A significare il peccato originale potea egli, Davide, valersi di termini più « chiari? Con che in prova di questo dogma ci vengon forniti due splendidi argo- « menti e sono la evidenza della enunciazione e la incoerenza o l'assurdità di qual- « siasi altro senso appiccato a queste parole ». Così il Patrizi. ** Quare frivolum est ex his verbis contra Davidicam originem psalmi arguere, quia non potuisset ita loqui de matre sua. Nam intendit loqui non de matris peccato, sed de peccato originis a matre accepto. Pariter nulla est ratio petita ex verbis « tibi soli peccavi », quia peccavit et in Bethsabaeam et in Uriam. Verba enim « tibi soli » significant modum ita absconditum quo peccatum erat commissum, ut ad illud tegendum David secreto stratagemate sit usus. *** Nec est igitur cur ab hac tam venerabili traditione recedatur, collocando psalmum hunc inter eos qui exilii tempore sunt confecti. Etenim ultimi duo versiculi potuerunt optime hac aetate adiungi, ut ita Davidicus psalmus nationis simul poenitentiam exprimeret. ****

[2] Hoc utique falso quidam rabbini posteriores opinati sunt.

[3] *Enarrat. in Ps.* L, n. 10. Cfr. Ambrosium (*De Poenit.*, l. I, c. 3, n. 13), Hilarium (*in Ps. 118*), Origenem (*in Levit. hom. 7 et 8*).

[4] Op. cit., p. 53.

[5] Attamen vocabula עָוֹן et חֵמְאָה in V. T. hunc sensum nunquam habent.

* Optime Patrizi: « Ogni buon cristiano rimarrebbe scandalizzato di chi negasse « o anche solo mettesse in dubbio essere il *Miserere* composizione di Davide. Tale « comune credenza è conforme a quanto raccogliesi dalla testimonianza del titolo, « dall'argomento in esso accennatone e da quegli altri indizi ai quali si riconoscono « i salmi del re profeta » (*Cento Salmi*, Roma, typ. Propag. Fide, 1875, p. 171).

** Ibid., p. 173.

*** Secretum peccati confirmatur per verba Nathan: « Tu enim fecisti absconditum: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël » (II Reg., XII, 12).

**** Nimis facile ab hac traditione recedunt editores recentissimi operis *Il Nuovo Testamento e i Salmi* (Società « *Fides et Amor* », edit. Firenze, 1917, p. 96 sq.).

rit tamen maiorem efficaciam ex parallelismo inter c. VII, *epist. ad Rom.*, de concupiscentia, et c. V, de peccato originali, iuxta doctrinam S. Augustini.

4) Pariter Iob exclamat: « Quis potest facere mundum de « immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? »[1] מִי־יִתֵּן טָהוֹר מִטָּמֵא לֹא אֶחָד Hebraicus textus habet, simplicius sed, quoad rem, non minus valide: « Quis dabit « mundum de immundo? non unus ».[2] Itala, quacum concordat versio LXX, – quamque Patres passim citant,[3] – legit: « Qui « mundus a sorde? non unus, etiamsi unius diei sit vita eius « super terram ». Haec lectio est magis efficax, quatenus intime coniungit versum cum sequentibus, excludendo ita sensum culpae personalis; minus autem efficax est, quatenus, vertendo *a sorde,* relationem ad principium originis humanae minuit. Connexio intima inter versum 4 et 5 suadetur per particulam אַמ. Caeterum vis praecipua huius loci consistit in hoc quod absolutissimo modo excludit possibilitatem ut aliquis sine sorde exsistat. Hoc autem undenam demonstrari poterit, nisi ex culpa aliqua per viam originis naturam pervadente?

Utrumque textum de peccato originali ita interpretatur Origenes: « Audi David dicentem: " In iniquitatibus „, etc., « ostendens quod quaecumque anima in carne nascitur, ini- « quitatis et peccati sorde polluitur. Et propterea dictum « est illud quod superius commemoravimus, quia " nemo « mundus a sorde, nec si unius diei vita eius „. Addi his « etiam potest ut requiratur quid causae sit, cum baptisma « ab Ecclesia pro remissione peccatorum datur, secundum

[1] Iob., XIV, 4.

[2] De hoc hebraico textu ita habet Palmieri: « Spectatis etiam verbis hebraicis « adhuc quoad substantiam integra sententia manet; nullum esse mundum de im- « mundo, quibus verbis obscurius quidem, sed certe potest significari, nullum esse « mundum, qui de immundo semine concipitur ». * Pariter Van Noort ait: « Conce- « dendum est, lectionem hebraicam minus claram esse, sed reapse versiones LXX (cum « qua *Itala* conveniebat) et *Vulgata* ostendunt, qua ratione traditio synagogae et « Ecclesiae locum intellexit ». **

[3] GELASIUS (*Epist. ad epp. Pinceni*) utramque versionem Italam et Vulgatam in unam conflat, et Hieronymus, auctor alterius, priorem adhuc postea citat (cf. *Dialogum ctr. Pelagianos,* l. I, n. 32).

* Op. cit., p. 55 sq.

** Op. cit., n. 231, *c.*

« Ecclesiae observantiam etiam parvulis baptisma dari; cum « utique si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem debe- « ret et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua « videretur ».[1]

5) Haec ipsa culpa rationem continet *circumcisionis*,[2] tamquam ritus populo Dei adscribentis; in qua ideo Patres figuram agnoscunt sacramenti in remissionem culpae originalis instituti. Ita cum Augustino,[3] Gregorius M., Isidorus, Beda, Bernardus, Hugo Victorinus, Innocentius III, aliique theologi passim.[4]

6) Sed et *tota oeconomia* Veteris Testamenti quid aliud erat, nisi implicita proclamatio status lapsi, in quo genus humanum gemebat, et unde non poterat nisi per promissum Redemptorem erui? Huc tendit ipsa electio Israël ex omnibus aliis populis; huc vaticinia de venturo Salvatore: « Popu- « lus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habi- « tantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis ».[5]

Veniat iam ille Messias, et tum *Praecursor* eius, tum *ipse*, tum *Apostoli* audiantur eamdem veritatem non solum supponentes, sed explicitius confirmantes et declarantes

B) E *Novo* igitur *Testamento* sequentia argumenta afferre satis sit.

7) *Ioannes Baptista* contuens Christum ad se venientem, illumque turbis ostendens, exclamat: « Ecce Agnus Dei, ecce « qui tollit peccatum mundi, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσ-

[1] *Homil.* VIII *in Levit.* Ex hoc loco, collato cum aliis locis in l. III *Cantic.* et in libro IV *Contra Celsum*, n. 40, colligitur Origenem, etsi Platonismo quoad originem adhaeserit, non ita tamen peccatum originale negasse. Quare hac in re excessiva nobis videtur sententia Card. Norisii (*Hist. Pelag.* l. I, c. 1) et aequior Huetii (*Origenian.*, l. II, c. 2, q. 8, n. 24).

[2] De circumcisione data opera agemus in tractatu *de Sacramentis*.

[3] *De peccato orig.*, n. 35, 36. – Imo * ex ipso textu legis arguit ad demonstrandum quomodo culpa personalis parentum possit imputari et a Deo puniri in filiis. Confert enim inter se illud: « Quo die comederitis, morte moriemini », et illud: « Mascu- « lus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima eius de populo suo, « quia pactum meum irritum fecit ». **

[4] Cf. Vasquezium, in 3, p. II, d. 165, c. 1

[5] Is., IX.

* *Civit. Dei*, l. 16, c. 27.

** *Gen.*, XVII, 14.

« μου ».[1] Quodnam est hoc peccatum singulare (τὴν), totius mundi, nisi originale, totum hominem pariter afficiens? Unde sensus est: « Ecce instaurator generis lapsi, peccato « generis onusti ».

8) Talem se *Christus* fatetur. *a*) Docet enim omnibus esse renascendum, ut regnum Dei videre valeant: « Nisi « quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei ».[2] Curnam, nisi quia omnes extra regnum Dei in tenebris peccati nascuntur? – *b*) Docet fidem in se, id est, in restauratorem humani generis, esse omnibus unicam viam salutis. « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari « oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipsum, non « pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit « mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui « credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam ».[3] Undenam hic modus loquendi, tam absolutus, nisi quia totus mundus salvari indiget; et cur indiget, nisi quia generis culpa periit totus? – *c*) Quare sacramentum novae nativitatis ex Deo, fit magnum instrumentum christianae praedicationis. « Euntes... docete omnes gentes, baptizantes eos in « nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».[4] – *d*) Rationem totius huius doctrinae ipse Christus ab initio apostolatus sententia brevissima comprehenderat, dicens: « Quod natum est « ex carne, caro est ».[5]

9) Hanc fidem ecce *Apostoli* ubique spargunt. Consulamus eos circa peccatum universaliter ab Adamo traductum. Prae omnibus locis eminet argumentatio S. Pauli ad Romanos c. V.[6] In eo Apostolus totus est ut ostendat, Christum per mortem suam genus humanum ab ira liberasse. Versus 8 et 9 iam

[1] Ioann., I, 29.

[2] Ioann., III, 3.

[3] Ibid., 14, 15, 16, cf. et 17, 18. – Quae prima verba citans Card. Mercier, ait: « Aussi saint Jean a-t-il dit... ».* Cur non haec verba ipsi Christo directa tribuit?

[4] Matth., XXVIII, 19.

[5] Ioann., III, 6.

[6] Inter recentiores auctores qui de hoc capite scripserunt, cfr.: Patrizi, *De pecc. orig. propagatione a S. Paulo descripta* inter *Commentationes tres*, Romae, 1851. De sensu v. 13 et 14; Beelen, in hunc locum: Corluy, *Spicileg.*, t. I, p. 243 sq.; Tobac, *Le problème de la justification dans St Paul*, Louvain, 1909, p. 80 sq., aliosque decursu huius expositionis afferendos.

* Op. cit., p. 27.

continent doctrinam de qua quaerimus. « Commendat autem « charitatem suam Deus in nobis; quoniam *cum adhuc pec-* « *catores essemus,* secundum tempus, Christus pro nobis « mortuus est; multo igitur magis nunc iustificati in san- « guine ipsius, salvi erimus *ab ira* per ipsum ». Etenim absque ulla limitatione omnes affirmantur prius peccatores, dein salvati ab ira. Curnam, nisi quia omnes nascuntur peccatores, ira digni? Quemadmodum ipse Apostolus alibi expresse declarat: « *Nos omnes*... *eramus natura* (φύσει) *filii* « *irae* ».[1]

10) Sed sequentia omne dubium tollunt, rationemque exponunt propter quam nemo excipitur ab illa ira, ab illo originis peccato. Postquam Paulus addidit, multo magis iam sanctificatis in Christum salutis consummatorem esse sperandum (℣. 10), imo in Deo per reconciliatorem gloriandum (℣. 11), incipit sequentibus versibus opponere sibi invicem duo humani generis capita, primum scilicet et secundum Adamum, alterum auctorem mortis, alterum auctorem vitae. Hanc autem comparationem hoc ordine evolvit. Primo elliptice ac fusius, a ℣. 12 usque ad ℣. 17; secundo brevius sed sine ellipsi ℣. 18-20; demum ℣. 21, quoad verba ℣. 12 reducens, totum brevissima sententia argumentum absolvit. Quare en hac sola appellatione « novi Adami » potest doctrina de exitiali influxu Adami in posteros suos efficaciter erui.

Comparatio autem utrimque, scil. in ℣. 12-17, et in ℣. 18-20, ita exhibetur ut excedat a parte beneficiorum in Christi membra redundantium. « Sed non sicut delictum ita et « donum » (15). « Ubi autem abundavit delictum ita supera- « bundavit gratia » (20). – Utrimque pariter solvitur obiectio petita ex Lege quae poenam mortis in peccatum statuit. « Usque ad legem enim, etc. » (13, 14). « Lex autem subin- « travit », etc. (20). Ellipsis autem in hoc consistit quod in periodo incipiente a ℣. 12: « Propterea sicut ... » non exprimitur apodosis. Sed suspensa manente sententia, Apostolus occurrit immediate obiectioni petitae ex Lege, et solutionem claudit verbis apodosi aequivalentibus: « qui est forma « futuri » (14). In versibus autem quibus comparationem

[1] Ephes., II, 3.

reassumit: « Igitur sicut ... » (18-20), utrumque membrum aeque exprimit.

His de nexu sermonis usque ad capitis finem praemissis, iam ad ℣. 12-14, e quibus princeps probatio desumitur, enucleatius evolvendos accedamus.

12. Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθεν, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.

Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

13. Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ, ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου.

Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.

14. Ἀλλὰ ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωϋσέως καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ, ὅς ἐστιν τύπος τοῦ μέλλοντος.

Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.

Quo plenior huius loci vis appareat, quaedam de textu graeco cum latina versione conferenda sunt.

a) in ℣. 12 vox ἁμαρτία determinatur articulo; dum in ℣. 13 ponitur sine articuli determinatione. Unde iam praesto est intelligere de alio peccato agi in primo versu ac in altero; scilicet in ℣. 12 de peccato singulari, originaliter in omnes transeunte, sicut superius vidimus in exclamatione Ioannis Baptistae;[1] in ℣. 13 de personalibus peccatis a quovis peccatore commissis.

b) In eodem ℣, in commate « ita in omnes homines mors « pertransiit », vocabulum mors ὁ θάνατος, non semper adest. Carent eo graeci codices E. F. G, – pariter codex D in utraque lingua. Comma sine hac voce citat Augustinus; imo adhuc saeculo v apud Leonem M. et Gelasium absque ea recurrit.

c) Controversia non levis est de sensu locutionis ἐφ' ᾧ, utrum significet in sensu relativo *in quo Adamo*, an in

[1] Ioann., i, 29.

sensu causativo [1] *eo quod*. In sensu relativo ᾧ est masculini generis; in altero vero, neutri: aequivalet enim formae ἐπὶ τουτῳ ὅτι, *propterea quod*, quod brevius, redditur *eo quod* vel *quia*. [2]

Praepositionem ἐπὶ cum dativo in sensu causativo apud classicos occurrere, notum ducimus. [3] Sed neque ab ipsa graecitate Scripturae id alienum est. Dicit enim Paulus: « Sequor « autem, si quomodo comprehendam, ἐφ' ᾧ καὶ κατελήμφ- « θην ὑπὸ Χριστοῦ Ἰησοῦ ». Quod Vulgata vertit *in quo*: « In « quo et comprehensus sum a Christo Iesu »; sed cum significatione: *eo quod*, quae unica huic loco dari potest. [4] Ex altera parte, particulam ἐπὶ posse in graeco scripturistico habere sensum ἐν, *in*, apparet ex proximo ℣. 14 et ex aliis pluribus locis. [5] Nec deest comma in quo locutio ἐν ᾧ vertitur modo simili ac ἐφ' ᾧ, *in eo, in quo*, cum significatione causali. [6]

Stat igitur in ℣. 12 locutionem ἐφ' ᾧ verti posse *eo quod*. Quaeritur iam utra praeferenda sit: *eo quod omnes peccaverunt*, quemadmodum occurrit in alia sententia S. Pauli: « Ingemiscimus gravati eo quod (ἐφ' ᾧ) nolumus expo- « liari », etc. [7] an *in quo omnes peccaverunt*.

[1] Hugo Victorinus intelligit: « in quo peccato ». Quod ita potest exponi: « In eo « omnes peccaverunt, id est peccato rei tenentur ». * Sed, etsi versio latina hanc interpretationem sinit; non ita textus graecus ob genus femininum vocis ἁμαρτία. E contra, quum vocabulum *mors* θάνατος sit in graeco masculini generis, aliqui intellexerunt *in qua morte*, sed iste sensus non praebet nisi sat vacuam tautologiam cum inciso praecedenti.

[2] Cave ne confundas *eo quod* cum *propter quod*. Prius repraesentat causam (*parce que*), alterum exhibet effectum ex causa sequentem (*c'est pourquoi*).

[3] Cfr. Theophilus (*Ad Antol.*, 2) et Plutarchus (*de Pyth.*); cfr. et veteres grammatici Phavorinus et Thomas Magister.

PHIL., III, 12.

[5] Cfr. MARC., XI, 4; II COR., IX, 6; HEBR., IX, 10, 27.

[6] HEBR. II, 18: « In eo enim in quo (ἐν ᾧ) passus est ipse et tentatus, potens « est eis qui tentantur auxiliari ».

[7] II COR. V, 4. Ad hunc locum provocat Photius ut locutionem in sensu causativo explicet. Etenim allata duplici interpretatione, in quo Adamo, in qua morte, ait: « Mihi neutrum placet: nam Ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον praesenti loco nec personam « aliquam nec tamquam personam repraesentat, sed potius causam indicat, quasi diceret « ἐφ' ᾧ π. ἥ. id est διότι π. ἥ. Atque certo extant apud profanos auctores sexcenta « huius modi locutionis exempla; sed sufficit nobis divus Paulus, qui suam nobis sen- « tentiam explicat », scil. per II Cor., V, 4. **

* *Summa Sent.*, tract. III, c. 10, col. 105.

** *Quaest. 84 ad Amphil.* alias epist. 152. – *P. G.*, t. CI, c. 553.

Si *grammatice* textum inspicimus, vix negari potest primo intuitu priorem lectionem maiori probabilitate gaudere. Etenim aliter illud ᾧ referendum est ad substantivum maxime distans, scilicet ad *unum hominem*;[1] quod gravem rationem expostulat.

Iam vero potestne talis ratio sat cogens erui, ex significatione doctrinali huius loci? Haec ratio non videtur urgenda nimis. Nam argumentum de peccato originali ex hoc loco deductum vim suam servat si legitur *eo quod*. Utique, si dubium esse posset de quonam peccato loquatur Apostolus in verbis « eo quod omnes peccaverunt », probatio debilitaretur, imo quasi evanesceret. Sed quum hoc peccatum nullum aliud esse possit nisi illud ἡ ἁμαρτία de quo in toto versu sermo est, stat firmum argumentum. Si minus fortiter continentiam in Adamo, lectio *eo quod* fortius exprimit causalem nexum inter peccatum generis humani et peccatum unius hominis. Unde iam olim Card. Bellarminus et Cornelius a Lapide agnoverunt, et lectionem *eo quod* dogma de peccato originali efficaciter exprimere.

Strictior insuper secundum hanc lectionem apparet in versu parallelismus, et quidem per chiasma dispositus. In primo membro habemus causam (peccatum) effectum (mortem) producentem (per); in altero effectum eumdem (mortem) ad eamdem causam (peccatum) reductum (eo quod).

Quare philologice re inspecta proferenda videtur interpretatio *eo quod*, utpote magis naturalis, nec minus efficax.[2]

Nec magnam suam probabilitatem interpretatio causalis amittit, si traditionem consulimus. Sane *a*) huic lectioni favent

[1] Hanc considerationem grammaticam fortiter ita exponit doctus Patrizi: « Qui « enim pronomen relativum queat ad Adamum pertinere tam longe distantem, duabus « enuntiationibus, in quibus ne obiter quidem comparet, interiectis? ». *

[2] Nonnihil excedere censemus cl. Prat, quando scribit: « Hâtons-nous d'ajouter « pour rassurer les théologiens, qu'en traduisant " parce que tous ont péché ,, comme « l'exige la logique, la grammaire et le texte, non seulement toutes les parties de « la phrase se suivent et s'enchaînent mieux, mais l'argument gagne en clarté et « en force probante ». ** Missa locutione parumper sarcastica: « pour rassurer les théologiens », vocabulum « exige » nimis affirmat. Si enim « la logique, la grammaire

* Op. cit. Lege in oppositum obiectionem professoris A. I. Maunoury, *Examen du texte: in quo omnes peccaverunt: « Réponse d'un grammairien »*, 1877. – Cf. PALMIERI, op. cit. p. 20 sq.

** *La Théologie de St Paul*, Paris, 1908, I, p. 297.

antiquissimae versiones: Syra: *in eo quod* seu *propterea quod;* Aethiopica: *quoniam,* in omnes homines imputatum est hoc peccatum; Armena *sicut* (cf. Philipp., IV, 10). – *b*) E Patribus Graecis, causaliter ἐφ' ᾧ intelligunt Origenes, Theodoretus, Cyrillus Alexandrinus, Theodorus Mopsuestenus, nec in oppositum potest efficaciter adduci Chrysostomus, uti bene illustrat Palmieri.[1] – *c*) Apud Latinos, ante Augustinum causaliter explicat ἐφ' ᾧ Pacianus,[2] illud simul reddens uti per synonyma *in quo* et *enim.* Et Rufinus, Origenis interpres, illud reddit per *in eo in quo.*[3] Post Augustinum[4] praevaluit sensus relativus, quin tamen de relationis termino esset consensus: nam praeter communiorem sensum « in quo Adamo », aderat alius « in quo peccato »[5] (repugnans ob genus vocis graecae), et tertius « in qua morte ».[6] Nil mirum proin interpretationem in sensu causali instaurasse Erasmum, innovationum utique amatorem, sed et classici sermonis, antiquitatisque minime ignarum.

Contra Erasmum Estius ostendit, praepositiones ἐπί, ἐν et εἰς apud Paulum et Lucam in *Actis* indifferenter adhiberi pro

et le texte » hanc lectionem re vera « exigerent »,* quomodo tam praeclari scriptores aliam lectionem praetulissent, alii inter utramque ancipites mansissent? Nec simpliciter verum consensus argumentum per hanc lectionem fieri magis probans. Nam, uti diximus, in peccato originali duplex habetur respectus: alter reatus, alter transfusionis; transfusio melius illustratur per lectionem *in quo* (Adamo); reatus culpae directus exprimitur per lectionem *eo quod.* Insuper Pelagiana explicatio efficacius excluditur per lectionem quam secutus est S. Augustinus.

Modeste Van Noort, allata utraque lectione, concludit: « Caeterum argumentum « pro existentia peccati originalis idem prorsus manet. Etsi enim legeris: " quia « omnes peccaverunt „, omnino subintelligendum est " in Adamo „, uti patet ex « versibus sequentibus ».**

[1] Op. cit., 22, sqq.

[2] *In serm. 2 de Bapt.*, n. 2.

[3] *In Epist. ad Rom.*, c. V, 12, cuius textus graecus deperit.

[4] Augustinus, in tertio inciso V. 12, non legebat vocem « mors », et quum subaudiret interdum « peccatum », non bene poterat incisum quartum intelligere causaliter, ne incideret in tautologiam. Caeterum Augustinus reiiciebat interpretationem Iuliani in sensu consequentiae per imitationem, qui non est confundendus cum *propterea quod* in sensu logicae consequentiae per continentiam.

[5] Cfr. AUGUSTINUS, *De Pecc. meret. et remiss.*, l. II, c. 10.

[6] Ibid., l. IV, *ad. Bonif.*, c. 4.

* Quis nesciat quam caute hoc criterium adhibendum sit, ubi agitur de scriptore tam impetuoso, qui non raro logicae laqueos veluti spernens, ad ingenii impulsum per saltum incedit?

** *Tract. de Deo creante*, s. III, c. 3, p. 158.

una praepositione latina *in*. Unde in proximo contextu « in « similitudinem praevaricationis Adae » graece legitur ἐπὶ ὁμοιώματι. Alia id genus exempla doctus exegeta adducit. Quum eruditus Richardus Simon versionem Erasmi accepisset,[1] Bossuetius quatuor argumentis lectionem latinam *in quo* fortiter defendit: 1) quia est versio Ecclesiae; 2) quia quatuor Concilia, Milevitanum scilicet, Carthaginiense, Arausicanum et Tridentinum ex ista lectione argumentum deducunt; 3) quia lectio *eo quod*, a Pelagianis introducta, ex antiquis a solo Theodoreto fuit acceptata, cuius hac in re auctoritas est potius suspecta;[2] 4) quia versio *in quo* tantopere est contextui et logico nexui consona, ut ad sensum *in quo* confugere debeant, qui propugnant versionem *eo quod*. En haec ultima verba Bossuetii: « Voulez-vous, au lieu d'*en qui*, « mettre *parce que?* Vous n'échapperez pas pour cela à la « vérité qui vous presse: la mort a passé à tous, parce que « tous ont péché. Il faut donc trouver le péché partout où « on trouvera la mort. Vous la trouverez dans les enfants; « trouvez-y donc le péché. S'ils sont du nombre de ceux « qui meurent, *par votre propre traduction*, ils sont du « nombre de ceux qui pèchent. Ils ne pèchent pas en eux- « mêmes. C'est donc en Adam, et malgré que vous en ayez, « il faut ici de vous-même rétablir l'*in quo* que vous aviez « voulu supprimer. On y est forcé par la seule suite des « paroles de St Paul ».[3] Integrum textum Bossuetii lege apud Card. Billot, qui interpretationem *in quo* sensu causali fortiter tuetur.[4]

Palmieri e contra ita suam expositionem claudit: « De- « monstratum est ergo non solum nihil impedire quominus « dictio *in quo* accipiatur sensu causali, imo hanc interpre- « tationem sive habita ratione vis dictionis per se, sive eius

[1] Idem fecerunt Cardinales Caietanus et Seripandus. Cardinalis Toletus eam liberam iudicat, tolerat Estius, dum eam ob rationem dogmaticam suspectam habet Calmet. Et sane, de quo forte non satis agnoscit laudatus Thys, * quaestio haec non est « mere philologica »; nisi quatenus utraque lectio, iuxta praedicta, aeque efficaciter dogma catholicum affirmat.

[2] Haec assertio non est omnino vera, uti ex supradictis patet.

[3] *Défense de la tradition et des Sts Pères*, l. VII, c. 12.

[4] Op. cit., p. 153 sqq.

* Op. cit. p. 17.

« usus in Scripturis, sive interpretationis veterum versionum « et graecorum Patrum legitimam esse et maxime commen- « dabilem ».[1] Quam sententiam amplectuntur quoque Patrizi,[2] Beelen,[3] Thys,[4] Tobac,[5] aliique non pauci exegetae et theologi apprime catholici.

Nec obiicias, catholicam formulam: « omnes in Adamo « peccaverunt » derivari ab interpretatione expressionis ἐφ' ᾧ in sensu relativo « in quo Adamo ». Haec formula est quidem catholica; sed suam vim catholicam imprimis derivat a doctrina catholica quam exprimit; quae quidem, materialiter sumpta, magis respondet interpretationi « in quo Adamo »; sed, formaliter intellecta, non minus deducitur ex interpretatione « eo quod omnes peccaverunt », scilicet in ipso Adamo. Simile aliquid vidimus in tractatu *De Deo trino*. Formula: « Tres sunt qui testimonium dant in caelo: Pater, « Verbum et Spiritus, et hi tres unum sunt », est quidem apprime catholica, et manifesto derivatur a famoso commate Ioanneo.[6] Non ideo tamen istud comma demonstratur critice genuinum.

Caeterum, uti iam ostendimus, plenus sensus incisi « in « quo omnes peccaverunt » utramque interpretationem relativam et causalem continet: « eo quod in Adamo omnes « peccaverunt »; et ita, veluti per aliquam attractionem seu compenetrationem, altera alteram complet.[7]

c) Demum non tacenda est varia lectio recurrens in ℣. 14. Dum omnes codices graeci, paucis minusculis exceptis, omnesque veteres versiones habent:[8] « in eos qui *non* pec- « caverunt », ante aetatem S. Hieronymi non pauci codices particula negativa carebant. Quam lectionem Ambrosiaster

[1] Op. cit., p. 30.

[2] Op. cit.

[3] Comment. in epist. ad Rom. hoc loco.

[4] Op. cit., p. 18. « Hinc alteri interpretationi omnino standum esse putamus ·.

[5] Op. cit.

[6] 1 Ioann., v, 7.

[7] Exemplum adduci potest ex versiculo hymni *Te Deum*: « Tu ad liberandum « suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum », in quo per contractionem vocabulum « hominem » semel positum, bis est intelligendum: « tu suscepturus homi- « nem ad hominem liberandum ».

[8] Imo iam in fere omnibus *non* aderat tempore S. Augustini (cf. *De peccat. mer. et remiss.*, l. I, c. 11).

tuetur uti genuinam. Sed erronee. Contextus enim exigit formam negativam. Unde et meliores vetusti codices latini eam exhibent, uti Amiatinus, Claromontanus, codex S. Pauli ac Sangermanensis.[1]

2) Haec de textu latino cum originali collato. Iam huius loci doctrinam paucis evolvamus.

In versu 12 Paulus protasin periodi elliptice profert, et, quin adiungat apodosin, immediate obiectioni occurrit.

Per unum hominem peccatum in mundum intravit et per peccatum mors (hucusque habemus personale Adami peccatum cum poena ipsi debita). Haec autem mors in omnes homines pertransiit, quia omnes homines peccaverunt. Quo peccato nisi eodem? Secus quid de morientibus infantibus, quid de universalitate mortis? Iam vero si peccaverunt eodem peccato, utique per ipsum, in ipso peccaverunt; quatenus ipse erat omnes repraesentans (unde vide utramque lectionem in idem incidere).

Bene cl. Laminne de hoc Pauli testimonio scribit: « Ce « que l'Apôtre enseigne, ce n'est pas seulement l'universa- « lité de la mort comme châtiment du péché, c'est l'univer- « salité du péché lui-même et cela par le fait du seul Adam. « Tous ont péché et cependant tous n'ont pas péché à l'imi- « tation d'Adam. Qu'est-ce à dire? Tous n'ont pas violé par « un acte personnel les ordres de Dieu comme Adam, mais « tous ont été enveloppés dans sa révolte ».[2]

Sed contra relationem, quam modo affirmavit, inter mortem universaliter saevientem et commune omnium in Adamo peccatum, Paulus fingit sibi obiicientem quasi mors poena peccati esset a lege, non a communi originali delicto. Quam obiectionem duplici responsione solvit. *a*) Talis imputatio peccati ad mortem existit utique in lege, sed non erat antequam lex esset (v. 13). - Adverte hic agi de personalibus culpis per legem puniendis, unde ἁμαρτία sine articulo ponitur. - *b*) Ab Adam usque ad Moysen mortui sunt etiam illi qui non per personalem inobedientiam, quemadmodum Adam, deliquerunt (v. 14). Optimo ergo iure S. Ioannes Chrysostomus ita arguit: « Unde palam est, non peccatum illud

[1] Cf. PALMIERI, op. cit., p. 16 sq.
[2] Op. cit., ch. II, p. 37.

« quod est legis transgressio, sed illud Adami peccatum « inobedientiae ipsummet fuisse, quod omnia perdidit. Et « quaenam huius rei probatio est? quia ante legem omnes « morerentur: regnavit enim mors, inquit, ab Adam usque « ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt ». [1]

Ex toto contextu apparet, errare Pelagium, qui contendit, peccatum Adami nonnisi pravo exemplo pravaque imitatione in omnes transiisse. Etenim directe contrarium affirmat Apostolus: omnes mortuos esse, et proin peccasse, – nam in tota argumentatione a morte ad peccatum concludit, – etiam eos qui non imitatione peccatum Adami instaurarunt.

Nec obiicias, ad vindicandam sententiam pelagianam de peccato per imitationem transfuso, parallelismum inter sententias: omnes peccaverunt (huius loci) et « omnes enim « peccaverunt et egent gloria Dei ». [2] Contextus enim demonstrat utrimque non agi de eodem adspectu peccati: nec valet parallelismus materialis contra sensum clarum. Optime Palmieri: « Usus parallelismi utilis est, cum contextus est « obscurus; cum vero contextus est clarus, ipso relicto, ad « parallelismum confugere ineptum est ». [3]

Nec valet obiectio contra verum sensum peccati originalis hoc pacto inducta: ἡ ἁμαρτία in c. VI et c. VII est concupiscentia; ergo et hic. Etenim deficit consequens, si ex contextu appareat oppositum. Est tamen quoque concupiscentia, iuxta sententiam S. Augustini et S. Thomae, quae ex hoc modo loquendi Apostoli valide confirmatur. Etenim originale peccatum continet simul reatum culpae et reatum inordinatae concupiscentiae; haec autem altera in praesenti loco non intenditur nisi in obliquo et quatenus est vehiculum quo reatus culpae transfunditur.

Pariter erravit Hermes [4] reducendo sensum verborum « in « quo omnes peccaverunt », ad haec: in quo omnes proni facti sunt ad peccandum. Quae interpretatio, praeterquam

[1] Rom., III, 23.

[2] *Homil.* X. – Utrum ἐφ' ᾧ intellexerit *eo quod* an *in quo*, parum constat.

[3] Op. cit., p. 47.

[4] Hermesius * ex una parte ad sententiam Lutheri et Iansenii valde appropinquat, quatenus peccatum originale in concupiscentiae prava et haereditaria inclina-

* *Christ. cathol. Dogmatik*, III Theil., § 226.

quod est prorsus gratuita totique contextui necnon traditioni contraria, instaurat, uti loco suo data opera ostendemus, errorem Baii quoad essentiam peccati originalis.

Nec instes in favorem interpretationis Pelagianae ex versu 19 hoc pacto: ibi dicitur: « per inobedientiam unius hominis « peccatores constituti sunt *multi* »; atqui si *multi* dumtaxat et non omnes constituti sunt peccatores, S. Paulus arguit secundum transmissionem peccatorum personalium, ratione exempli et imitationis, non autem secundum transmissionem peccati originalis. – Resp. *a*) Universalitatem transmissionis, sine ulla exceptione, diserte Paulus affirmat in versibus superioribus 12, 15, imo in proximo ℣. 18. – *b*) Insuper Paulus ab universalitate mortis concludit ad universalitatem delicti; atqui in prima datur nulla exceptio, ergo nec in secunda. Haec indirecte. – Iam *c*) directe formula οἱ πολλοί significat multitudinem sive illimitatam, sive limitatam, sub ratione multitudinis. Quare optime concordat cum εἰς πάντες. – *d*) Quod ita heic locutio οἱ πολλοί sumi debeat, probatur ex modo quo in ℣. 15 praedicatur utrimque de influxu Adami in mortem et Christi in vitam.

Et sane interpretatio quam ℣℣. 12-14 dedimus, ad mentem Concilii Tridentini ℣. 12 adducentis, confirmatur ex ℣℣. 15 et 16, in quibus S. Paulus exaltat influxum Christi super influxum Adami. Etenim Apostolus affert duplicem excellentiam, qua prior alteri praestat. Prima ratio, in ℣. 15 allata, consistit in termino *ad quem:* altera ratio, in ℣. 16 expressa, consistit in termino *a quo*. Vel, paulum aliter, prima considerat formalem rationem continentiae tum in Adamo, tum in Christo;[1] altera, rationem efficaciae utriusque operis. Vel

tione reponit; ex altera parte ad Zwinglii sententiam accedit, quatenus negat, defectu voluntarii, originalem hanc « peccaminosam dispositionem haereditate acceptam, esse vere peccatum. *

[1] De hac comparatione eloquenter ait Lacordaire: « Nulle créature humaine, sauf « Adam, n'est en droit de se dire: " J'ai perdu le monde „; comme nul autre que « Jésus-Christ n'est en droit de se dire: " J'ai sauvé le monde „. Adam a ouvert la série des crimes, Jésus-Christ la série des grâces et des vertus; chaque homme ajoute à ces deux tables des mérites et des démérites propres, et greffe des solidarités secondaires sur la solidarité universelle; mais aucun n'est la souche, aucun n'est la « fleuve, aucun n'est l'unité primordiale d'où découle la perte ou le salut commun ». **

* Cf. de hoc errore Hermesii cl. Thys (*De pecc. origin.*, p. 195 sqq.).

** LXV *Confér.*

adhuc: prior considerat intensionem, altera extensionem. Utrumque versum seiunctim inspiciamus.

15. Ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτως καὶ τὸ χάρισμα· Εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσεν.

Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.

Vulgata editio ideo minus felix est, quod eadem locutio non utrimque eodem modo vertitur. Οἱ πολλοί vertitur *multi*, dum τοὺς πολλοὺς vertitur *in plures*. Inde oritur apparentia ac si Paulus in hoc versu comparationem institueret quoad numericam extensionem utriusque influxus. Quod falsum est. Etenim si ius consideras, paritas utrimque habetur. Si factum, maior est extensio mortis, quum nullam exceptionem patiatur, quam gratiae Christi, quae non ad omnes pervenit.

Vertatur igitur locutio οἱ πολλοί utrimque eodem modo, scil. in sensu generalitatis illimitatae (hanc enim versionem exigit universalitas mortis), et apparebit, comparationem hic institui quoad intensitatem influxus, sive quoad nexum continentiae, sive quoad terminum ad quem: perditionis ex una parte, quae consistit in mera substractione; et sanctificationis ex altera, quae consistit in reparatione per ipsam charitatem Dei. – Iam vero si hoc loco locutio οἱ πολλοί non potest intelligi nisi in sensu universalitatis, magis apparet cur in ℣. 19, propter analogiam, eadem locutio eodem modo sit intelligenda.

Iam ad alteram rationem excellentiae accedamus.

16. Καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος τὸ δώρημα· τὸ μὲν γὰρ κρίμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα, τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα.

Et non sicut per unum peccatum, ita et donum: nam iudicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem.

Fatendum est, argumentum ex hoc loco deducendum clarius primo intuitu apparere in textu latino quam in graeco. In graeco enim, loco: *per unum peccatum,* habetur: *per*

unum peccantem. Nihilominus lex parallelismi vetat in ipso graeco *ex uno* intelligi *ex uno peccante,* seu *Adamo;* subauditur enim *delicto,* per anticipationem; quod caeteroquin in ipso latino faciendum est; secus haberemus *ex uno peccante* opponi *ex multis delictis,* quod minus congruit.

Hoc posito, per hunc versum efficacissime probatur, delictum in omnes homines traductum intelligi ab Apostolo *unum* idemque in singulis originale peccatum.

Augetur haec demonstratio ex vocibus *iudicium* et *condemnationem.* Etenim quomodo possent a iusto Iudice omnes homines propter unum peccatum condemnari, nisi adesset solidaritas, vi cuius hoc peccatum singulis fieret imputabile? Tota haec veritas quam demonstrare contendimus rursus invenitur expressa in ℣. 18: « Igitur sicut *per unius delictum* « *in omnes homines (mors regnavit, ℣. 17) in condemnatio-* « *nem;* sic et per unius iustitiam in omnes homines in iusti- « ficationem vitae ».

Quam comparationem per modum excedentiae a parte operis salvifici pulchre illustrat S. Bernardus: « Vehementer « quidem nobis, dilectissimi, vir unus et mulier una nocuere. « Sed, gratias Deo, per unum nihilominus virum et mulierem « unam omnia restaurantur, nec sine magno foenore gratia- « rum. Neque enim sicut delictum, ita et donum; sed exce- « dit damni aestimationem beneficii magnitudo. Sic nimi- « rum prudentissimus et clementissimus Artifex, quod quas- « satum fuerat, non confregit, sed utilius omnino refecit; ut « videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, et Evam « transfunderet in Mariam ».[1]

Vim huius comparationis inter lethalem Adami et vivificum Christi influxum bene urget cl. De Baets: « Opponuntur « haec duo: per Adamum peccatum et mortem in homines « transiisse, homines esse condemnatos propter Adamum, « per ipsum constitutos peccatores; per Christum vero esse « salvatos, vitam recepisse et iustitiam. Sed comparatio « illa esset vacua, non efficeret quod intendit Apostolus, « h. e. magnificare Christi in nos misericordiam, nisi in « priori membro sermo esset de eo quod vere peccatores

[1] *De Verb. Apoc.,* c. 21.

« sumus facti per Adam. Si enim hoc figurate, vel impro-
« prie diceretur, eo ipso ex vi comparationis ipsius (sicut
« per Adamum ... ita per Christum ...) deberemus detrahere
« de veritate illius quod de Christo dicitur, ac proinde com-
« paratio faceret *contra* intentum Apostoli ».[1]

Ubi rursus apparet inanitas explicationis Pelagianae. Eadem enim particula *per* habetur utrimque. Quare si influxus Adami in posteros reducitur ad influxum mali exempli, pariter dicendum esset, Christum nonnisi exemplo prodesse sanctificatis.

Ex expositione huius loci S. Pauli apparet totam doctrinam de peccato originali veluti synthetice contineri in ipsa appellatione « novi Adami » quam Apostolus tribuit Christo, quamque, duce tanto magistro, traditio sedulo servavit et doctrina, liturgia et arte magnifice illustravit.[2]

11) Doctrina de peccato originali ex epistola ad Romanos demonstrata, confirmatur sententia simili quae occurrit in prima Epistola ad Corinthios: « Per hominem mors, et « per hominem resurrectio mortuorum, et sicut in Adam « omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur ».[3] In qua sententia Paulus rursus confert novum Adamum cum primo Adamo. Influxum autem describit utrimque duplici particula *per* et *in;* prima affirmat nexum causalem, altera rationem huius nexus, scilicet continentiam solidaritatis.[4]

Porro observa, ex modo quo S. Paulus opus salvificum illustrat ope comparationis ab opere mortifero Adami desumptae, hunc influxum Adami in mortem, seu doctrinam de peccato in omnes ab Adamo derivato, supponi uti omnibus notam. Quod nuperrime doctus criticus ita ostendit: « È « evidente che qui San Paolo suppone conosciuta dai Romani

[1] Op. cit., p. 5.

[2] Idem dic de titulo « novae Evae », qui praedicat in Maria excellentiam singularem et munus excelsum quod in oeconomia Redemptionis exercet, iuxta illud hymni *Ave, maris stella* superius allatum: « Funda nos in pace - mutans Evae nomen ».

[3] 1 Cor. xv, 21 sq.

[4] Analogia inter hunc locum et ℣. 12, v, ad Rom. plenior videri potest secundum lectionem *in quo,* ratione duplicis particulae: *per* in principio, et *in* in fine. Sed haec consideratio nihil valet pro textu originali, in quo habetur ex una parte ἐφ' ᾧ, et ex alia ἐν τῷ Ἀδάμ.

« la dottrina dell'universalità della colpa in Adamo; perchè « altrimenti egli pretenderebbe illustrare un estremo sco- « nosciuto per mezzo di un altro parimente sconosciuto, che « avrebbe richiesto di necessità la medesima illustrazione ». Unde contra falsam assertionem Buonaiuti[1] concludit: « E « quindi, molto prima dell'anno 58, in che S. Paolo scriveva, « la sua epistola, era generale nella Chiesa la credenza sul « peccato originale, anche dove non era giunto l'insegna- « mento di San Paolo ».[2]

12) Iam supra citavimus aliam sententiam Apostoli ex epistola ad Ephesios: « Eramus natura filii irae ».[3] Iuvat paucis vim huius loci ex contextu evolvere. Apostolus in eo exaltat opus Dei convivificantis in Christo mortuos peccatis. Ut autem excellentiam huius gratuitae charitatis ostendat, indignitatis motiva enumerat: *a*) directe pro conversis de gentilitate: « Et vos, cum essetis mortui delictis et pec- « catis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum « saeculum mundi huius, secundum principem potestatis « aëris huius, spiritus, qui nunc operatur in filios diffiden- tiae ... »,[4] *b*) pro ipsis de Iudaïsmo conversis: « In quibus et « nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis « nostrae, facientes voluntatem carnis, et cogitationum ». Et claudit dicens: « Et eramus natura filii irae, sicut et cae- teri ... ».[5]

Sensus proin est: omnes ex peccatis ad Christum conversi sunt: 1) a peccatis actualibus, quia *a*) Gentiles serviebant mundo et diabolo, *b*) et ipsi Iudaei serviebant concupiscentiae carnis et mentis; 2) a peccato originali, quia omnes, sive Gentiles, sive Iudaei, erant natura filii irae, praevari-

[1] Hic enim in suo' opere *Storia del Cristianesimo* scribit: « Non si era mai « insegnato che nella colpa di Adamo era anche compresa la colpa di tutti gli « uomini ». Haec enim est doctrina « prettamente paolina », ad quam Apostolus non nisi post viginti annos apostolici laboris pervenit (p. 459 sq.). Ipse scilicet de Christo conceptus, Paulo proprius, Apostolum ad personalem suum conceptum de peccato originali conduxit.

[2] *Civiltà cattolica. Errori vecchi nella « Storia del Cristianesimo » del Prof. E. Buonajuti,* 15. *Errori esegetici del B. sul peccato originale.* – 20 aprile 1918, p. 144.

[3] Eph., II, 3.

[4] Ibid., 1, 2.

[5] Ibid., 3.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

catione primi parentis culpabiliter maculati et propter illam condemnandi.[1]

Quomodo « *natura,* exclamat Augustinus, nisi quia primo « homine peccanti, vitium pro natura inolevit? ».[2] Et alibi de hoc loco pulchre scribit: « Tenebatur itaque iusta damna- « tione genus humanum, et omnes erant irae filii... De qua « ira dicit et Dominus Iesus: " Qui credit in Filium, habet « vitam aeternam; qui autem non credit in Filium, non habet « vitam, sed ira Dei manet super eum „.[3] Non ait: *veniet;* « sed *manet:* cum hac quippe omnis homo nascitur. Propter « quod dicit Apostolus: " Fuimus et nos natura filii irae, « sicut et caeteri „. In hac ira cum essent homines per ori- « ginale peccatum, tanto gravius et perniciosius, quanto « maiora vel plura insuper addiderant, necessarius erat me- « diator, hoc est reconciliator, qui hanc iram sacrificii sin- « gularis, cuius umbrae omnia sacrificia Legis et Propheta- « rum, oblatione placaret ».[4]

13) Haec explicita affirmatio continetur implicite in illis locis in quibus proclamatur universalis *efficacia* vel *necessitas* gratuitae salutis per Christum. Quorum testimonia principaliora tangere sufficiat:

a) Et primo quidem ea quae universalem *efficaciam* huius gratuitae salutis exprimunt.

α) Dicit Paulus: « Si unus *pro omnibus* mortuus est, « ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Chri- « stus ».[5] Cur *pro omnibus,* nisi quia morte eius expiatrice indigebant omnes? – β) Haec enim est ratio divinae voluntatis salvificae universalis per Christum. Salvator noster Deus

[1] Per haec testimonia de originali peccato manifesto loquentia, possunt illustrari et compleri alia quae directe de actualibus dumtaxat peccatis dicta intelliguntur. Talis est sententia Pauli: * « Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei »; talis pari iure, imo maiori, dici potest fundamentalis thesis eiusdem epistolae: « Virtus Dei (Evangelium) est, in salutem omni credenti, Iudaeo primum, et « Graeco ». **

[2] *In Ioann.,* t. XLIV, 1. - *P. L.,* t. XXXV, col. 1714.

[3] IOANN., III, 36.

[4] *Enchirid.,* c. 33. - *P. L.,* t. XL, col. 248 sq.

[5] II COR., V, 14 sq.

* ROM., III, 23.

** I, 16.

« omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis « venire ».[1] – γ) Unde Christus apparet tamquam rescindens sua morte sententiam quae omnes homines una massa damnabat. « Et vos cum mortui essetis in delictis et praeputio « carnis vestrae (en peccata actualia et originale), convivi- « ficavit cum illo, donans vobis delicta: delens quod adver- « sus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium « nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci ».[2]

b) Porro huius salutis *necessitatem* proclamant testimonia sequentia:

α) Confert Apostolus genus hominum cum massa apta ad interitum.[3] – β) Nulla autem spes ut ex hac massa « apta « ad interitum » fiat « vas in honorem », nisi per Christum. « Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est « sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos « fieri ».[4] Iam vero cur est genus humanum una talis massa; nisi quia eodem infecta peccato? Cur ipsi nulla, nisi in Christo, salus; nisi quia solus Christus hoc peccatum delet?

II. *Traditio* catholica a primaevis temporibus idem dogma peccati originalis vindicat.

1) Ante Theodorum Mopsuestenum, Pelagium et Caelestum nullus haereticus hanc veritatem fundamentalem impugnavit. Quin et in ipsis erroribus suis varii haeretici illam servaverunt,[5] quemadmodum loco suo de SS. Eucharistia demonstrabimus. Cuius consensus unanimis pondus ipse Pelagius optime sentiens, initio nonnisi sermone velato impietatem suam depromere ausus est. « Pelagiani timebant, « ait Hieronymus, ne, si publice suam haeresim profiterentur, « a populo lapidarentur ».[6] Et S. Vincentius Lerinensis:[7] « Quis « ante prodigiosum discipulum eius (Pelagii) Caelestium,

[1] *Commonit.*, c. XXXIV.

[2] 1 TIM., II, 4.

[3] COLOSS., II, 13, 14.

[4] Cf. ROM., IX, 21, 22. De natura peccati originalis iuxta S. Paulum, cf. A. LEMONNYER, O. P. *Epîtres de S. Paul*, vol. I, p. 283-285.

[5] ACT., IV, 12.

[6] Ariani, Novatiani, Donatistae, Apollinaristae, Sabelliani consentiebant de peccato originali. Cf. AUGUST., *Ctr. Iul.*, l. 3. n. 8, *De pecc. mer. et remiss.*, 3, 6, n. 12.

[7] *Dial. ctr. Pelag.*, 3, 17.

« reatu praevaricationis Adae omne genus humanum dene-
« gavit adstrictum ? ».

2) Praeclarum autem huius universalis fidei testimonium fuit usus sat celeriter in Ecclesia vigens *infantes baptismate regenerandi.* [1] Ad rem Augustinus: « Divites et pauperes,
« excelsi atque infirmi, docti et indocti, mares et feminae
« noverunt, quid cuique aetati in baptismate remittatur.
« Unde etiam matres quotidie toto orbe terrarum ... ad Chri-
« stum Iesum Salvatorem cum parvulis currunt ». [2]

Fortiter hanc doctrinam inculcat S. Fulgentius: « Fir-
« missime tene, et nullatenus dubites, non solum homines
« iam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in

[1] De vi huius argumenti cf. PALMIERI, op. cit., th. v, p. 59 sqq.

[2] *Ctr. Iul.*, l. I, n. 31. Ex eodem usu simili modo arguit Conc. Milev. Carth. 2. « Quicumque parvulos recenter ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in « remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere origi-« nalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde sit consequens ut in eis « forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur: « A. S. ».

Haec disciplina, temporum decursu, tantopere invaluit, ut non solum de neonatis infantibus, sed de nondum editis sollicita, rigorose Ecclesia statuerit ad salutem aeternam, quovis licito medio, foetibus procurandam. Nec mirum, si iam *Lex Regia,* sub Numa Pompilio lata, vetabat mortuam matrem praegnantem humari antequam excideretur « quei · secus · faxit · spei · animantis · cum · gravida ·, occi-« sae · reûs · esto »; quanto magis Ecclesia non huius terrenae modo sed et aeternae lucis vitam procurare studet. Dum enim antiqui Stoici foetum nondum editum, tamquam portionem matris habebant; et ius Romanum foetus dominium pro libitu tribuebat patri, Ecclesia ius Christi et suum in eum vindicat. Unde statuit *Rituale Romanum:* « Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute extraha-« tur, ac, si vivus fuerit, baptizetur ». Quum autem, iuxta exposita in volumine praecedenti, instans animationis dubium sit, * et in re sacramentali tutiora sint sequenda, foetus abortive eiectus aut extractus, nisi mortuus esse constet, baptizandus est absolute, quum valde probabile sit, foetum in ipso conceptionis instanti animari. – Cf. de hoc gravi argumento *Instructions sur la manière de baptiser les enfants nouveau-nés* (examinées par la faculté de médecine de l'Université catholique de Louvain et approuvées par Mgr. Engelbard Sterckx, Card. Arch. de Malines. - Malines, 1860). - Nuperrime fuse de hoc argumento aliisque connexis scripserunt castris theologorum cl. P. ESCHBACH, C. S. S., *Disputationes phylologicae-theologicae;* e castris medicorum D. CARLO FINO, *Sul concetto morale e pratico del feticidio e del taglio cesareo post-mortem* (Torino, Offic. poligr. edit. subalp., O. P. E. S.), 1915. – Plura de hoc argumento, Deo dante, dicemus agentes *De Sacramento Baptismi.*

* De hac subtili quaestione iam tempore suo dicebat Augustinus: « Scrupulo-« sissime quidem inter doctissimos quaeri ac disputari potest, quod utrum ab homine « inveniri possit ignoro, quando incipiat homo in utero vivere; utrum sit quaedam « vita et occulta quae nondum motibus viventis appareat » (*Enchir.*, c. 86. - *P. L.*, t. XL, col. 272).

« uteris matrum vivere incipiunt, et ibi moriuntur, sive iam « (cum?) de matribus nati sine sacramento sancti bapti- « smatis, quod datur in nomine Patris et Filii et Spiritus « Sancti, de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno « supplicio [1] puniendos. Quia etsi peccatum propriae actio- « nis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnatio- « nem carnali concupiscentia ex nativitate traxerunt ». [2]

3) Pariter Symbolum fidei affirmans *unum baptisma in remissionem peccatorum*, implicite peccatum originale proclamat. Quod Symbolum simul afferri potest tamquam argumentum publicae ecclesiasticae auctoritatis.

4) Adde his consensum omnium catholicorum Patrum, quibus magno numero Augustinus allatis,[3] exclamat: « Aspice « tot ac tales Ecclesiae catholicae defensores atque docto- « res; vide, quibus tam gravem, tamque nefariam irroga- « veris iniuriam ». [4]

Et inferius: « Propter quam catholicam veritatem sancti « ac beati et divinorum eloquiorum pertractatione claris- « simi sacerdotes Irenaeus, Cyprianus, Reticius, Olympius, « Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Basi- « lius, quibus addo, velis, nolis, Hieronymum, ut omittam eos « qui nondum dormierunt, adversum vos proferunt de omnium « hominum peccato originali obnoxia successione senten- « tiam ». [5]

Satis sit pro scopo praesenti sequentia Patrum testimonia afferre: [6] – *Tertullianus* haec scribit: « Satanam ... dicimus « malitiae Angelum, totius erroris artificem, totius saeculi « interpolatorem, per quem homo a primordiis circumventus, « ut praeceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, « exinde totum genus de suo semine infectum, suae etiam « damnationis traducem fuit ». [7] – *Irenaeus* ait: « Deum in « primo Adam offendimus, non facientes eius praeceptum », et paulo infra: « Delevit (Christus) chirographum, debita

[1] Quo sensu hoc supplicium sit intelligendum, infra investigabimus.
[2] *De Fide ad Petr.*, c. 27. - *P. L.*, t. LXV, col. 701.
[3] Ibid., 1, 5, ad 2, 9.
[4] Ibid., 1, n. 12.
[5] Ibid., l. II, c. 10.
[6] Plures textus cf. apud SCHWETZ (op. cit.) et THYS (op. cit.).
[7] *Testim. anim. P. L.*, t. I, col. 613. – Cfr. IUSTINUS M., *Dial c. Tryph.*, n. 88.

« nostra affigens cruci, ut quemadmodum per lignum debi-
« tores facti sumus Deo, per lignum accipiamus debiti remis-
« sionem ».[1] - *Basilius:* « Ieiunium in paradiso lege consti-
« tutum est; primum enim mandatum accepit Adam: *de*
« *ligno*, etc. Quia non ieiunavimus, decidimus de paradiso ».[2]
- *Gregorius Nazianzenus* haec habet: « Totus cecidi, atque
« ob primigeni hominis inobedientiam et diaboli fraudem
« condemnatus sum ».[3] - *Hilarius Pict.:* « Ovis una homo
« intelligendus est, et sub homine uno universitas sentienda
« est; sed uno Adae errore omne humanum genus aber-
« ravit ».[4] Princeps autem veritatis catholicae vindex contra
Pelagium, Caelestinum et Iulianum exstitit in Occidente
Augustinus,[5] cuius floruit in Oriente amicus vir, laicus
Occidentalis, *Marius Mercator*. Sententiis Augustini iam
supra allatis, sequentem adhuc addere iuvat, ut appareat
quanta auctoritatis certitudine ex loco Rom. V arguerit:
« Certe manifestum est, alia esse propria cuique peccata,
« in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt; aliud
« hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille
« unus homo fuerunt.[6] Unde nec illud liquide dici potest,
« quod peccatum Adae etiam non peccantibus nocuit, cum
« Scriptura dicat, " in quo omnes peccaverunt „. Nec sic
« dicuntur ista aliena peccata, tamquam omnino ad parvulos
« non pertineant. Siquidem in Adam omnes tunc peccave-
« runt, quando in eius natura illa insita, in qua eos gignere
« poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt: sed dicuntur aliena,
« quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quidquid erat
« in futura propagine, vita unius hominis continebat ».[7]

Meritum singulare fuit Augustini via ac ratione de pec-
cato originali disputasse, et quidem tanta ingenii acuitate,
ut, abstractione facta ab haesitatione quam circa originem

[1] *Adv. Haer.*, l. v, cap. 16, sq. - Cfr. TATIANUS, *Or. ctr. Graec.*, n. 11, sq.

[2] Or. 1, *De laude ieiun.*

[3] *Orat.*, 14; cf. *orat.* 5, 9, 39, 42, 51.

[4] *In Matth.*, 18, 6.

Doctrina Augustini contra Pelagianismum praecipue invenitur in operibus: *De nupt. et concup.*, l. 2; *Ctr. Iul. Pelag.*, l. 6; *Op. imperf. ctr. Iul.*, l. 6.

[6] *De pecc. rem.*, l. 1, c. 0. Hoc loco videtur intellexisse *in quo*, in sensu *in quo peccato*. Sed haec interpretatio stare nequit, nam tunc debuisset textus graecus loco masculini generis ferre femininum, ἁμαρτία f. est, cf. dicta superius.

[7] Ibid., l. 3, c. 7. Cf. SCHEEBEN, op. cit., § 200.

animarum propter hoc idem dogma passus est, theologi mediae aetatis, ab Anselmo ad Aquinatem, ipsique neo-scholastici ac moderniores, vix rationes suasibiles proferre potuerint, quas Hipponensis non iam praesenserit, aeneoque stylo expresserit.

III. Nec unanimi hac doctorum conspiratione contenta, Ecclesia publicis quoque auctoritatis oraculis, pro temporum necessitate, peccatum originale vindicavit.

1) Iam diximus de Symbolo Apostolico. Hic praemittendi sunt *ritus baptismales*, qui publice fidem Ecclesiae testantur, ac inter hos ritus praesertim *exorcismi*, quibus Ecclesia ostendit fidem suam in dominium, quod Satanas in infantes exercet, antequam regenerentur. Hoc autem dominium nequit aliam rationem habere quam peccatum ipsos ab initio existentiae suae infantes pervadens.

2) Inde prima magna haeresis quae, saeculo IV, genuinum dogma peccati originalis impetiit, fuit haeresis peccans per excessum, ad quem pseudo-deformationis tempore aliqualiter rediit Flaccus Illyricus, de quo mox plura dicemus. Massaliani [1] enim duplicem in homine distinguentes animam, aliam communem, aliam caelestem, dicebant per peccatum in Adamo emortuam esse animam caelestem, cuius loco subintravit daemon. Posteri itaque Adami nascuntur caelesti anima emortui, daemonique substantialiter coniuncti. Porro baptismum, novaculae instar, aufert quidem peccata ante baptismum commissa, radicem autem non tollit: daemon enim anima communi non exigitur nisi per assiduam orationem; effugato autem daemone subintrat Spiritus Sanctus.

Varia Concilia Melitense, Sidense, Antiochenum, Constantinopolitanum, et oecumenica Synodus Ephesina Massilia-

[1] Vocantur quoque Euchetae et, ab instauratore Lampatio, Lampatiani. Duces huius haereseos fuerunt Dadoes, Sabas, Adelphius, Symeones et Marcianus quidam, a quo etiam, texte S. Maximo, vocantur et Marcianistae. Contra eos imprimis scripsit Theodoretus (*Hist. Eccl.*, l. IV). Illorum meminit S. Augustinus (*Haeres.*, LVII) ex Epiphanio (*Hist. Eccl.*, l. IV, c. 10), necnon Photius (*Cod.*, LII). Eorum doctrinam fuse exponit S. Damascenus (*Haeres.*, n. 80).

[2] In hac Synodo damnatur sequens eorum thesis, forte iam in praecedenti quadam synodo proscripta: « Adae anima in peccato mortua fuit, et diabolus in cor illius

norum haeresim damnarunt,[2] quae, etsi graviter erronea, dogma catholicum de peccato originali indirecte sed efficacissime confirmat.[1]

3) Grassante Pelagii impietate concilium Carthaginiense et Milevitanum (416) monstrum anathemate perculerunt; quorum sententiam Innocentius I suprema sua auctoritate confirmavit. Instantibus insidiose haereticis apud eiusdem pontificis successorem Zosimum, alterum concilium Carthagine (417) habitum est, imo tertium plenarium, ducentorum praesulum (418), in quibus iterum et tertio idem anathema instauratum est, novemque canones adiunctis litteris ad Pontificem missi sunt, haeresim profligantes. Adhuc anceps, astutia quippe nimia fautorum circumventus, haereticos Zosimus ad synodum Romanum citavit, contumacibusque absentibus excommunicatis, suum iudicium celeberrima epistola *tractoria* ad episcopos transmittendum curavit.[2]

4) Quum autem haec haeresis, forma mitiori obducta, rursus caput attollere conaretur, concilium Arausicanum II (529) solemniter Semipelagianismum condemnavit, annoque sequenti Bonifacius II hanc Ecclesiae Gallorum sententiam, suo adprobante suffragio, reddidit universalem.

Quorum conciliorum tanta fuit apud posteriores aetates auctoritas, ut ipsa Tridentina Synodus eorumdem verbis non uno loco usa sit. Caeterum iam haec concilia plures Augustini sententias ad verbum fecerant suas.[3]

qui peccat, ingreditur ». Quae thesis, in sensu Massaliano evidenter damnabilis, quum tamen, de morte spirituali intellecta, possit habere sensum catholicum, Gregorius M. huius haereseos ignarus hanc damnatam thesim a Pelagianis Ephesino Concilio fraudulenter adiectam suspicatus est. Quam hypothesim, a pluribus scriptoribus deinceps acceptam, Norisius confutavit (*Hist. Pelag.*, l. II, c. 9): cf. cl. Thys, op. cit., 157 sqq.

[1] Cave ne hanc substantialem daemonis possessionem animae caelestis locum occupantis confundas cum captivitate in qua nondum redempti detinentur. De qua ita loquitur Optatus Milevitanus: « Neminem fugit quod omnis homo qui nascitur, « quamvis de parentibus christianis nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, « quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi et separari. Hoc exor- « cismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur » (*De schism. Donatist. adv. Parmen.*, l. IV).

[2] Cf. quae in exordio huius Sectionis de Pelagianis fusius exposuimus (p. 369 sqq.).

[3] Cf. sequentes canones. Conc. Carth. 418, col. 2. – (cf. Concil. Milev.) damnans illos qui contendunt: « Parvulos ex Adam nihil trahere originalis peccati, quod « lavacro regenerationis expietur », rationem affert: « Quoniam non aliter intelli-

5) Patres autem Tridentinos has condemnationes instaurare, simulque dogma sub alio respectu illustrare oportebat, quum pseudo-reformatores non una via illud oppugnarent. Miram contradictionem, planeque errore dignam! Dum Zwinglius, « radicalium » caput, originalem culpam, Pelagii instaurator, de medio tollere non verebatur; Lutherus urgebat illud, quatenus docebat, ipsam hominis naturam illo affici usque ad amissionem libertatis. Quin Illyricus, substantiariorum parens, Manichaeum errorem instaurabat, contendens, per originale peccatum essentiam substantiamque hominis de bona in essentialiter, substantialiter malam esse conversam.[1] Aliunde tamen Lutherus concupiscentiae magis insistebat quam amissae gratiae, ut ex mox dicendis apparebit.

6) Hunc ultimum errorem Baius quoque et Iansenius docuerunt; Ecclesia vero damnando propositiones ex operibus utriusque excerptas, dogma de peccato originali novis documentis vindicavit.[2]

7) Recentius quidam theologi in Germania, – Hermes[3] praesertim et Günther, – nimio zelo praeoccupati de catholico dogmate cum ratione conciliando, imo per rationem demonstrando, – in peccato originali nihil nisi displicentem Deo qualitatem ab Adamo cuivis homini obvenientem agnoscere voluerunt, non autem verum peccatum seu culpam. Prioris anno 1835, alterius doctrinam anno 1857 Romana Sedes damnavit.

8) Quorum fundamentalem errorem instaurant Modernistae, Pelagianis placitis plus minusve addicti.

« gendum est quod ait Apostolus: "per unum hominem ,,, etc., nisi quemadmodum « Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam « fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potue- « runt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regenera- « tione mundetur, quod generatione contraxerunt ». - Et can. 2, Conc. Arausicani: « Si quis soli Adae praevaricationem suam, non et eius propagini, asserit nocuisse, « aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum, « quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse « testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: "Per unum homi- « nem ,,, etc. ».

[1] De hac sententia Flacci Illyrici plura mox dicemus.

[2] Cf. superius exposita et in tractatu *de Gratia* complenda.

[3] Cf. dicta superius de hoc scriptore.

IV. Cavendum itaque est, ne quis ita dogmati catholico adhaereat, ut illud velit tum quoad existentiam[1] tum quoad modum ex mera ratione probare.[2]

Unde Hugo Victorinus ait: « De peccato originali multae « ac difficiles oriuntur quaestiones, quae utrum credendo « melius quam discutiendo (si tamen discussionem aliquam « admittant, quae plenam solutionem habere non potest) « tractentur ignoro ».[3] Sane uti fundamentum ponendum est dogma quale ex fidei documentis resultat. Dein reverenti animo potest ita illustrari, ut non credatur tantam esse huius illustrationis lucem, ut mysterium tollat. Imo si talis sit explicatio quae supprimit omnem rationem mysterii, est a priori uti insufficiens habenda. Nec satis: fide sua robustus, potest, imo debet, theologus conatus suos in hoc dirigere, ut ostendat mysterium quod credit, esse quidem rationi impervium, non autem rationi contrarium.

Potest insuper huius mysterii suasiva confirmatio ab ipsa praesenti hominis conditione repeti. Ita considerationes ex colluvie miseriarum huius vitae deductae, habent quidem magnam speciem, imo magnam vim suasivam, carent tamen ad dogma peccati originalis probandum efficacia vere stringente. Revelatam autem de eodem peccato fidem eloquentissime corroborant.[4] Hoc igitur modo intelligendae sunt considerationes quas ad abundantiam ex mundi hominisque aerumnis theologi cum Augustino deducunt.[5] Caute et optime S. Thomas: « Peccati originalis in humano genere « probabiliter quaedam signa apparent ». Enumeratis inde malis, quae homo et in corpore et in anima patitur, et praemissa obiectione quod haec omnia non excedunt conditionem naturalem hominis, pergit: « Sed tamen, si quis recte consi- « deret, satis probabiliter poterit aestimare, divina provi-

1 De argumentis existentiae peccati originalis, cfr. Laforêt, *Les dogmes catholiques*, l. IX, c. 5, § 2; Illmus Bougaud, *Le Christianisme et les temps présents*, t. III, 2, p. c. 6.

2 De mysteriorum excessu supra rationem, deque eorum adumbrata illustratione et harmonioso concentu, optime disputat laudatus Scheeben, *Die Mysterien des Christentums. - Die M. d. Chr. im Allgemeinen.*

3 *De Sacram.*, l. I, n. 7, c. 24. – *P. L.*, t. CLXXVI, col. 297 sq.

4 Cf. textum Illmi Ullathorne superius allatum et mox afferendum.

5 Cf. Klee, *Dogmatik*, I, 340 sqq.

« dentia supposita, quae singulis perfectionibus congrua « perfectibilia coaptavit, quod Deus superiorem naturam « inferiori ad hoc coniunxit ut ei dominaretur, et, si quod « huius dominii impedimentum ex defectu naturae contin- « geret, eius speciali et supernaturali beneficio tolleretur.... « Sic igitur, huiusmodi defectus, quamvis naturales homini « videantur absolute, considerando humanam naturam ex « parte eius quod est in ea inferius; tamen considerando « divinam providentiam et dignitatem superioris partis natu- « rae humanae, satis probabiliter probari potest huiusmodi « defectus esse poenales; et sic colligi potest humanum « genus peccato aliquo originaliter esse infectum ». [1]

Et sane praesens hominis conditio, sive consideretur in se, sive consideretur in sua lucta cum mundo sibi externo, talis est, ut aenigma offerat mysterio plenum. [2] Inde iam ab antiquo philosophi ad varia recurrerunt systemata ut hanc anomaliam plausibilem redderent. *a*) Manichaei [3] confugiunt ad notum dualismum inter principium bonum et malum. Quam philosophiam dualisticam multi populi barbari, uti Congolenses tribus, ita mitigant, ut Deum summum cogitent nimis altum quam ut de minimis curam gerat, et nimis bonum quam ut inferat malum. Hoc unice a spiritibus inferioribus timendum est, quos variis inde ritibus, imo cruentis obla-

[1] *Ctr. gent.*, l. IV, c. 52. – Cf. plura quae de hoc adspectu argumenti diximus in nostra dissertatione de dono integritatis.

[2] Capta urbe Tyro, Alexander Magnus desertum petiit ad consulendum oraculum Iovis Ammonensis de fontibus Nili. Ad quod Maximus Tyrensis: « Tanto homini « dignius nobisque utilius fuisset nobisque feliciùs, si de fontibus mali quaesiisset; « parum enim nobis refert e quanam regione defluat Nilus, longe magis prodesset « scire, unde tot mala in humanum genus prorumpant ».

[3] Ad Manichaeorum doctrinam appropinquat systema a Zoroastro propugnatum: « D'après ses enseignements (Zoroastre), la vie terrestre de l'humanité se passe pen- « dant la période de guerre entre le principe du bien, Ahura-Mazdah, et le principe « du mal, Aurô-Mainyar, période comprise entre le réveil de ce dernier et sa défaite, « qui coïncide avec la résurrection générale. Auro-Mainyar tue le premier homme: « c'est de son cadavre que l'humanité est issue. L'âge d'or, où elle commence à « vivre, prend fin à la suite du péché commis à l'instigation du principe mauvais. « Car l'homme est le terrain sur lequel se concentre la lutte entre les deux esprits. « Par la pratique de la vertu il se place du côté de Mazdah, tandis que par le « péché il devient la proie des esprits mauvais ». *

* CARNOY, *Religion of the Avesta*, p. 23 sq. (secundum versionem Laminne: op. cit., I, p. 22).

tionibus, placare satagunt. Buddhistae[1] autem modernique philosophi confugiunt ad anteactam vitam, cuius merces sint conditiones felices vel miserae praesentis vitae.[2] Platonici, a quibus non satis secessit Origenes,[3] animas, spiritum praeexistentem corporibus includi asserunt, ob scelus in anteacta vita spirituali commissum.

E regione *b*) evolutionistae autumant, lucem, ab hac sua theoria in conditionem humanam emissam, originale peccatum tantopere supprimere, ut quae dogma christianum per delapsum explicant, sint potius per imperfectam ascensionem explicanda, quum culpa hominis fuerit, quod non sat alte in entium scala sese erexerit, et huic suae nobili naturae non satis corresponderit. « Archaeologia praehistorica et « anthropologia nullum locum relinquunt historiae lapsus « uti narratur in *Genes.*, III ». Ita H. J. Dunkenfield Astley.[4] Etenim « peccatum in essentia sua est tendentia haereditaria in malum... implantata ipsi naturae speciei, quae in « perfectionem progreditur, sed eam nondum est adepta ». Idem sentit M. E. Harrison Askwith: « La théorie de l'évolution a jeté une abondante lumière sur le problème de « l'existence du mal dans le monde. Nous pouvons comprendre maintenant, ce qu'on ne pouvait pas avant la théorie du développement, que le mal moral est plutôt la « faute de l'homme de ne pas s'être élevé plus haut dans « l'échelle des êtres, et de ne pas avoir répondu à la véritable dignité de sa nature, que la déchéance d'un état « de perfection où il se serait trouvé, quand commença son « histoire. L'interprétation de la chute de l'homme a donc « été gravement modifiée par les conclusions scientifiques « récentes ».[5] Sed, uti vidimus, disputantes de origine sensus pudoris, haec sententia nihil explicat, imo novum aenigma ponit.[6]

[1] Cf. De la Vallée-Poussin, *Boudhisme*, p. 67.

[2] Haec sententia arridebat Ciceroni (*Hortensius*, p. 24).

[3] *De princ.*, l. I, c. 6, 7, 8, etc.

[4] *Praehistoric Archaeology*, p. 236.

[5] *Cambridge Theolog. Essays*, p. 177 (iuxta versionem Laminne: v, 123 sq.).

[6] Audiatur Taine ex hac evolutione deducens modum quo homo se habere debet ad bruta.* « Depuis deux cents ans les êtres qu'on séparait au dix-septième

* H. Taine, *La Fontaine et ses fables*, Paris, Hachette, 1905, p. 167 sq.

c) Nec magis efficax est theoria Kantii, qui ordinem moralem, non demonstrabilem, uti « numenum » ponit, sicuti et tendentiam in malum (*das radikale Böse*), ponit consequens actus quo malum uti norma acceptatur.[1]

d) Nimis autem sensum humanum offendit materialistica simul et anthropolatrica sententia illorum qui, cum Nietzsche, in libidine omnique passione explenda divinam prope felicitatem hominis collocant. De qua obiecta sententia eloquenter ait Lacordaire: « Je ne m'abaisserai pas, Messieurs, à répéter « cette explication de notre état moral; l'humanité, toute « corrompue qu'elle est, l'a constamment méprisée. L'huma- « nité fait le mal, mais elle croit au bien; elle le veut, elle « l'estime, elle le commande, elle dédaigne quiconque le « lui refuse. Rome, jusque dans ses orgies, respectait le feu « de Vesta; elle entendait qu'il y eût des vierges pour le « garder, et, toute souillée des vices de la décadence, elle « abaissait encore le faisceau de ses licteurs devant l'immé- « morable prestige de la chasteté. L'âme humaine est comme « Rome. Déchue de sa sainteté première, elle s'en rappelle « l'auguste tradition, elle en porte l'orgueil jusque dans l'op-

« siècle se sont rejoints, et les choses ont repris leur parenté naturelle. Elles sortent « les unes des autres, celles d'en-haut de celles d'en bas, en sorte que la plus noble « prend sa substance et sa nourriture dans la plus basse, et qu'ensemble elles for- « ment une chaîne dont on ne peut détacher aucun anneau. L'animal contient tous « les matériaux de l'homme, sensations, jugements, images, et, de ses matériaux « assemblés par une loi nouvelle, naît la raison, comme des corps mineraux liés « par une loi nouvelle naît la vie. Nos théories ne nous empêchent plus de nous « intéresser aux bêtes. Un singe, un chien a nos passions, notre imagination, nos « appétits; sauf les idées abstraites,* nous nous retrouvons en lui tout entiers. « Encore a-t-il, à la place de notre raison, cette sagesse innée qu'on appelle instinct, « et qui souvent le conduit aussi loin par une autre voie. A tout le moins ce sont « des compagnons de route, qui, partis du même endroit que nous-mêmes, ** se « sont arrêtés avant la fin du chemin, *** et nous ont laissés prendre l'avance; on « peut les observer sans déchoir ». ****

[1] *Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft,* th. I, n. 3, 4. - Longe magis ad doctrinam catholicam appropinquat discipulus Iulius Müller, *Die Lehre der Sünde,* t. II, p. 498 sq. Cf. Laminne, op. cit., th. I.

* Bene quidem, sed undenam in homine discretiva dignitas tam sublimis?

** A quonam termino et quonam impulsu?

*** Si impulsum ad altiorem terminum accepissent, quomodo omnia ibi stetissent, et solus homo pervenisset altius?

**** Imo et materiam inertem attente scrutari possumus, quin decidamus, dummodo quid inter eam et nos intersit, agnoscamus.

« probre de ses adultères, et si, pour tranquilliser ses re-
« mords, elle la veut flatter de n'être qu'un peu de boue,
« elle se relève de soi-même et confond par un regard cette
« insolente justification. Elle aime mieux souffrir et craindre
« que d'oublier sa gloire ».[1]

Quum itaque arbitrariae sint et virtute destitutae aliae solutiones quae agnitum problema solvere conantur,[2] fatendum est, catholicum de peccato originali dogma unicum afferre responsum quod menti satisfaciat. Quod laudatus Laminne bene ita exprimit: « Cette notion du péché originel, en
« même temps qu'elle est conforme à la foi, s'harmonise avec
« les principes de la raison. Elle donne une réponse satisfai-
« sante au problème que constitue la situation de l'homme
« au point de vue moral. La nature humaine, telle qu'elle
« existe aujourd'hui, avec ses misères et ses faiblesses, n'est
« pas l'œuvre primitive du Créateur.[3] Lorsque le premier
« homme est sorti des mains du Tout-Puissant, celui-ci
« avait corrigé par des dons surnaturels les imperfections
« que comporte la nature de l'être complexe qu'il venait de
« créer, à la fois corporel et spirituel, réunissant en lui les
« tendances de l'ange et de la brute. C'est l'homme lui-même
« qui s'est mis dans la situation où il se trouve aujourd'hui ».[4]

Et pariter Illmus Ullathorne, depulsa theoria hominis a statu prope bestiali ad cultiorem statum paulatim evoluti, proclamat rationes internas et externas, quae veritatem originalis lapsus, iuxta dictamina fidei, fortiter suadent, quamque populorum corroborat usque servata traditio: « The theory
« of human advancement from an inhuman condition is con-
« tradicted by the whole tradition of the human race, which
« has brought everywhere the remembrance of a primaeval
« state of innocence and happiness from which man has
« fallen. And to this external tradition must he added the

[1] LXIV *Conférence*. Inde porcinus ille realismus, cuius apud Gallos impudens propugnator exstitit Aemilius Zola, iam in hac regione, etiam apud nondum credentes, spiritualisticam quamdam reactionem provocat.

[2] Mitto inopinatam assertionem J. J. Rousseau, iuxta quam homo nascitur bonus, sed sociali commercio corrumpitur.

[3] Quo sensu S. Augustinus ex miseriis huius vitae ad peccatum originale statuendum contra Pelagianos arguat, cf. JUNGMANN, *De Deo creante*, n. 336.

[4] Op. cit., IV, p. 120.

« internal consciousness of man, bearing witness to the his-
« toric fact, and making him sensible to the very centre of
« his nature that he is not what he was created, but has
« undergone some sad and calamitous deterioration. When
« faith therefore comes to teach us the history of our fall,
« we at once find the riddle of human life, and the manifest
« reply to many anxious questionings of the soul ». Et addit
« The proofs of the fall are everywhere to the mind that
« looks for them. We see them in the condition of man,
« and in the condition of the world; we hear them in the
« voice of humanity, in the testimonies of history and the
« revelations of God ».[1] Eloquenter Lacordaire: « L'Eden
« n'est plus; mais l'homme vit. Il a emporté de son berceau,
« à travers les siècles, les ruines de tout ce qui lui avait
« été donné, son corps, son âme, son Dieu, et aussi son
« épreuve. Rien n'est changé en lui et autour de lui subs-
« tantiellement; il est tout lui-même avec un coup de fou-
« dre. Regardez-le donc, et dans l'homme déchu reconnaissez
« l'histoire de l'homme virginal ».[2] Imo, iuxta Bossuetius, limitata felicitas quam homo in hac vita praegustat potius quam gustat, non est nisi vestigium primaevae beatitudinis et caelestis futurae pignus: « Depuis la désobéissance de
« l'homme, Dieu a voulu retirer à lui tout ce qu'il avait
« répandu de solide contentement sur la terre dans l'inno-
« cence des commencements: il l'a, dis-je, voulu retirer à
« lui pour le rendre un jour à ses bienheureux; la petite
« goutte de joie qui nous est restée d'un si grand débris,
« n'est pas capable de satisfaire une âme dont les désirs
« ne sont point finis, et qui ne se peut jamais reposer qu'en
« Dieu ».[3]

Quae igitur in populorum traditionibus occurrunt, circa primaevum statum felicissimum a quo homo sit delapsus,[4] possunt simul considerari tamquam vestigia primitivae revelationis non ex toto extinctae, et indicia adspirationis creaturae rationalis in meliora, imo instinctus cuiusdam superius,

[1] Op. cit., lect. XI. *The fall of man and the redemption of Christ.*
[2] LXI *Conférence.*
[3] *1r Sermon sur la Providence. Exorde.*
[4] Cf. dicta superius, p. 391 sqq.

quo ex tot aerumnis homo ad rationem poenae concludere quasi impellitur.[1]

V. At licet peccatum originale non possit, nec quoad factum, nec quoad modum, rationali via probari, - unde belle dixit Augustinus: « Nihil eo esse ad praedicandum notius, « nihil ad intelligendum secretius »;[2] - nec possit per arumnas huius vitae apodictice evinci; potest tamen, praemissa revelatione, efficaciter illustrari.

1) Peccatum, de quo inquiritur, inde habet rationem mysterii, quod ex una parte verum peccatum est cuivis imputabile, ex altera autem non est personale illius cui imputatur.[3] Utrumque indicatur per nomen quo designatur: vocatur enim *peccatum originale* et *peccatum naturae.*

2) *Originale* vocatur, ut distinguatur a peccato actuali. Scilicet si originem huius peccati consideramus, peccatum in ipso Adamo est peccatum *originans,* peccatum autem in progenie ab ipso est *originatum.* Cur autem dicitur originale? Quia cum origine trahitur; id est, quia eatenus posteri eo afficiuntur, quatenus, ratione originis, in Adamo iam erant quando Adamo peccavit. « Videtur dici originale, ait Ansel- « mus, ab ipsa origine uniuscuiusque personae humanae: « quamvis si quis dicat peccatum vocari originale eo quod « ab illis descendat in singulos a quibus habent originem « naturae, non contradicam, si tamen non negetur originale « peccatum cum ipsa uniuscuiusque personae trahi origine ».[4]

3) Quomodo autem erant in Adamo? Personaliter? Non; sed propter derivatam ab ipso naturam. Vocatur ideo peccatum *naturae,*[5] ut distinguatur a peccato *personae,* ita tamen ut, mediante natura, a persona Adami transeat ad posterorum personas. Distinctionem inter peccatum personale et peccatum originale bene illustrat S. Anselmus: « Est peccatum « quod quisque trahit cum natura in ipsa sui origine; et est

[1] Cf. Lüchen, *Die Traditionen des Menschengeschlechtes,* § 29, 44. - Necnon Aug. Nicolas, op. cit.

[2] *De mor. Eccl.,* c. 22.

[3] Cf. dicenda in Corollario IV huic articulo adnexo.

[4] *De Conc. Virg.,* c. 1.

[5] Quid sit peccatum naturae, egregie illustrat Card. Billot, *De personali et originali peccato,* p. III, § 1, Prati, Giacchetti, p. 1910, p. 140 sqq.

« peccatum, quod non trahit cum ipsa natura, sed ipse facit « illud postquam iam est persona discreta ab aliis perso- « nis. Illud quidem quod trahitur in ipsa origine, vocatur « originale; quod potest etiam dici naturale, non quod sit « ex essentia naturae, sed quoniam propter eius corruptio- « nem cum illa assumitur. Peccatum autem quod quisque « facit, postquam persona est, personale potest nominari, « quia vitio personae fit ». [1]

4) Sed, licet peccatum *originale* peccatum sit *naturae,* non ideo non est *verum peccatum.* - Cf. can. 2, Sess. V, Conc. Trid., ubi ratio veri peccati in originali labe vindicatur. [2] - Iam vero peccatum verum nequit esse sine *culpa;* culpa autem nequit esse sine voluntario, voluntarium autem nequit esse nisi in anima rationali. Oportet igitur ut in peccato originali ratio inveniatur voluntarii ipsam animam afficiens, imo ipsam personam; quae ratio ad essentiam peccati originalis, uti peccati, omnino pertinet. [3]

5) Imo quum peccatum originale sit peccatum verum in unoquoque posterorum Adami, oportet ut in unoquoque haec *voluntarii* ratio adsit. Etenim mera relatio originalis culpae ad voluntarium Adami, tamquam effectus ad causam, non sufficit ut in unoquoque vera peccati ratio habeatur. Nondum enim haec ponit in singulis rationem voluntarii.

6) Haec autem voluntarii ratio non potest quaeri *a*) in actuali voluntatis usu, qui nondum adest in infantibus, et a fortiori non potuit esse tunc quando Adamus peccavit. - Neque potuit *b*) esse actus putativus, interpretativus, quatenus Deus praevidisset omnes homines eodem quo Adamus egit modo acturos fuisse, si exstitissent. Etenim est contra iustitiam quod aliquis pro tali interpretativo peccato puniatur. Quod probatur ex sententia Scripturae dicentis: « Raptus

[1] Ibid.

[2] Hoc efficaciter exprimit Augustinus hac brevissima formula: « Nos homines « trahentes ex Adamo et mortem et delictum ». *

[3] Quare nescio utrum feliciter cl. Tepe, in sua caeteroquin egregia expositione, dum essentiae peccati originalis analysim instituit, tam tarde de hac voluntarii ratione loquatur. **

* *In Ioann. Tract.* XLIII, n. 9. - *P. L.* XXXV, col. 1709.

** Op. cit., Prop. LXXIV.

« est ne malitia mutaret intellectum »,[1] et constat ex controversiis Patrum cum Pelagianis. Insuper neutrum requiritur, quum agatur de peccato naturae.

7) Nihil proin restat nisi voluntarium ratione *solidaritatis* et continentiae,[2] qua Adamus erat genus humanum, et genus humanum ille unus homo. Ad quam continentiam illustrandam sufficit considerare Adamum ut caput naturae, utpote in quo continebantur quotquot naturali via ab eo oriuntur; quin recurratur ulterius ad pactum quoddam quo Adam constitutus erat humani generis caput iuridicum.[3]

8) Ultro quidem fatendum est, hanc rationem longe efficaciorem videri si omnes homines, quantum ad animam, contenti fuissent in Adamo, non minus quam quantum ad corpus.[4] Eo magis quod agitur de contrahenda culpa, quae nequit esse nisi ubi adest anima, et quidem formaliter in anima.[5] Inde mirum non sit, Augustinum, propter traductionem peccati originalis, de traductione ipsarum animarum dubitasse.[6]

[1] Sap., iv, 11.

[2] Haec solidaritatis lex in variis Scripturarum locis exprimitur: (Exod., xx, 5; Eccl., xxv, 33; Sap., ii, 23, 24).

[3] Cf. plura de hoc dicenda in *Quaeres II* huic articulo adnexo.

[4] Optime id ita exprimit Hugo Victorinus: « Si animae ex traduce esse dicerentur, non tanta quaestio esset, quia manifestior iustitia esset in eo quod peccatum originale a patribus in filios transire dicitur ». Et addit: « Sed nos, si occulta « Dei iudicia ratione comprehendere non possumus, tamen pro solvendis dubiis « dubia alia asserere non debemus ».* Quod nimis mite dictum est. Animas esse ex traduce non est dubium, sed falsum. Dubia autem, si conferant ad mysterium illustrandum, possunt quidem adduci; imo quo melius dogma illustrant, inde iam maiorem acquirunt probabilitatem. Ita sententia scholastica de habitudine accidentium ad substantiam, a dogmate eucharistico confirmationem accipit; ita pariter, distinctio realis inter essentiam concretam et existentiam in creaturis,** corroboratur per sententiam quam loco suo exposuimus ad explicandam habitudinem inter perfectam naturam humanam et personam divinam Christi.

[5] Cf. dicenda in sequenti Capite.

[6] Cf. quae de hac mente Augustini in praecedenti volumine diximus, p. 614 sqq.

* *De Sacram.*, l. i, p. 7, c. 30. – *P. L.*, t. clxxvi, col. 301.

** Hanc distinctionem, – quae est una e xxiv thesibus thomisticis nuper a S. S. probatis, - esse quidem tamquam normam directivam tutam proponendam, non autem imponendam uti scholis catholicis tenendam, ex ipso responso S. Congr. de Sem. et Stud. apparet, et recentius ipse Summus Pontifex Benedictus XV expressis verbis declaravit (*Lettre au T. R. P. Ledochowski*, p. 29). Et addit: « Il faudrait « craindre que la restriction d'une telle liberté ne rognât les ailes au génie, au « grand détriment d'une étude plus profonde et du progrès de la théologie ».

Sed hoc systema iam falsitatis arguitur. Restat proin a parte rei seu facti sola continentia generis humani in Adamo quantum ad corpus; quatenus seminali ratione omnes posteri continebantur in generis humani protoparente. Quaeritur ergo quomodo haec mera seminalis continentia sufficere possit ad traducendam culpam.

9) Rursus haud difficile probaretur hanc continentiam sufficere, si animae, licet non ab anima Adami traductae, nihilominus gignerentur de potentia materiae quae est generationis vehiculum, quemadmodum in brutorum generatione anima bruti exsurgit de potentia materiae generationis via traductae. Sed et hoc deficit, propter spiritualitatem animae. Quomodo ergo, quum animae immediate a Deo materiae infundantur, oritur peccatum? [1]

10) Deum creare animam peccato maculatam, repugnat.[2] Si igitur animam consideramus a parte creantis illam, non possumus invenire in illa nisi gradus perfectionis, quatenus creatur cum sola perfectione naturali, vel insuper ornatur donis supernaturalibus. Minus utique perfecta erit anima in solis naturalibus condita, sed absentia altiorum donorum non poterit in ea esse carentia, nisi haec dona ei inesse debuissent. Si autem inesse debeant, stare nequit quod a parte Dei anima eisdem privetur, nisi obveniat causa a parte creaturae.

11) Pariter repugnat, peccatum formaliter iam esse in corpore cui anima unitur; nam peccatum requirit voluntarium, voluntarium autem requirit principium rationale. Restat igi-

[1] Hugo Victorinus hic fatetur esse cardinem difficultatis, imo tantae, ut melius sit elicere actum fidei quam penitius in mysterium inquirere: « Quomodo autem « anima, quae munda ac sine vitio creatur, particeps fiat illius vitii quod per solam « carnem adducitur, dignum inquisitione esset, si hoc diligenter investigari posset. « Nunc autem quia scientiae humanae expositum non est ad cognoscendum, fide a « nobis credendum est, non curiositate inquirendum ». Et variis allatis explicationibus, concludit: « Nos tandem id quod verum est, profiteri oportet, iustitiam in « hoc irreprehensibilem quidem esse, sed comprehensibilem non esse ». *

[2] Bene hoc affirmat Hugo Victorinus: « Deus creat eam (animam) mundam, id « est ex creatione nullam maculam habet: et ita talis est quantum ad creationem, « qualem creat eam Deus. Semper est enim bona et munda quantum ad creatio- « nem ». **

* *De Sacram.*, l. I, n. 7, c. 35, col. 303.

** Op. cit., c. 12, col. 109.

tur ut peccatum exsurgat in ipsa unione animae cum corpore; vel, magis praecise loquendo, in instanti quo anima in corpore creatur, ita quidem ut nihil in peccato sit quod in Creatorem redundet.

12) Neque inanis est haec sermonis correctio. Etenim, si anima in ipso corpore creatur, successio logica in elevatione initiali ad statum supernaturalem facilius concipitur talis, ut primo spirituale principium iungatur materiae, ad efformandum compositum humanum, et tunc, utique in instanti, ille homo elevetur ad statum supernaturalem.

13) Si proin Deus destinabat dona supernaturalia[1] cuivis homini de Adamo seminali via oriundo, et si legem statuerat[2] iuxta quam Adamus, uti naturae humanae caput, esset dominus tum sibi tum posteris non solum naturae humanae naturali via traducendae, sed et elevationis supernaturalis, deiecto Adamo ab hac elevatione; iam cum illo posteri ab eadem deiiciuntur.[3] Quare quotiescumque novus homo formatur, vixdum infusa anima, Deus agnoscens in illo homine solidaritatem cum Adamo, in esse et in voluntario, recusat ei dona quae ex primaeva ordinatione ipsi destinabantur, illumque propter solidaritatem cum Adamo excludit a regno, et ita illum damnat.

[1] Quanti momenti sit, in analysi peccati originalis, haec hominis destinatio ad statum et finem supernaturalem, ex sequentibus magis apparebit. Quam destinationem si Hugo Victorinus magis prae oculis habuisset, efficacius obiectis sibi difficultatibus respondisset. Hoc tantopere verum est, ut peccatum originale absque tali elevatione originali concipi non possit. Bene Laminne: « Lorsqu'il s'agit de la « fin naturelle, l'activité requise pour l'obtenir ne peut être que naturelle, celle qui « est la conséquence normale de la nature et dont, absolument parlant, celle-ci ne « peut pas être privée. D'autre part on ne conçoit pas que Dieu refuse d'accor- « der à un être sa fin naturelle, s'il ne s'est pas rendu positivement indigne de ce « bienfait par le péché mortel. Donc on ne conçoit pas davantage ce qui pourrait « être dans l'ordre naturel un péché habituel sans faute *personnelle* proprement « dite ». *

[3] Recte exponit Palmieri, oeconomiam transfusionis peccati originalis non provenire unice ex lege naturae, sed insuper ex positiva Dei dispositione. **

[3] Duplex proin heic nexus inter Adamum et posteros simul concurrit, conditionis scilicet et unitatis; prior sine altero non sufficeret ut privatio gratiae in posteris esset fundamentum culpae. ***

* Op. cit., ch. IV, p. 69.

** Op. cit., t. IX, n. 117 sqq.

*** Cf. PALMIERI (ibid., p. 118 sqq.).

14) *Absentia* igitur supernaturalium donorum in vixdum nato homine non est solum absentia gratuitae perfectionis; est insuper *carentia* perfectionis debitae. Inde ille homo Deo displicet, fit pars illius magnae ruinae, quae Dei iram provocat.

15) Imo haec carentia est vera *spoliatio.* Nam lex solidaritatis non minus valebat efficaciter quoad transmittenda bona quam quoad traducenda mala. Proin totum genus humanum censendum est praedestinatione conditionali habuisse dona supernaturalia. Singuli ergo homines nascuntur ut, ex illa primaeva praeordinatione, haberent illa dona primo homini de facto collata. Etenim, sicuti Providentia Dei creantis numquam deest formandae humanae animae quotiescumque ex naturae lege adest materia disposita;[1] ita Providentia elevantis iam destinarat, utique in consilio suo, non in re, cuivis animae supernaturalia dona. Tria proin possunt circa animationem distingui quasi momenta: *a*) unio animae ad corpus, *b*) inclinatio primordialis divinae bonitatis ornandi hanc animam dotibus supernaturalibus, *c*) frustratio horum donorum propter solidaritatem cum Adamo peccatore. Hoc sensu sacerdos stolam induens orat: « Redde mihi, Domine, « stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione « primi parentis ». Iam erat nostra, Adamus ea nos spoliavit, Christus vero eam restituit.

16) Hucusque dicta iam sufficere possunt ad peccati rationem in originali labe aliqualiter suadendam. Nec mirum est, multos theologos vix ulterius progredi. Imo multi neque dicta sub numeris 12) et praesertim 15) adhibent. Quaeramus nihilominus utrum ex ipso modo quo corpora traducuntur, non possit ulterius haec voluntarii ratio illustrari. Affirmant scholae quae Augustinum et Thomam sequuntur, necnon Bonaventuram cum Lombardo.

17) Quod paucis heic addendum est. Rebellio quippe contra Deum habuit in Adamo duplicem principalem effectum: *a*) substractionem gratiae in anima, *b*) rebellionem concu-

[1] Cf. verba S. Augustini: « Non Creatoris desistente bonitate ... hominum, « quamvis de propagine vitiata damnataque nascentium, formare semina et animare « et ordinare membra ... ». *

* *Enchirid.* c. 27. – *P. L.*, XL, col. 245.

piscentiae in corpore.[1] Aliis verbis status lapsus consistebat praesertim in his duobus: in rebellione animae contra Deum, et in rebellione corporis contra spiritum. Primum elementum est formale, alterum materiale status habitualis a peccato actuali inducti. Corpus proin praeternaturalibus donis orbatum, per rebellionem carnis contra spiritum, habet relationem intimam cum rebellione animae contra Deum. Quod et de peccato habituali originali verum esse debet.

Iam vero concupiscentia vitiata sese maxime prodit in ipsa via qua corpora traducuntur.[2] Traducitur proin materia infecta concupiscentia, contra spiritum rebellatura; quae rebellio, utique in germine, propter rebellionem voluntariam a qua est, consideratur tamquam ab eadem rebellione derivata, et iam facit, ex solidaritate cuius est indicium et vehiculum, huic corpori infundi animam, propter eamdem solidaritatem, rebellionis animae Adami, participem, id est, sicuti Adami animam, gratia destitutam, propter delictum a regno excludendam.[3]

[1] Plura de hoc infra dicemus, ubi de concupiscentia, uti materiali peccati originalis, disseremus.

[2] Hunc argumenti adspectum ita exponit Hugo Victorinus: « Nisi caro in « concupiscentia traduceretur, illo peccato anima non teneretur. Unde invenitur « quod Christus non habuit carnem peccatricem, sed similem carni peccati;* quia « illa caro non ex concupiscentia viri de matre fuit propagata, sed operatione Spiritus « Sancti ». ** Et paulo superius: « Non ideo imputatur eis (Adae filiis) quia in eo « (Adamo) tunc fuerunt originaliter, cum et Christus secundum carnem in eo tunc « fuerit; sed quia per concupiscentiam, quae venit de peccato illo, inde descenderunt. « Et ita potest dici quod ideo imputatur toti posteritati; quia in effectu huius pec« cati, id est in lege peccati, de hoc veniente, concipiuntur, videlicet in concupi« scentia. Furtum, homicidium et caetera non imputantur posteris; quia non fit ipsa « generatio secundum effectus illorum, id est secundum motum de illis venientem ».*** Quid in his verbis deficiat, quid excedat, iam ex dictis patet, et ex dicendis magis apparebit.

[3] Apud Miltonen Adam hanc solidaritatis legem pulcherrime proclamat ita invehens in se ipsum, forsan cum quodam excessu voluntatis singulorum in primi parentis voluntate inclusae:

Both Death and I
Am found eternal, and incorporate both:
Nor I on my part single; in me all
Posterity stands cursed. Fair patrimony
That I must leave ye, sons! Oh, were I able

* Rom., VIII.

** Ibid., *Summa Sent.*, tract. III, c. 10, col. 108.

*** Ibid., c. 10, col. 105. Cf. *De Sacram.*, l. I, p. 7, c. 31, col. 301 sq.

Haec, decursu tractationis evolvenda magis, iam in hac dissertatiuncula praelibanda duximus, tum ut ab exordio syntheticus conspectus habeatur, tum ut melius percipiatur modus quo S. Thomas, ab ipso primo articulo discipulum in cardinem mysterii inducens, logice simul et subtiliter argumentum disponit.

***

II. **Ad Textum.** - Titulus debet sumi cum reduplicatione, id est: Utrum primum peccatum, uti peccatum est, et non tantum uti poena est, etc.

Obiectiones mirabili ordine congeruntur. Prima impetit factum traductionis; alterae rationem, seu modum facti. In quibus adverte instantiarum nexum. Etenim concesso facto, ratione participatae culpae (1ª Obi.); haec participatio facilius intelligeretur si anima traduceretur (2ª Obi.); vel saltem, hoc negato, si in materia traducta, animamque appellante, posset esse ratio culpae (3ª Obi.); unde, hoc rursus negato, totum reducitur ad proprietatem inficiendi (4ª Obi.); quae maior sit in carne adhuc formanda, ratione propagationis naturae humanae, quam in carne iam formata. Sed neque in hoc ratio culpae apparet, nisi ex solidaritate, per originem cum praevaricatione primi parentis (5ª Obi.).

Sed contra est. Hic S. Thomas ex revelatione depromit argumentum quo *factum* traductionis peccati originalis statuitur. Vide alia testimonia Scripturae aliaque auctoritatis argumenta in praecedenti dissertatiuncula allata. Optime Augustinus: « Nimis longum fiet, si ad singula testimonia « similiter disputemus ». Arguerat hucusque ex Rom., c. V, et ex textibus qui de baptismo[1] et fide in Christum agunt.

To waste it all myself, and leave ye none!
So disinherited, how would ye bless
Me, now your curse! Ah, why should all Mankind,
For one man's fault, thus guiltless be condemned?
If guiltless! But from me what can proceed
But all corrupt-both mind and will depraved
Not to do only, but to will the same
With me? How can they, then, acquitted stand
In sight of God? *

[1] Cf. praeter citatos: Tit., III, 5; 1 Petr., III, 21.

* Op. cit., l. x.

Ex quibus sequentes textus iam praecitatis addere iuvat: « Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius. Qui cre- « dit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem incredulus « est Filio, *non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* ».[1] - « Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut *omnium* « *misereatur* ».[2] - « Ego lux in mundum veni; ut omnis qui « credit in me, *in tenebris non maneat* ».[3] - Et pergit Augustinus: « Unde commodius esse arbitror, acervatim cogere « quae occurrere potuerint, vel quae sufficere videbuntur, « quibus appareat, Dominum Iesum Christum non aliam ob « causam in carne venisse, ac forma servi accepta factum « obedientem usque ad mortem crucis, nisi ut hac dispen- « satione misericordissimae gratiae omnes, quibus tamquam « membris in suo corpore constitutis caput est ad capessen- « dum regnum caelorum, vivificaret, salvos faceret, liberaret, « redimeret, illuminaret, qui prius fuissent in peccatorum « morte, languoribus, servitute, captivitate, tenebris consti- « tuti, sub potestate diaboli principis peccatorum: ac sic « fieret mediator Dei et hominum, per quem post inimicitias « impietatis nostrae, illius gratiae pace finitas, reconciliare- « mur Deo in vitam aeternam, ab aeterna morte quae tali- « bus impendebat, erepti ».[4] Dein iterato argumento ex universali lege baptismi, novos textus congerit.[5]

Qua longissima citationum serie texta, Augustinus addit: « Hoc tanto aggere testimoniorum, cuius adversus veritatem « Dei elatio non prematur? ». Et de Vetere Testamento sapienter ait: « De libris quoque V. T. multas contestationes divino- « rum eloquiorum adhibere in hanc sententiam supervaca- « neum putavi, quandoquidem in illis quod occultabatur sub « velamento velut terrenarum promissionum, hoc in N. T.

[1] Ioann., III, 35, 36.

[2] Rom., XI, 32.

[3] Ioann., XII, 46.

[4] *De pecc. mer. et remiss.*, I, c. 26.

[5] Praeter iam expositos supra, notentur sequentes: Luc., V, 32; - XIX, 9, 10; - XV, 3, 10; - XXIV, 46, 47; - Marc., XVI, 15, 16; - Ioann., X, 27, 28; - I Petr., I, 3-9; II, 9; III, 18, 21; - I Ioann., I, 7; V, 9, 12; III, 8; Rom. passim. - I Cor., XV, 3; II, V, 14; VI, 2; - Gal., I, 3, 4; III, 19-22; - Ephes., II, 1-18; IV, 21-24, 30; - Coloss., I, 12-14; II, 10-25; - I Tim., I, 15, 16; II, I, 8-10; - Tit., II, 13, 14; III, 4; - Hebr., I, 1-3; II, 2, 3, 14-17; IV, 15; VII, 24-27; IX, 24-28; - Apoc., V, 9; - Act., III, 14, 15; V, 30-31; X. 43; XIII, 38, 39.

« praedicatione revelatur ».[1] Unde quaecumque typice in Lege ad Christum Redemptorem ordinabantur, ac magis quaecumque vaticinia passionem eius expiatricem praenuntiabant, implicite culpam humani generis proclamabant. Cf. imprimis cap. LIII Isaiae; praesertim: « Omnes nos quasi « oves erravimus ... et posuit Dominus in eo iniquitatem « omnium nostrum ... Si posuerit pro peccato animam suam, « videbit semen longaevum ».[2]

Sed quaeres, utrum textus qui affirmant, Christum in se credentibus esse sanctificationis et liberationis auctorem, absolute probent, omnes prorsus liberatione et sanctificatione indigere. – Respondetur affirmando. Nam, licet veritas propositionis affirmativae universalis non possit semper servari vertendo eam in negationem, nihilominus in casu haec conversio valet. Etenim dicere: « omnis qui crediderit in « Christum salvabitur », idem est ac dicere: « nemo credit « in Christum, quin salvetur ». Hoc autem rursus idem est ac dicere: « nemo salvabitur, nisi qui crediderit in Chri- « stum »; secus darentur qui credunt in Christum, et tamen per ipsum non salvantur, quatenus salvari non indigent. Unde S. Augustinus ex Pauli doctrina[3] concludit, « ex Adam « neminem natum nisi damnatione detineri, et neminem nisi « in Christum renatum a damnatione liberari ».[4]

In Corpore. S. Thomas duo facit: 1) Confirmat *factum.* 2) Inquirit in *modum* facti. De utroque pauca.

1) Tria occurrunt in hac parte. *a*) affirmatio dogmatis; *b*) confirmatio eiusdem ex baptismo puerorum; *c*) haeresis opposita, ab Augustino debellata.

2) Tria quoque occurrunt in altera parte.

a) Duplex suggeritur explicatio modi: α) per traductionem animarum; β) per analogiam cum traductione morborum. – *b*) Ostenditur insufficientia utriusque explicationis, dato etiam quod animae traducerentur; quia in utraque deest ratio culpae obligantis ad poenam, quia deest ratio voluntarii. – *c*) Efficax explicatio affertur, illustratur et con-

[1] Ibid., c. 27, n. 53.
[2] Ibid., 6, 10.
[3] Rom,, v, 16, 18.
[4] *Enchirid.* c. 51. – *P. L.*, t. XL, col. 256; cf. 33, col. 248, sq.

firmatur: α) affertur: est quippe solidaritas qua omnes homines erant ille unus Adam. – β) Illustratur, per actum manus participantem, ratione totius, voluntarium hominis cuius est membrum.[1] – γ) Confirmatur hic conceptus voluntarii, ex ipsa appellatione peccati *originalis,* peccati *naturae.*

Adverte, in discussione utriusque explicationis quam reiicit, S. Thomam non negare utrique viae inesse aliquid unde intelligentia traductionis culpae iuvetur. Sed negat illas sufficere, quia deest elementum voluntarii. Proinde non negat hoc elementum voluntarii, modo addatur, facilius in utraque via posse intelligi. Sed fundamentum explicationis omnino reiiciendum est. De altera explicatione sermo recurret infra. Simillimum recurrit apud Thomam (*De malo,* Q. IV, *De pecc. orig.* a. 1). – In II Sent., Dist. XXX, q. 1, art. 2 ad 3m, S. Doctor voluntarii rationem magis inde repetit quod, sicuti donorum supernaturalium in posteros transmissio ab Adami perseverantia pendebat, ita quoque amissio eorumdem, culpam consequens, pro posteris ad voluntatem primi peccantis reducitur.

Sententiam S. Bonaventurae investigabimus, ubi agemus de concupiscentia relate ad peccatum originale. De S. Anselmi autem sententia dicemus, ubi de originalis peccati essentia et subiecto.

Quaeres I. – Nonne S. Thomas hac in re sententiam mutavit, quatenus secundam explicationem, quam hic reiecit uti insufficientem, in Commentario Lombardi adducit? En quomodo ibi loquitur: « Peccatum originale non traducitur per « traductionem sui subiecti, quod est anima rationalis, sed per « traductionem seminis, quia ex quo anima patris per pec- « catum infecta fuit, sequitur etiam inordinatio in corpore, « subtracto illo ordine quem natura instituta prius acceperat, « et ita etiam in semine illo generatur corpus tali ordine « destitutum; unde et anima quae tali corpori infunditur,

[1] In ordine inverso, eadem autem solidaritatis lege, famosus ille versus Corneille:

*Quand le bras a failli, l'on en punit la tête.**

* *Cid.*

« deordinationem culpae contrahit ex hoc ipso, quod huius-
« modi corporis forma efficitur, cum oporteat perfectionem
« perfectibili proportionatam esse: sicut propter aliquam
« corruptionem seminis contingit, non tantum defectus in
« corpore prolis ex illo semine generatae, ut lepra, podagra
« vel aliqua huiusmodi infirmitas: sed etiam defectus in
« anima, ut patet in his qui a nativitate naturali sunt sto-
« lidi ».[1] Sane primo intuitu videtur S. Thomas hic adducere explicationem, quam in *Summa Theologica* insufficientem iudicat. Unde Turmel scribit: « Vers la fin de sa vie le « Docteur Angélique parut comprendre que ce mélange de « vues Anselmiennes et Augustiniennes était hétéroclite. « C'est du moins ce que semble prouver le texte de la « Somme où sont accusées d'inanité les explications dont « s'étaient nourris jusque-là les Docteurs ».[2]

Sed aliud est, S. Doctorem has vias appellare insufficientes; aliud, easdem uti inanitates tractare. Re autem penitius investigata, Angelicus non sibi contradicit, nec sententiam mutavit. Nam utrimque in *Corpore* doctrina est omnino eadem, cum hoc tantum discrimine, uti monebamus, quod in Commentario Lombardi non expresse recurritur ad comparationem cum manu ad transmissionem voluntarii explicandam. Quoad rem autem utraque argumentatio prorsus convenit: etenim eo intendit ut in peccato originali explicet rationem voluntarii, sine qua potest quidem transmitti defectus aut etiam malum, non autem culpa. De comparatione autem cum lepra, aut alio seminis defectu, S. Thomas in *Corpore* nihil habet. Quare doctrina est utrimque eadem. – In resp. ad 3^m^ adducenda erat comparatio cum lepra, non quasi medium transfusionis culpae, sed cuiusdam mali, quod, si ratio voluntarii in causa accedat, culpa fieri poterit.

Et sane neque heic in *Summa* S. Thomas recusat partem veritatis quae in hac comparatione habetur; sed negat, eam esse sufficientem ut rationem culpae explicet. Quare utrimque adhibet comparationem, sed ei addit quod princeps est, rationem transmissionis voluntarii.

[1] II Dist., XXX, q. 1, a. 2, ad 3^m^.
[2] Op. cit., p. 249.

Quum autem obi. 3ª negaret transmissibilitatem peccati originalis, quia non traducuntur animae, sed creantur; pronum erat ut S. Thomas in responsione ostenderet quid de statu, per originale peccatum inducto, influat in propagationem humani generis. Quae tamen responsio est intelligenda et complenda iuxta doctrinam in *Corpore* expositam.[1]

Corollarium I. – Ex doctrina in hoc articulo et in praevia dissertatiuncula exposita sequitur, mysterium radicitus tollere illos qui peccatum originale reducere conantur ad aliquod poenae debitum, quo, pro primi hominis peccato, tenentur quotquot a primo homine descendunt. Bene Hugo Victorinus hanc sententiam exponit et insufficientem ostendit: « Quidam dicunt quod originale peccatum sit debitum « quo tenentur omnes pro peccato primi hominis; quia pro « illo omnibus debetur poena aeterna nisi per gratiam liberentur. Isti dicunt quod originale peccatum non sit peccatum; sed si Scriptura quandoque vocat illud peccatum, « astruunt quod ibi peccatum pro poena accipitur: et sicut « pro peccato parentis quandoque exsulant filii secundum « iustitiam saeculi, ita ex iustitia Dei omnes tenentur rei pro « peccato illo; et ita secundum istas in anima pueri nullum « peccatum est. Quia dicunt ipsi: " Si anima pueri numquam « peccavit, non est in ea peccatum „; et tamen concedunt « quod in ea est originale peccatum, quia tenetur debito peccati ». Ecce iam quomodo hanc sententiam[2] iudicet: « Sed « plane contra Apostolum loquuntur isti, cum Apostolus « dicat: " Per inobedientiam unius, peccatores constituti sunt « multi „. Ecce quod Apostolus vocat nos peccatores antequam regenerentur; sed si tantum esset poena et non « culpa in istis, ut ipsi aiunt, non peccatores essent. Item « dicit Apostolus: " Per unum hominem peccatum intravit in « mundum, et per peccatum mors „. Aliud peccatum quod intravit; aliud ipsa poena quae innuitur in verbis Apostoli ».[3]

[1] Ex dictis vide, quid excedat in sententia Turmel: « La lèpre, la goutte et la « folie sont appelées à expliquer comment la source de la vie sert de véhicule à la « tache héréditaire » (op. cit., p. 248).

[2] Durandus ab hac sententia non fuit alienus.

[3] Op. cit., c. 11, col. 106. Depulsa hac sententia, quae peccat per defectum, confutat aliam sententiam quae peccat per excessum, utpote contendens « quod originale

Meritum est Ecclesiae catholicae hanc veritatem, peccati scilicet rationem, in originali labe strenue vindicasse, non solum contra Pelagianos olim, sed et nunc contra rationalisticum naturalismum, qui campum theologiae protestanticae, quin et modernisticae, invasit. Quare insulsa prorsus est calumnia Bovon, qui non veretur asserere, doctrinam catholicam de peccato originali eamdem esse ac doctrinam Pelagianam.[1]

Optime Cardinalis Bellarminus hanc in originali labe rationem peccati illustrat et vindicat: « Si quis a nobis quaerat « quid proprie sit originale peccatum, respondebimus cum « distinctione ad hunc modum: si peccatum pro actione « cum lege pugnante accipiatur, peccatum originale est « prima Adami inobedientia ab ipso Adamo commissa, non « ut erat singularis persona, sed ut personam totius generis « humani gerebat. Si vero peccatum accipiatur pro eo quod « residet in homine post actionem et unde idem homo non « peccans sed peccator nominatur, peccatum originale est « carentia doni iustitiae originalis ». Unde, nisi ad hanc participationem voluntarii Adami perveniatur, non potest attingi in originali labe vera ratio peccati:[2] « Nisi enim ponamus « nos in Adamo et cum Adamo vere peccasse, nulla ratione « explicari poterit quomodo in parvulis recens natis sit ali- « qua vera culpa, et hoc catholicum dogma non tam supra « rationem quam contra rationem esse videbitur. Nam quid- « quid dicamus in parvulis ex peccato Adami haerere, sive « reatum, sive aversionem, sive gratiae privationem, sive « quid aliud, illud nullo modo parvulis vitio dari ac ne esse « quidem poterit, nisi processerit ex actione libera, cuius « actionis illi aliquo modo participes fuerint. »[3]

Corollarium II. - At, si alte tenenda est ratio mysterii, frontose depellendae sunt calumniae, quas in hoc dogma adversarii christianae religionis congerunt, ac si in ratio-

« peccatum sit inobedientia ». Prima sententia ponebat quidem originale, sed negabat peccatum; haec ponit peccatum, sed actuale potius quam originale.

[1] *Dogm. christ.*, t. I, p. 405.

[2] *De amiss. grat. et stat. pecc.*, l. V, c. 17.

[3] Ibid., c. 18.

nem offendat, et imprimis calumniae quae dogma catholicum falso modo repraesentant.

« Ecartons d'abord, ait Lacordaire, les idées puériles que « l'ignorance se forme sur le péché originel. On se persuade « que, d'après l'enseignement de l'Eglise, tout homme qui « vient au monde a commis personnellement la faute dont « le père du genre humain s'est rendu coupable: c'est là « tout ensemble une démence et une hérésie. Pour que nous « eussions commis en personne, par voie de perpétration ou « de complicité, la faute adamique, il faudrait, de deux cho- « ses l'une, ou que la personne d'Adam eût été la nôtre, ou « que l'acte même de sa rébellion nous eût été transmis. « L'une et l'autre de ces suppositions sont absurdes ».[1]

Contra adversariorum calumnias cl. Garrigou-Lagrange propugnat thesim: « Hoc mysterium, in sensu Ecclesiae acce- « ptum, non repugnat rationi ».[2] Quod optima gradatione evolvit: *a*) « Non ex parte divinae iustitiae, cum peccatum « originale sit solum privatio gratiae et donorum prae- « ternaturalium seu rei indebitae ..... » ; *b*) « Neque divinae « sapientiae et bonitati repugnat permittere seu tolerare « lapsum Adami et filiorum eius ». Quod illustrat per excellentiorem ordinem Redemptionis. - Iam suasivas addens rationes pergit. *c*) « Imo melius explicatur praesens humani « generis conditio, semel admissa existentia originalis pec- « cati ».[3] Quod evolvit ipsis S. Thomae verbis a nobis superius allatis, ubi de dono integritatis agebamus. *d*) Denique mysterium peccati originalis confirmatur variis populorum traditionibus. Et claudit sententia quae prorsus concordat assertioni a nobis quasi eisdem verbis prolata : « Proinde, uti « ait Pascal, sine hoc mysterio homo est magis incompre- « hensibilis, quam hoc mysterium est incomprehensibile « homini. Hac enim doctrina solvitur aenigmaticum pro- « blema de existentia in homine tantae fragilitatis ac mise- « riae et tantae aspirationis ad sublimia ».[4]

[1] LXV *Conférence.*

[2] Cf. de hoc argumento Palmieri (op. cit., th. X).

[3] Cf. de eodem argumento Thys (op. cit., c. V, § 3).

[4] *Theologia fundamentalis secundum S. Thomae doctrinam. Pars apologetica. – De revelatione per Ecclesiam catholicam proposita,* vol. II, p. 244 sq.

Caeterum, non est prae oculis amittendum, agi heic de mysterio; ac proin non exigi ut, quod creditur, directe demonstretur possibile. Quod iam ab initio huius Partis, agentes de ipso ordine supernaturali, monebamus. Distinctionem inter haec duo: non videre possibilitatem, aut videre impossibilitatem alicuius rei, v. gr. credendi mysterii, Cardinalis Newman optime illustrat celebri concione, in qua ostendit: « It is quite as difficult, and quite as easy, to believe « that there is a God in heaven, as to believe that the Catho- « lic Church is His oracle and minister on earth ». Inter alia haec habet, loquens de reali praesentia Eucharistica, quam adversarii reiiciunt uti impossibilem: « Now Catholics do « not see that it is impossibile at all, that our Lord should « be in Heaven yet on the Altar; they do not see indeed « *how* it can be both, *but* thay do not see *why* it should not « be; there are many things which exist, though we do not « know *how*; - do we know *how* anything exists? - there « are many truths which are not less truths because we can- « not picture them to ourselves or conceive them; but at any « rate, the Catholic doctrine concerning the real Presence is « not more mysterious than how Almighty God can exist, « yet never have come to existence ».[1]

Cavendum tamen sedulo, ne desiderio ostendi non repugnantiam inter rationis dictamina et fidei de peccato originali, talis huius dogmatis explicatio detur, quae mysterii indolem tollere videatur. A quo excessu non omnino immunem censemus ipsum Perrone, optimi sane nominis theologum. Incedens ab expressione Conc. Trid., quae peccatum originale vocat *mortem animae,* haec scribit: « Mors non « est nisi vitae privatio; cum autem vita animae sit gratia « sanctificans, hinc facile fluit mortem animae, ac proinde « peccatum originale in sua formali ratione, ut aiiunt, spe- « ctatum, consistere in privatione gratiae sanctificantis seu « iustitiae originalis, quam Adam peccato suo, dum sibi per- « didit, perdidit etiam toti posteritati suae ». Et, paucis interiectis, pergit: « Hoc intercedit inter peccatum Adae et pec- « catum posterorum eius discrimen, quod peccatum in Adam

[1] NEWMAN'S *Works. - Sermons to mixed Congregations.* - Disc. XIII, *Mysteries of nature and of Grace,* 7th ed. Burns and Oates, London, 1886, p. 260, 266.

« duplici sensu tale sit, nempe actionis et reatus, qui actio-
« nem pravam sequitur, atque consistit in gratiae privatione
« seu spoliatione; in posteris vero in altero tantum sensu,
« nempe quantum ad illos peccatum istud consistit in reatu
« seu privatione sive expoliatione gratiae sanctificantis....
« Adam ea privatus fuit agendo, posteri autem nascendo ».[1]
Unde concludit: « Frustra igitur insultant increduli catho-
« licae fidei, quasi haec ad exponendam propagationem pec-
« cati originalis doceret, quod voluntas nostrae coniunctae
« seu iuclusae essent in voluntate Adami, sive spectetur
« ut caput physicum, sive ut caput morale totius generis
« humani ».[2]

Ad quae haec breviter monemus: 1) Non distinguit Perrone inter exaggerativam doctrinam inclusionis nostrarum voluntatum in voluntate Adami, et traditionalem doctrinam de Adamo capite physico seu naturali totius humani generis, quae est manifesta doctrina S. Augustini et S. Thomae. – 2) Negat inclusionem, et tamen tenet reatum. Iam vero quodnam erit verum huius reatus fundamentum, nisi recursus habeatur ad nexum inter voluntarium Adami et contrahentes reatum? – 3) Non sufficit dicere, privari originali iustitia Adamum agendo, posteros nascendo, nisi explicetur, cur in posteris haec absentia sit vera privatio constituens reatum. Ergo solutio a cl. Perrone suggesta, est potius absentia solutionis quam solutio vera:[3] « Il me montre bien, dans l'hu-
« manité, les conséquences et les peines de la faute; je n'y
« vois pas la faute elle-même. Bref, je le trouve superficiel.
« Cependant il n'a jamais été censuré. De grands théolo-
« giens l'acceptent. On peut y demeurer ». Ita de hac sententia Illmus Bougaud.[4]

Corollarium III. – Apparet proin pariter ex praesenti doctrina, – quod iam monuerat Card. Bellarminus, quasi ad verbum futuram assertionem Baii confutans,[5] – quantopere

[1] *Theol.*, p. 111. *De Deo Creatore*, c. 4, p. 459-461.
[2] Ibid., p. 471.
[3] Quare non satis Perrone recedit a sententia Durandi.
[4] *Le Christianisme et les temps présents*, l. III, 1e part, ch. VII, 6.
[5] Ibid.

elementum voluntarii sit essentiale in analysi peccati originalis. Recte id monet Laminne, disputans contra liberales protestantes, qui peccatum originale nomine quidem servant, sed rationem peccati in eo non admittunt: « Cette « *ratio voluntarii* n'est pas, comme semble le croire Har- « nack, une affirmation arbitraire sans importance; elle « appartient à l'essence même du péché originel ».[1]

Corollarium IV. – Sed quum peccatum originale sit omnino sui generis, utpote non actuale, sed originale, ita haec voluntarii ratio est prorsus sui generis, utpote non involvens voluntatem illius qui peccatum originale contrahit, sed illius a quo haec contractio derivatur. Unde si per defectum peccant qui veram rationem voluntarii recusant, peccant per excessum qui ad talem inclusionem omnium voluntatum in voluntate Adami recurrunt, quae in singulis voluntatibus veluti ab initio culpam ponat. Bene id illustrat laudatus Laminne: « Adam fut sans doute le chef de notre race au « point de vue physique, il le fut au point de vue surnaturel, « parce que les dons surnaturels devaient être transmis par « lui à ses descendants. Il faillit à ce rôle; sa défection fut « réparée par le Christ, le nouvel Adam. Il fut aussi, si l'on « veut, le chef moral de l'humanité en ce sens que, dans la « mesure que nous avons dite, les destinées morales de « l'humanité lui furent confiées. Ce que nous refusons d'ad- « mettre, c'est que, en péchant, il ait agi au nom de tous « les hommes, ou que nos volontés aient été à ce moment « renfermées dans la sienne ».[2]

Quare efficacius recurritur ad naturae, quam ad omnium voluntatum solidaritatem. Cuius solidaritatis fundamentum non est dumtaxat eadem singulis transmissa natura, sed transmissa natura eisdem donis spoliata, quae per transmittendam naturam singulis destinabantur. Bene rursus idem auctor: « L'état de l'enfant, qui naît privé de la grâce sancti- « fiante, est de même le prolongement d'une faute commise « non par lui, mais par notre premier père, d'où devaient « dériver à ses descendants non seulement les dons de la

[1] Op. cit., c. IV, p. 116.
[2] Op. cit., c. IV, p. 92.

« nature, mais aussi les dons de la grâce. Adam s'est volon-
« tairement mis dans l'état de déchéance dans lequel nous
« naissons. L'état de péché, qu'il a déterminé par sa déso-
« béissance, il l'a transmis à ses descendants. Cet état n'est
« pas chez eux dû à une faute personnelle; c'est pourquoi
« on lui donne le nom de péché originel, afin de signifier
« que c'est à l'origine de notre race qu'il faut en chercher
« la cause ».[1]

Erat scilicet Adamus humani generis dupliciter caput, tum transfundendae naturae, tum transfundendae iustitiae originalis. Quum autem per actuale suum peccatum hoc privilegium amiserit, non sibi dumtaxat, sed et singulis nobis haec dona amisit. Quorum proin absentia, ob nexum cum hac capitis voluntate, fit in singulis, non solum defectus et malum, sed et culpa, non quidem actualis, sed originalis.

Bene de hac voluntarii ratione, sive responsabilitate, a capite humani generis se ad omnes extendente, bene scribit laudatus Laminne: « Il suffit d'admettre que chez Adam seul
« le don d'intégrité réalisait les conditions d'un caractère
« héréditairement transmissible ». Unde: « C'est à Adam
« que remonte la responsabilité de la non-transmission de la
« grâce, c'est-à-dire de la faute originelle ». Quae tamen transmissio supponit primordialem divinae Providentiae ordinationem, vi cuius ab Adami fidelitate pendebat vitae supernaturalis a capite ad membra transfusio: « C'est donc par
« une disposition spéciale de Dieu qu'Adam, en même temps
« qu'il tomba, perdit la prérogative d'être le père de la vie
« surnaturelle pour sa postérité, honneur que sa fidelité lui
« eût assuré, malgré les défaillances qui auraient pu se pro-
« duire dans la suite ».[2]

Hanc specialissimam rationem voluntarii, quae peccato originali propria est, non satis servare videtur sententia, cui tamen optimae famae theologi, uti Salmeron, Toletus, de Lugo, Viva, Platelius et Wirceburgenses nomen dederunt, et quam Chr. Pesch ita exprimit: « Peccatum originale et
« ipsum actuale peccatum Adami, quatenus a posteris eius

[1] Ibid., 87.
[2] Op. cit., c. IV, p. 108 sq.

« moraliter commissum est, et in iis moraliter perseve-
« rans, eos Deo exosos reddit ».[1] In hac enim sententia in peccato originali vix' aliud esse videtur quam habitualis status in peccato inductus et voluntarium ipsius peccati Adami.

Huic sententiae sat proxima est alia sententia, a vera sententia magis secedens, Alberti Pighii et Ambrosii Catharini,[2] iuxta quam peccatum originale est formaliter actuale peccatum Adami posteris eius imputatum. De qua sententia recte scribit Bernardus de Rubeis: « Splendide constat Patrum
« Ecclesiae mens posteros Adae aliquo modo ipsum peccatum
« peccasse quod commisit Adamus. Id unum si velint scripto-
« res quos adversarios recensuimus, nulla sunt reprehensione
« digni. Id redarguimus, quod originale peccatum, cuius rei
« nascimur omnes, nihil aliud esse constituunt, quam Adami
« actuale peccatum nobis imputatum ».[3]

Corollarium V. - Quum igitur ratio peccati in deordinatione a fine et in voluntarietate sita sit, et haec ratio essentialiter differat in peccato actuali et in peccato originali, consequens est, peccatum actuale et peccatum originale non praedicari univoce, sed analogice. Imo, nec univoce praedicatur de actuali mortali et veniali.[4]

Corollarium VI. - Quum peccatum originale sit peccatum indolis omnino differentis a peccato actuali ipsius Adami, nihil concludi potest contra transfusionem peccati originalis ex locis Scripturae in quibus negatur transfusio peccati actualis, seu negatur punitio filii innocentis ob peccata parentum, uti in Ezechiele, c. XVIII, 2-20; aut statuitur lex quae vetat filios morte plecti pro scelere parentum, uti in

[1] Op. cit. n. 256.

[2] Noli confundere hunc adspectum sententiae Catharini cum pacto ad quem recurrit ut transfusionem voluntarii Adami in posteros explicet. Uterque tamen adspectus est intime connexus. Si rectius de voluntarii ratione in peccato originali iudicasset, ad huiusmodi pactum non confugisset. Quod et valet de fautoribus praecedentis sententiae, qui pariter huiusmodi pactum propugnant.

[3] *De pecc. orig.*, c. 57, n. 4. - De variis istis sententiis egregie disputat Vasquez in disputationibus huic et sequenti Quaestioni *Summae* adnexis.

[4] Cf. S. Thomas, II, *Dist.* XXXV, q. 1, a. 1, in C. et a. 2, ad 2m; cfr. Mauritius De Baets, op. cit., p. 16 sqq.

Deuteronomio, c. XXIV, 16, quo loco Rufinus Syrus, Pelagii ac Caelestii magister, abutebatur.[1]

Vicissim nihil obtinetur a Pelagianis ex his locis in quibus describitur lethalis influxus Adami in posteros ratione pessimi exempli quod plerique imitantur.[2] Nam iste influxus non excludit alterum ex origine traductum, uti ex S. Pauli doctrina abunde patet.

Quaeres II. – Nonne ultra continentiam omnium hominum in Adamo *capite naturae*, recurrendum est ad continentiam in *capite morali* seu *iuridico,* ut voluntarii ratio efficaciter explicetur? – Id censuerunt nonnulli theologi.[3] Cuius sententiae antesignani fuerunt Pighius et Catharinus; eamque, mitius quidem, propugnarunt inter alios Salmeron, Lugo, Toletus, Billuart; nonnulli Scotistae, uti Frassen, et Molinistae, uti Kilber. Wirceburgenses pariter huic sententiae nomen dederunt.[4]

Audiatur Billuart: « Suppono tertio, Adamum fuisse a « Deo constitutum caput non solum naturale, sed morale « omnium hominum, quantum ad conservationem aut amis-

[1] *Exposit. fidei,* c. 6. – Cfr. GARNERIUS, in *Marium Merc.,* p. I. - De inefficacia argumenti contra peccatum originale ex hoc utroque Scripturae loco a Pelagianis deprompti, lege Palmieri (op. cit., th. IV).

[2] Talis est locus Oseae, VI, 7: « Ipsi autem, sicut Adam, transgressi sunt pactum,* « ibi praevaricati sunt in me ». Quae verba sunt de actualibus transgressionibus intelligenda; quare, optime monet Vasquez: « Ego non video ex hoc loco aliquid « certo posse colligi »,** ad demonstrandam scilicet existentiam peccati originalis.

[3] Ad hanc sententiam reduci potest et Suarez, quando scribit: « Tertio colli- « gitur quomodo peccatum originale dici possit voluntarium non voluntate propria, « sed capitis, quia scilicet secundum moralem et prudentem existimationem quasi « omnium filiorum eius voluntas reputanda est ». ***

[4] Alii, uti Lugo et Frassen, potius Adamum repraesentant uti caput morale humani generis « per transfusionem nostrarum voluntatum in voluntatem Adami »;**** quia « Deus, qui supremus omnium voluntatum nostrarum est Dominus, potuit illas « in Adamum transfundere »; ***** alii, cum Billuart et Kilber, magis explicite ad pactum recurrunt. Haec autem duae sententiae quasi in idem recidunt. Minus tamen displicet formula capitis iuridici propter pactum, quam capitis moralis propter transfusionem voluntatum.

* « Pactum » hic non intelligi in sensu quem mox excludemus, est manifestum.
** Loc. cit. Disput. CXXX.
*** *De vitiis et peccat,* disp. 9, sect. 2, n. 28.
**** *De Poenit.,* disp. VII, sect. 7.
***** *Scotus Academ.,* tract. 3, disp. 3, a. 2, q. 2.

« sionem iustitiae *originalis*, ita ut ipse Adam et omnes « eius posteri censeri debeant tamquam unum corpus cuius « ipse Adam sit caput, atque gerat personam omnium in eo « in quo est caput, et voluntas ipsius in ratione capitis sit « voluntas omnium posterorum, sicque quidquid vellet in « ratione capitis, ipsi etiam vellent, non voluntate propria « et personali, sed communi voluntate capitis ... ». Quod ita illustrat: « Ad hoc autem ut Adam esset caput nostrum mo- « rale, et voluntates nostrae includerentur in eius voluntate « quoad conservationem aut amissionem iustitiae originalis, « duo fuerunt necessaria, unum ex parte Dei, alterum ex « parte Adami. Ex parte Dei fuit necessarium decretum « quod Deus statuerat voluntatem Adae habendam esse pro « voluntate nostra. Ex parte Adae fuit necessarium ut istud « decretum illi manifestaretur ». [1]

Recte monet Card. Billot: « Ad eamdem sententiam, ve- « lint nolint, satis *accedunt* illi etiam moderni qui, etsi pactum « initum inter Deum et Adam ad fabulam amandantes, et « inclusionem nostrarum voluntatum in Adami voluntate « verbo tenus reiicientes, adhuc tamen in medium addu- « cunt *legem positivam qua Deus statuisset nexum mora- « lem inter voluntatem Adami et universam familiam huma- « nam;* qui dicunt Adam constitutum fuisse *repraesentantem « genus humanum, et generis humani vicarium,* in eo quod « spectabat observationem vel transgressionem praecepti, et « in summa, Adae posteros assimilant *pupillis qui prius « quam possunt proprium actum ponere, iam per caput « suum volunt et aiunt* ». [2]

Iam vero de hac sententia, quae ultra caput naturae in Adamo caput morale seu iuridicum considerandum censet, sequentes sint breves animadversiones: 1) Haec sententia est innovatio a tempore novatorum inducta. Iam vero in argumentis tam gravibus innovatio est potius suspecta et periculosa. Continet enim affirmationem impotentiae seu saltem insufficientiae sententiarum hucusque in Ecclesia propugna-

[1] *De actibus humanis.* Diss. VI, a. 2. – Vix aliter, licet quoad verba mitius Wirceburgenses (*De Pecc.*, n. 95), qui hanc sententiam vocant « communionem recen- « tiorum ».

[2] Op. cit., p. 146.

tarum. Sane nec apud Augustinum, nec apud S. Thomam, nec in declarationibus Conciliorum ad hanc notionem capitis iuridici recurritur, ut voluntarii ratio in peccato originali explicetur. Unde cl. Laminne non veretur asserere: « La « doctrine de l'imputation à tous les hommes de la faute « d'Adam a probablement une origine protestante ».[1] 2) Haec sententia procedit a fictione gratuita. Nihil enim de huiusmodi pacto reperitur in Scripturis.[2] Ubi autem sancitur foedus inter Deum et populum electum, hoc aperte et solemniter declaratur. – 3) Haec sententia est inutilis. Nam sufficit ut Adam consideretur tamquam caput naturale humani generis, ut, pro mysterii ratione satis explicatur tum impotentia in qua lapsus homo erat ut transmitteret iustitiam originalem et integritatem quam amiserat; tum nexus huius lapsae conditionis in nascentibus ex ea, cum culpa primi parentis, in quo haec iustitia et integritas se habebant ad altioris modum naturae cum natura ipsa humana transfundendae. Censemus utique Adamum cognovisse hanc oeconomiam dignitatis originalis transfundendae per suam perseverantiam, amittendae sibi et posteris per culpam.[3] Sed ista cognitio non habebat indolem alicuius pacti cum Adamo initi. Nam, uti optime monet Palmieri,[4] pactum implicat consensum utriusque partis. Iam vero ad quid in casu requiretur Adami consensus? – 4) Demum haec sententia, dum aliquid amplius explicare conatur, praeterquam quod illud non melius explicet, ponit aliquid parum intelligibile et Dei iustitiae parum consonum. Optime Card. Billot: « Iustitiae « pariter et veritati contrarium videtur, quod mihi imputetur actio quae mihi imputabilis non est, cum nullas in ea, « nec directe nec indirecte, nec immediate nec mediate,

[1] Op. cit., c. IV, p. 81 sqq. Vix aliter censet NITZSCH (*Lehrbuch der Evang. Dogm.*, p. 316).

[2] Abutebantur huius pacti fautores (GEN., XVII, 14; OS., VI, 7; ROM., V, 12).

[3] Recte arguit Palmieri: « non quaevis actio illius, qui caput est familiae, huic « imputatur, sed ea qua ille agit ut caput, quae nempe de iis disponit quae ad universam familiam spectant. Id autem Adamus praestare non potuisset, si ignorasset « bona supernaturalia data esse naturae humanae, non ipsi soli ut singularis persona erat ». *

[4] Op. cit., th. IX, p. 132.

* Op. cit., th. IX, p. 124.

« habuerim partes ». Et postquam ostendit inefficaces esse comparationes, ex iuribus patrisfamilias, tutorum, nationumque moderatorum, adductas concludit: « Neque igitur exem- « pla aliquid probant, neque rationes intrinsecae tales sunt, « quae ab institutione capitis iuridici maxima inconvenientia « superius memorata procul pellere queant ».[1] Cui conclusioni libenter subscribimus. Unum tamen monemus: non recusandam esse omnino appellationem Adami uti capitis iuridici, qua utitur quoque Card. Mazzella. Fuit sane Adam caput iuridicum et morale, sed ratio ob quam hunc titulum meretur, non est quaerenda nec in transfusione voluntatum, nec in pacto, sed in dignitate ontologica, qua Adamus erat caput naturale humani generis, a Deo hac dignitate ornatus ut originalem iustitiam perseverans transfunderet in posteros, praevaricator eadem et se et posteros, qui in eo continebantur, eadem spoliaret.

Solidaritatis legem ratione continentiae in naturae capite Bossuetius fortiter hisce verbis illustrat: « Regardons-nous « tous en cette source: regardons-y notre être et notre « bien-être, notre bonheur et notre malheur. Dieu ne nous « voit qu'en Adam, dans lequel il nous a tous faits. Quoi « qu'Adam fasse, nous le faisons avec lui, parce qu'il nous « tient renfermés, et que nous ne sommes avec lui morale- « ment qu'une seule et même personne: s'il obéit, j'obéis en « lui; s'il pèche, je pèche en lui: Dieu traitera tout le genre « humain comme ce seul homme, où il a voulu le mettre « tout entier, l'aura mérité. J'adore, Seigneur, votre justice, « quoiqu'impénétrable à mes sens et à ma raison: pour peu « que j'entrevoie ses règles sacrées, je les adore et je m'y « soumets ».[2] Et aequitatem huius oeconomiae ita vindicat: « Si Dieu est juste à punir, il l'est encore plus à récom- « penser. Si Adam eût persévéré, il eût été récompensé dans

[1] Op. cit., p. 147. - Optime de hoc adspectu quaestionis scribit Maur. De Baets: « Si vero dicas, Adam esse caput iuridicum humanitatis, respondeo illud non suffi- « cere. Caput enim iuridicum per voluntatem suam potest utique de iuribus dispo- « nere illius cuius caput est, sed nequaquam facere potest ut suus actus habeat in « isto rationem veri peccati. Quod enim iura nostra perimantur absque nostra « voluntate, in nobis peccatum constituere nequit » (op. cit., p. 95; cf. et quae inferius de hac sententia habet: p. 76 sqq.).

[2] Op. cit., VII *Sem., 1e Elévat.*

« tous ses enfants, et la justice originelle eût été leur héri-
« tage commun. Maintenant ils ont perdu en leur père ce
« que leur père avait reçu pour lui et pour eux: et privée
« de ce grand don, la nature humaine devient malheureuse
« et maudite dans ses branches, parce qu'elle l'est dans sa
« tige ».[1] Et Lacordaire id in naturae legi fundatam ita ostendit: « Je vous le demande, la main sur votre cœur,
« épouseriez-vous la fille d'un misérable? Y a-t-il au monde
« un amour qui vous persuadât de faire à votre postérité ce
« douloureux présent? Vous épouserez le malheur, jamais
« la honte, et ce jugement de votre âme me suffit contre
« votre raison. Votre âme n'a pas tort: le fils est le sang,
« la vie, l'image, la continuation de son père; il perpétue,
« quoique imparfaitement, la cause qui a fait le mal, et
« trouve l'opprobre dans le mal ».[2]

Corollarium. – Ex doctrina heic exposita collige, peccatum Adami esse peccati originalis causam efficientem utique moralem, non autem causam demeritoriam. Prima pars huius conclusionis ex dictis patet. Altera ita ab ipso S. Thoma illustratur: « Peccatum non transit in posteros a primo pa-
« rente per modum demeriti, quasi ipse omnibus mortem
« meruerit et infectionem peccati, sed per modum traductio-
« nis consequentis traductionem naturae; non enim unius
« personae actus toti naturae mereri vel demereri potest,
« nisi limites humanae naturae transcendat, ut patet in
« Christo, qui Deus et homo est: unde a Christo nascuntur

[1] Ibid., 2e *Elév.*

[2] LXV *Confér.* Unde harmoniam ostendit inter utriusque Adami opus. « Le « genre humain n'avait péri que par voie de solidarité, c'est-à-dire par l'effet de sa « communauté substantielle et morale avec Adam, son premier auteur; il était donc « juste qu'il pût être sauvé dans la mesure et selon le mode de sa perte, c'est-à-dire « par voie de solidarité ». Quum autem Christus per mortem suam caput factum sit novi generis redempti, mors eius accepta aut recusata homines discernit: « Au « pied de la croix, devant la mort de Dieu, il s'est formé immédiatement deux races « d'hommes: la race de ceux qui acceptent cette mort, et la race de ceux qui ne « l'acceptent pas; la race du péché originel et la race de la rédemption ».

Bene de hac solidaritate Albertus Giuliani: « Elle est infinement sage, la règle « mystérieuse et inflexible qui nous rend tous, ici bas, si étroitement solidaires les « uns des autres. Sans elle, il n'y aurait ni famille, ni sociétés, ni nations ».*

* *Les berceaux tragiques,* p. 130.

« filii gratiae, non per carnis traductionem, sed per meritum « actionis: ab Adam vero nascimur filii irae per propagatio- « nem, non per demeritum ». [1]

Appendix I.

Nonnullorum Patrum, imprimis S. Ioannis Chrysostomi doctrina de peccato originali vindicatur catholica.

Constanti de dogmate peccati originalis doctrinae Pelagiani, tum antiqui tum recentiores, obiiciunt nonnullas sententias a scriptoribus sacris, sive Graecis sive Latinis, maxime a S. Ioanne Chrysostomo prolatas. Quas omnes hic afferre longius esset negotium. Satis sit de hac controversia sternere quaedam genuinae interpretationis criteria, eaque exemplis illustrare. [2]

1) Ubi agitur de dogmate tam fundamentali et tam manifesto, nullus scriptor sacer, catholici nominis, [3] ei potest prudenter opponi, nisi de hac oppositione apertissime constet. Inde S. Augustinus, postquam demonstravit praesens dogma ad fundamenta catholicae fidei pertinere, optimo iure addit: « Hoc sensit, hoc credidit, hoc didicit, hoc docuit et Ioan- « nes ». [4] Et Iuliano Chrysostomi verba obiicienti indignabundus Hipponensis respondit: « Itane ista verbi sancti Ioannis « episcopi audes tamquam e contrario tot taliumque sen- « tentiis collegarum eius opponere, eumque ab illorum con- « cordissima societate seiungere et eis adversarium consti- « tuere! Absit, absit hoc malum de tanto viro credere aut « dicere! ». [5] Si autem agitur de scriptoribus qui in aliis fidei quaestionibus errarunt, uti sunt Origenes et Tertullianus, facilius in eis poterit et de praesenti dogmate error, si tamen de eo constet, admitti.

[1] II, dist. XX. q. 2, a. 3 ad 3.
[2] Cfr. de eodem argumento laudati Thys * et Palmieri. **
[3] Cf. Card. Franzelin, *De script. et tradit.*, th. XV.
[4] *Ctr. Iulian.*, l. I, c. 6, n. 22. - *P. L.*, t. XLIV, col. 655.
[5] Ibid.

* Op. cit., pag. 67, sqq.
** Op. cit., th. VI.

2) Nemo catholicus scriptor censendus est in re tam fundamentali sibi contradixisse, nisi ipse fateatur se hac de re docuisse opposita, aut textus certo genuinus nullam prorsus aliam interpretationem patiatur. Hinc de Tertulliani fide non est ambigendum, quum non semel disertissime dogma peccati originalis proclamaverit, uti in sententia sequenti: « Omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo « recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur; pec- « catrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex car- « nis societate ». [1] Ita nec Origenis fidem recusandam censemus, licet praesens dogma cum eius errore de praeexistentia animarum vix componatur, aperte enim praesens dogma fatetur, ubi diabolum describit serpentem « illum qui sedu- « xerat Evam, et eloquii sui flatibus peccati in eam venena « diffundens, omnem posteritatis sobolem contagio praeva- « ricationis infecerat ». [2]

3) Talis contradictio dupliciter repugnat quando in eodem scripto, paucis interiectis, idem auctor de eodem dogmate catholice prorsus est locutus. Ita ex S. Ioanne Chrysostomo obiicitur sententia eiusdem homiliae ad neophytos, in qua luculenter doctrinam de peccato originali proclamat: « Ve- « nit semel Christus; invenit nostrum chirographum pater- « num quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti; nos « foenus auximus posterioribus peccatis ». Ad quae verba optime S. Augustinus: « Numquid contentus fuit dicere pa- « ternum chirographum, nisi adderet nostrum? Ut sciremus « antequam foenus peccatis nostris posterioribus augere- « mus, iam illius chirographi paterni ad nos debitum per- « tinere ». [3]

4) In scriptis quae anteriora sunt controversiis quibus dogmatica terminologia firmius et subtilius est stabilita, et cautior loquendi modus impositus, non exigendus est idem expressionis rigor; ac proin loquendi modus materialiter ambiguus sensu catholico est intelligendus. Quae lex, cuius

[1] *De anim.*, c. 40. *P. L.*, t. II, col. 719. – Cf. *De testim. animae*, c. 3. - *P. L.*, t. I, col. 613; *De Resurr. Carnis*, c. 24; *de carne Christi*, c. 16; *de cultu foemin.*, l. I, c. 1.

[2] *In Cant. Cantic.*, l. III; cf. *Ctr. Celsum.*, l. IV, n. 40. – Orthodoxiam Origenis hac in re recusat Card. Norisius (*Hist. Pelag.*, l. I, c. 1); defendit autem Huetius (*Origenes*, l. II, c. 2, q. 7, n. 24).

[3] Ibid.

momentum iam alibi vidimus, ubi de Sanctissima Trinitate et de Christologia agebamus, et in praesenti argumento sedulo est prae oculis tenenda. Audiatur S. Augustinus. Chrysostomi sententiam: « ideo et infantes baptizamus, quamvis « peccata non habentes » ad sensum catholicum trahens, haec scribit:[1] « Peccata dixit non habere, sed propria. Unde illos « innocentes merito nuncupamus, secundum id quod ait Apo- « stolus: " Nondum natos nihil egisse boni, sive mali „: non « secundum id quod ait: " Per unius inobedientiam peccato- « res constituti sunt multi „ ». Et allata simili locutione S. Cypriani,[2] pergit: « Vides certe, non ab eo dictum esse par- « vulos non coinquinatos esse peccato sive peccatis, sed non « habere peccata, intellige propria ». Et addit optime: « At, « inquies, cur ipse non addidit propria? Cur putamus, nisi « quia disputans in Ecclesia catholica, non se aliter intelligi « arbitrabatur; tali quaestione nullus pulsabatur; vobis non- « dum litigantibus, securius loquebatur ». Nam, addit, non aliter Chrysostomum posse intelligi, « tam multa testimonia « tamque manifesta declarant ».[3]

5) Ex hac lege immediate fluit aliud consequens: aequivocas scilicet expressiones, quae in huiusmodi scriptis occurrunt, catholico sensu esse intelligendas, etiamsi postea haereticum quemdum saporem ob adversariorum fraudem acceperint. Ita, licet postea Pelagiani mitiores, Augustini argumentis victi, agnoverint ab Adami peccato mortem et concupiscentiam uti poenas derivasse, non autem uti reatum; anteriores scriptores, quando de his poenis loquuntur, et retum intendisse censendi sunt, maxime si talibus utuntur locutionibus, quae reatum facile involvunt, imo implicite supponunt. Huc facit alius Chrysostomi textus, quem Pelagiani veluti gloriantes obiicere solebant, desumptus ex homilia X in epistolam ad Romanos: « Quid sibi vult illud:

[1] *Homil. ad Neoph.*

[2] Eadem expressione utitur Tertullianus in sententia mox afferenda, sub n. 8.

[3] Loc. cit., c. 6, n. 21, Cf. et Chrysostomi *Homiliam* XL *in I Cor.* in qua ita describit effectus baptismi, ut animam non baptizatam ostendat reatu maculatam; * et in *Homilia* X *in epist. ad Rom.* oppositionem inter Christi opus et opus Adami ita evolvit ut manifesto doceat reatus transfusionem ab uno in omnes. **

* *P. G.*, t. LXI, col. 348 sqq.

** In loco mox afferendo.

« in quo omnes peccaverunt? Illo lapso, ii etiam qui de ligno « non comederant, effecti sunt ex illo omnes mortales ». [1] Quae sane, si dicta essent sensu illorum qui poenalitates quidem a primo peccato derivatas admittebant, non autem reatum, vix possent uti catholica haberi. Sed haec non est mens Chrysostomi, qui nil aliud excludere vult quam falsam interpretationem huius peccati, uti actualis. Etenim ad Apostoli verba « per inobedientiam unius peccatoris con- « stituti sunt multi », haec scribit: « Ac videtur quidem di- « ctum illud non parvam inferre quaestionem... Quaenam « igitur illa quaestio est? Nempe dicere, per inobedientiam « unius multos effici peccatores. Quod enim illo peccante et « mortali facto, qui ex illo orti sunt, tales efficiantur, id a « verosimili non abhorret; quod autem ex inobedientia illius « alter peccator fiat, id quam consequentiam habuerit? Inve- « nietur quippe ille nec poenas debere, nisi ex se peccator « fuerit. [2] Quid igitur hic significat illud: peccatores? Mihi « quidem videtur, supplicio obnoxios et ad mortem damna- « tos ». [3] Ergo ex mente S. Chrysostomi, orti ex Adamo non sunt peccatores ipso peccato Adami, [4] sed ex Adami peccato ita effecti sunt mortales, ut sint supplicio obnoxii et ad mortem damnati. Nisi haec sit Chrysostomi mens, eius argumentatio nervo caret, et eius locutiones vix salvari possunt. Ergo hic geminus textus habet sensum vere catholicum.

5) Ex hoc quod aliquis scriptor locum quemdam classicum eodem modo interpretatur quo eum Pelagiani aut pelagiane sentientes postea interpretati sunt, nondum iure concluditur, hunc auctorem de peccato originali cum eisdem errasse. Quod duplici Theodoreti textu potest illustrari. Classicum S. Pauli textum enucleans, hic scribit: « Regnavit « autem mors etiam in eos qui non peccaverunt in simili-

[1] In initio - *P. G.*, t. LX, col. 474 sq.

[2] Hinc iste Chrysostomi locus efficax est contra sententiam quam postea prolaturi erant Pighius et Catharinus. Censet de Rubeis, *De pecc. orig.*, c. 25, ab his verbis: « Invenietur enim », incipere responsum Chrysostomi. Sed perperam. Hoc responsum manifesto incipit verbis sequentibus: « Quid igitur ».

[3] Ibid., n. 3, col. 477 sqq. Eadem locutione utitur Theodoretus.

[4] Eodem sensu scribit Theodoretus in eumdem locum, *P. G.*, t. LXXXII, col. 99. - Cf. textum mox afferendum in fine, n. 8.

« tudine transgressionis Adae. Etsi enim illud mandatum « non transgressi sunt, alia autem delicta commiserunt ».[1] Et alibi: « Valde apposite in utroque (S. Paulus) posuit « *multi;* etenim cum Adam peccasset et plurimi divinas « transgressi leges sunt, permanserunt in naturae finibus « nonnulli et virtutis curam gestarunt; sicut Abel, Enoch, « et Noë et Patriarchae et Prophetae et alii plurimi, non « solum apud Hebraeos, sed etiam apud alias gentes ».[2] Quae sane gemina interpretatio erronea est. Num ergo Theodoretus non agnovit peccatum originale? Absit! Audiantur eiusdem scriptoris sententiae hoc dogma efficaciter proclamantes. Influxum Adami et Christi ita sibi opponit: « Quem- « admodum enim principe generis condemnato, universum « genus simul damnatum est: ita cum Salvator maledictio- « nem solvit, natura quoque libertatem recuperavit ».[3] Et: « Superat benignitatis munificentia iustitiam. Iustitiae decre- « tum, cum nemo peccasset, universum genus morti tradidit. « Divina autem misericordia, cum omnes homines essent sub « maledicto, et peccati laqueis essent irretiti, per unius iusti- « tiam dedit omnibus salutem ».[4] Quae sententiae, ex S. Paulo prope ad verbum desumptae, si non sunt catholice intelligendae, nec ipse Paulus catholice scripserit.

6) Accedit prudentis exegeseos alia lex, quae, distinguens inter doctrinam implicitam et explicitam, negat iudicandum esse uti non catholicum quidquid non explicite catholice sonat, praesertim ubi agitur de scriptore aliunde noto tamquam eminenter catholico. Talis est sequens sententia S. Chrysostomi: « Corruptibile est corpus nostrum, sed anima « incorruptibilis: ne itaque ipsam corrumpamus. Hoc fecit « prius peccatum. Quod est autem post lavacrum, potest « etiam animam corrumpere, et efficere ut facile capi possit « a verme immortali ».[5] Quae sententia, synthetice inspecta, nedum possit dogmati catholico efficaciter opponi, potius illud confirmat et manifesto supponit. Secus, quaeso, quid

[1] Loco cit.
[2] *Epitom. divin. decret.*, c. 11.
[3] *Dial. 3, cum Eran.* - *P. G.*, LXXXIII, col. 24d.
[4] *Epit. divin decret.*, c. 11.
[5] *Homil.* XXIV *in ep. ad Ephes.*, n. 5. - *P. G.*, LXII, col. 174.

sibi vellent verba: « Hoc fecit prius peccatum », et: « quod « est autem post lavacrum » ?

7) Porro ad intelligendos textus difficiliores multum iuvat investigare qualis fuerit scriptoris scopus polemicus. Sint quaedam exempla. Illustrans verba S. Pauli: « Sicut in Adam « omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur »,[1] S. Ioannes Chrysostomus ait: « Quid? omnesve, dic, quaeso, « mortui sunt in Adamo morte peccati? Quomodo ergo Noë « iustus in generatione sua? Quomodo Abraham? Quomodo « Iob? Quomodo alii omnes? Quid vero, dic, rogo, omnesne « vivificabuntur in Christo? Et ubi sunt qui adducuntur in « gehennam? Nam si hoc quidem dictum est de corpore, « stat quod dicitur; si autem de iustitia, et peccato nequa- « quam? ».[2] Scilicet S. Doctor arguit contra Manichaeos negantes corporum resurrectionem, ut eam ex hoc Pauli loco demonstret. Unde peccatum hic intelligendum est actuale. - Pariter ad recte intelligenda verba quaedam ex Clemente Alexandrino prolata, prae oculis habendus est error Basilidianorum, quos confutare intendit. Hi, abutentes dogmate originali ut matrimonium et generationem improbarent, ita ex Iobi sententia arguebant: « "Nullus est sorde mundus, « nec si sit quidem una dies vita eius?„ Dicant ergo ubi for- « nicatus est infans natus, vel quomodo sub Adae cecidit « execrationem, qui nihil est operatus? » Ergo quum infantes sordem contrahere constet, et ipsi infantes nondum peccaverint, sequitur, a malis parentum nuptiis sordem derivari. Cuius argumentionis vitium Clemens ostendit absurdum: « Restat ergo eis, ut videtur, consequenter, ut dicant malam « esse generationem, non solum eam quae est corporis, sed « etiam quae est animae, propter quam etiam corpus ».[3] Et ad ℣. 7 ps. 1, quo Basilidiani pariter abutebantur, Clemens reponit: « Dicit prophetice quidem matrem Evam. Sed Eva « fuit mater viventium. Et si is in peccatis fuit conceptus, sed « non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum ».[4] Scilicet Clemens recusat Encratitarum dilemma: aut ipsa generatio

[1] I Cor. XI, 22.
[2] *Homil.* XXXIX *in* I *Cor.*, XV, 22, n. 2. - *P. G.*, t. LXI, col. 337.
[3] *Strom.*, l. III, c. 16. - *P. G.*, t. VIII, col. 1199 sq.
[4] Ibid., col. 202.

est peccatum, aut eius terminus est peccatum. Tertium enim membrum datur: terminus non est quidem peccatum, sed tamen a primo parente contrahit maculam. – Alia duo exempla prostant ex S. Cyrillo Hierosolymitano. Iste s. Doctor dat peccati definitionem quae originale peccatum excludere videtur: « Malum ex libero delectu, voluntariae animi inductionis « germen. Nam quod propria sponte arbitrioque peccemus « palam dicit propheta ». [1] Sed hoc loco Cyrillus agit contra Manichaeos, qui peccatum ad aliquid physice, totaliter necessarium reducebant. Caeterum nec a peccato originali deest ratio voluntarii, quippe a qua sola derivat reatum. - Alia sententia est: « Addisce quod priusquam anima in hunc « mundum veniret, nihil peccavit: sed cum absque peccato « venerimus, nunc ex libera voluntate peccamus ». [2] Quam sententiam poterat optimo iure Cyrillus proferre contra Platonicos et Origenistas, quin expresse in ea debuerit doctrinam de peccato originali inserere. Caeterum quantopere iste S. Doctor catholicam hac in re doctrinam tenuerit, inter alias demonstret sententia sequens: « Unius viri Adam « peccatum mortem inferre mundo valuit. Si autem unius « ruina mors regnavit in mundum, cur non multo magis per « unius iustitiam regnatura sit vita? ». [3] – Aliud pariter exemplum habetur ex Theodoreto. « Non enim, scribit iste, ut « amentes Massaliani, novaculam tantum imitatur baptismus, « praecedentia auferens peccata. Hoc enim ex superabun- « dantia largitur. Si enim hoc solum opus erat baptisma- « tis, quorsum infantes baptizamus, qui peccatum nondum « gustarunt? ». Hisce verbis, ut ipse ait, arguit contra Massalianos. Iamvero isti admittebant quidem peccatum originale, utique modo suo inferius explicando; contendebant autem baptismum, maculae instar, abradere actualia peccata ex originalis peccati radice pullulantia, ipsam autem non tollere radicem. Unde patet verba: « peccatum nondum « gustarunt », intelligenda esse de peccatis actualibus. Quod ipsa locutio satis insinuat. Quis enim dixerit infantes gustasse peccatum originale? Quare pergit Theodoretus alia enume-

[1] *Catech.* II, n. 1. - *P. G.*, t. XXXIII, col. 383.
[2] *Catech.* IV, n. 19.
[3] *Catech.* XIII, n. 2. - *P. G.*, ibid., col. 774.

rando bona quae per baptismum conferuntur: « Non enim « hoc solum pollicetur, sed his maiora et perfectiora. Est « enim arrha futurorum bonorum, et typus futurae resurre- « ctionis, et divinae participationis participatio, et pallium « salutaris, et tunica laetitiae, et stola luminosa vel potius « lux ipsa ». [1] Qui omnes baptismatis effectus falsitatis arguunt Massalianorum commentum, quum demonstrent per sacramentum auferri ipsam peccati originalis radicem. – Accipe demum exemplum apud Latinos ex Tertulliano. Quando hic ait: « Regnum mortis nihil aliud operatur quam carnis « dissolutionem; proinde vitam, contrariam morti, contra- « rium oportet operari, id est carnis redintegrationem », [2] nullatenus intendit negare peccati originalis reatum, quem alibi tam diserte proclamat; sed, contra Marcionem disputans, carnis resurrectionem demonstrat per victoriam a Christo de morte relatam.

8) Huic legi altera est valde connexa. Perpendenda enim sunt sedulo argumentum ab auctore intentum et scopus ab eodem praefixus. Ita verba quae a Gregorio Nysseno opponi solent, nullatenus opponuntur dogmati de peccato originali, si consideratur agi de infantibus in tenera quidem aetate abreptis, sed post susceptum baptisma. De talibus moverat Hierius quaestionem: « Si pro eo quod iustum est bonorum « remuneratio atque retributio fit, in quibus versabitur is, « qui infans in tenera aetate vitam finivit, neque boni in hac « vita, neque mali quidquam conatus et exorsus est, ut per « haec ei pro merito retributio fiat? ». Et urgetur difficultas, eo quod, si par eis retributio concedatur cum adultis, « ratio- « nis carentia ipsa ratione praestantior et optabilior ostendi « possit ». Nyssenus, exceptione expresse facta pro infantibus qui ante receptum baptismum moriuntur, concedit infantibus retributionem dari, minorem tamen quam sit retributio reservata illis « qui per omnem virtutem in hac vita pur- « gati sunt ». Quare quando dicit: « Puellus, infans, simplex « omnisque malitiae expers, nullo etiamnum oculorum animi « morbo participationi lucis officiente, in eo quod naturale

[1] *Epist. decret. divin.*, c. 18.
[2] *De Resurr. Carnis*, c. 47. – *P. L.*, t. II, col. 91.

« est versatur, sanitate quae per purgationem contingit, non « indigens »,[1] intendit describere statum parvulorum iam baptismate ablutorum. Caeterum quomodo posset dogma peccati originalis negare scriptor qui alibi dixit: « Occulta « quaedam traditio et verus sermo ad nos usque descendit, « quo creditur, postquam in peccatum natura nostra lapsa « est, non omnino a clementia divina neglectam? ».[2]

Iuxta eandem legem sequentia S. Ioannis Chrysostomi verba S. Augustinus salvat, demonstrans S. Doctorem in hoc textu loqui de peccatis actualibus seu propriis. Enumeratis enim beneficiis quae baptizati per sacramentum accipiunt, pergit: « Vides quot sunt Baptismi largitates? « Et nonnulli deputant caelestem gratiam in peccatorum « (intellige actualium) remissione (intellige exclusive) consi- « stere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de « causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati « peccato (intellige actuali, sive proprio), ut eis addatur « sanctitas, iustitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, « ut eius membra sint ».[3] Caeterum in hac ipsa homelia S. Chrysostomus catholicum dogma de peccato originale aperte docet.

Pari ratione vox « innocens » intelligenda est de exclusione peccati actualis seu proprii in sequenti loco Tertulliani: « Itaque pro cuiusque personae conditione ac disposi- « tione, etiam aetate, conctatio baptismi utilior est, praecipue « tamen circa parvulos. Quid enim necesse est sponsores « etiam periculo ingeri? Qui et ipsi per mortalitatem desti- « tuere promissiones possunt et proventu malae indolis « falli... Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, « dum quo veniant docentur; fiant Christiani, cum Christum « nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remis- « sionem peccatorum ».[4] Vult scilicet Tertullianus baptisma ad adolescentiae aetatem differri, non quasi originale peccatum negans, – de quo nulla tunc vigebat controversia, – sed propter beneficia baptismo tardius recepto adnexa. De

[1] *Orat. de Infant. qui praemature eripiuntur.*
[2] *De vita Moysis.*
[3] *Homil. ad Neoph.* Cf. S. Aug., *Contra Iulian.*, l. I, c. 6, n. 21.
[4] *De Bapt.*, c. 18. - *P. L.*, t. I, col. 1330 sq.

necessitate autem baptizandi infantes periclitantes quid senserit, aperte docet sententia sequens: « Tunc enim constan-« tia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia peri-« clitantis. Quoniam reus est perditi hominis, si supersederit « praestare quod libere potuit ».[1] Cur, quaeso, reus est perditi hominis, nisi quia infantes sine baptismo decidentes ob originalem labem pereunt?

Haec lex dupliciter urget, si auctor scopum intendit peculiarem. Ita prae oculis habita speciali sententia Theodoreti de duplici causa mortalitatis, alia universali, quam exponit iuxta dogma de peccato originali, et alia peculiari, iam evanescit difficultas quae ex sequenti sententia obiicitur. « Dicit « itaque divinus Apostolus, quod cum Adam peccasset mor-« talisque propter peccatum factus esset, utrumque ad genus « permanavit. Ad omnes enim homines mors pervasit, qua-« tenus omnes peccaverunt. Non enim propter primi parentis « peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum « suscipit ».[2] Quam ultimam sententiam non esse intelligendam sensu exclusivo, probant alia fragmenta ex commento eiusdem epistolae. Caeterum, quatenus originale peccatum est singulis proprium, recte dici potest unusquisque propter peccatum suum mortis decretum suscipere.

9) Insuper attendendum valde est quosnam auditores orator alloquatur. Ita S. Chrysostomus quando exclamat: « Quid ergo, inquies, faciam ego? Propter illumne (Adamum) « peream? Non sane propter illum. Neque enim tu sine pec-« cato mansisti. Sed etiamsi non idipsum peccatum, aliud « utique admisisti »,[3] alloquitur illos baptizatos, qui suae damnationis, in quam per concupiscentiam caeteraque originalis culpae vulnera trahebantur, causam in Adamum reiiciebant.

10) Sedulo insuper est investigandum utrum textus obiici soliti, genuini sint necne. Ita sententia: « Mors dissolutio « corporis est, cum anima a corpore separatur. Est et alia « mors, quae secunda dicitur, in gehenna, quam non peccato « Adae patimur, sed eius occasione propriis peccatis adqui-

[1] Ibid., c. 17. - Ibid., col. 1328.

[2] *In epist. ad Rom.*, c. 5. - *P. G.*, t. LXXXII, col. 99.

[3] *Homil.* XVII *in* I *epist. ad Corinth.*, n. 4. - *P. G.*, t. LXI, col. 144.

« ritur»,[1] non est genuina sententia Ambrosii, sed dicti Ambrosiastri. Potest tamen catholice explicari, quatenus gehenna est pars inferioris inferni. Quare illa secunda mors peccato actuali producta non excludit peccatum originale. Caeterum idem auctor in eodem opere peccatum originale diserte profitetur: « Manifestum est itaque in Adam omnes peccasse « quasi in massa; ipsa enim per peccatum corrupta, quos « genuit, omnes nati sunt sub peccato. Ex eo igitur cuncti « peccatores, qui ex ipso sumus omnes ».[2] – Pariter adest locus Arnobii cuiusdam, diversi ab Afro Lactantii discipulo, ideoque Iunioris nuncupati, quem imo eruditi nonnulli censent eum esse cuius apocrypha scripta, Arnobii nomine Pelagiano sensu edita, in Romana Synodo proscripsit Gelasius. Quisquis auctor fuerit, sententia, quae negat interpretationem traditionalem classici loci psalmi L, potest tamen catholice intelligi. Verba enim: « Hic autem qui nascitur, sententiam Adae habet; peccatum vero suum non habet », insinuant dogma peccati originalis. Secus enim, quomodo neonatus, liber utique a peccato suo personali, haberet sententiam Adae? Vicino sensu, distinctionis scilicet inter transmissionem culpae originalis et communicationis ipsius peccati personalis, salvatur alia sententia, quae Optato Milevitano tribui solet, cuius haec sunt ultima verba: « Quae res iam et antiquis saeculis, in ipsis « natalibus mundi probata est, dum non pertinuit ad Seth, « filium Adae, patris admissum ».[3] Nihil scilicet auctor excludit, nisi quod iam ore Ezechielis ipse Deus exclamat: « quam« vis ab ipsis (parentibus) ad vos videatur haereditaria macula esse transmissa »; quibus verbis auctor sane peccatum originale indicat. Sed incertum est, hunc librum VII esse vere Optati; in libro autem IV, qui absque dubio est ipsius, dogma peccati originalis pulcherrime describitur.[4]

[1] *Comment. in epist. ad Ap. Pauli.* – *Epist. ad Rom.* – Haec commentaria inter S. Ambrosii scripta edi solita, auctorem habere videntur quemdam Hilarium. Quis autem hic fuerit, certo non constat.* Cf. et notam de Ambrosiastro, p. 569.

[2] Hoc ipsum testimonium, S. Hilarii nomine, contra Pelagianos affert S. Augustinus.**

[3] *De schism. Donatist. adv. Parmen.*

[4] Cf. integrum locum superius allatum.

* Cf. Barbenhewer, *Les Pères de l'Eglise*, § 68.

** *Ad Bonif.*, l. iv, c. 4.

11) Demum non sunt ab oculis dimittenda criteria quae regunt in genere argumentum deductum ex silentio, quo, nisi discrete adhibeatur, certissima quaeque possunt in dubium vocari. Exemplo sit ipsa classica expositio S. Pauli in cap. V epist. ad Romanos. In affirmanda et describenda lege universali diffusionis peccati originalis S. Paulus prorsus sub silentio praeterit privilegium B. M. V. immaculate conceptae. Igiturne S. Paulus hoc privilegium negavit? Absit!

Si autem quaeris, cur imprimis apud antiquiores Patres Graecos non raro occurrant sententiae in quibus explicitior expositio peccati originalis nunc expectaretur, ratio in eo forsan repetenda est, quod, non solum haec expositio ante exortas controversias non exigebatur, stante unanimi traditione et per baptismum infantium dogmatica praxi; sed imo gravissimus tum maxime saeviens Manichaeorum error prudentiam quamdam in exponendo dogmate de peccato originali adhibendam suadebat, ne haec doctrina perperam intellecta dualismo favere videretur.

Caeterum, uti recte monet cl. Van Noort: « Aliud est « dogmatis substantiam admittere, aliud, illud accuratius « explicare; dogmatis autem nostri substantiam Patres ad « unum omnes tenuisse, inde iam patet, quod omnes aperte « profitentur, universos homines, nemine excepto, redem- « ptione et reconciliatione Christi indiguisse. Quod utique « profiteri non potuissent, si putassent praeter mortem et « poenas corporis nihil ex Adamo in eius posteros trans- « iisse ».[1]

Appendix II.

De concordia inter doctrinam S. Ambrosii et S. Augustini.

Ex dictis in praecedenti appendice iam patet quid censendum sit de conamine quorumdam, qui manifestam et solemnem S. Augustini doctrinam de peccato originali celare non valentes, toti in eo sunt ut hunc Doctorem ostendant tamquam novi cuiusdam innovatorem pessimismi, cum

1 *Tractatus de Deo creante*, s. III, c. III; *De hominis lapsu et peccato originali*, n. 235.

praecedentium Patrum, imprimis Ambrosii doctrina, imo cum primis ipsius Hipponensis scriptis vix concordem.[1]

Pervetusta antiquorum Pelagianorum fraus, iam indignabundo depulsa ab ipso Augustino, qui calumnianti Iuliano ita reponebat: « Dicis me quoque ipsum innovasse sensus « meus, et initio conversionis meae hoc sensisse quod tu. « Sed fallis, aut falleris, sive calumniando his quae nunc « dico, sive non intelligendo, vel potius non legendo ea quae « tunc dixi. Nam ego per unum hominem in mundum in- « trasse peccatum, et per peccatum mortem, et ita in omnes « homines pertransiisse, in quo peccaverunt omnes, ab initio « conversionis meae sic tenui semper, ut teneo. Extant libri « quos adhuc laicus recentissima mea conversione con- « scripsi, etsi nondum, sicut postea, sacris Litteris eruditus, « tamen nihil de hac re iam tunc sentiens... nisi quod anti- « quitus discit et docet omnis Ecclesia ».[2]

A quonam, hoc iam tempore, hanc doctrinam didicit, nisi ab illo imprimis sancto praesule, quem uti patrem se venerari testabatur,[3] et liberter doctorem suum appellabat,[4] Ambrosium? Unde Iuliano exclamanti: « Confitearis necesse « est, originale, quod finxeras, interiisse peccatum », ad traditionem unanimem, maxime ad magistri sui auctoritatem, appellabat: « Meus praeceptor est Cyprianus ... meus prae- « ceptor est Ambrosius, cuius non solum libros legi, sed « verba etiam loquentis audivi, et per eum lavacrum rege- « nerationis accepi. Longe sum quidem impar meritis eius; « sed confiteor et profiteor me in hac causa nihil ab hoc « meo praeceptore differre ... ».[5] « Ambrosius est iste, Iuliane, « ipse te vincit ».[6] Et telum in mittentem repellens, iure concludebat: « Non ego finxi originale peccatum, quod catho-

[1] Cfr. I. Espenberger, *Die Elemente der Erbsünde nach Augustin und der Frühscholastik;* Gaillard, *Etudes sur l'histoire de la grâce depuis St Augustin,* Paris, 1897. Caute legendus est. J. Turmel, *Le dogme du péché originel avant St Augustin* (*Revue d'hist. et de littérat. relig.,* t. v, vi).

[2] *Ctr. Iulian.,* l. vi, c. 12, n. 39. Hoc testimonium summi est momenti, utpote scriptoris qui propria ipse scripta severe retractavit, cuiusque perfecta sinceritas ab omnibus admittitur.

[3] Ibid., l. i, c. 3, n. 10.

[4] Ibid., l. i, c. 9, n. 44; l. ii, c. 7, n. 21.

[5] *Operis imperf. ctr. Iul.,* l. iv, 21.

[6] Ibid., l. iv, 75.

« lica fides credit antiquitus, sed tu, qui hoc negas, sine « dubio es novus haereticus ».[1] Pari modo non sunt nisi antiquorum errorum instauratores illi, qui, novae scientiae nomine, veteres illas calumnias renovare moliuntur.

Sane, quod discrimen est, quaeso, inter modum quo S. Augustinus, ex famoso Pauli capite arguens, Adamum veterem et novum sibi invicem opponit, et doctrinam quam ab Ambrosio se hausisse fatebatur? Ecce aliquas Mediolanensis episcopi sententias e variis eius scriptis depromptas.

Illustrans Psalmistae verba: « Frater non redimit, redi- « mit homo; nec dabit Deo propitiationem suam, et pre- « tium redemptionis animae suae »,[2] haec habet: « Omnes « sub peccato, omnes Adae illius subiacent prolaptioni. Solus « Redemptor eligitur, qui peccato veteri obnoxius esse non « possit. Ergo per hominem Dominum Iesum intelligamus, « qui suscepit hominis conditionem; ut in carne sua pecca- « tum omnium crucifigeret, et chirographum universorum « suo cruore deleret ».[3]

Ad eumdem Pauli locum alibi appellat, ut discrimen ostendat inter Moysis legem et gratiam Christi: « Dixit « David: " Bonum est mihi, quod humiliatus sum „.[4] Humi- « liando autem me, solvi vinculum erroris superioris, quo « Adam et Eva nexuerunt omnem propriae seriem succes- « sionis. Unde et Dominus quasi obediens venit; ut inobe- « dientiae et praevaricationis humanae loquens solveretur. « Itaque sicut per inobedientiam peccatum intravit, ita per « obedientiam peccatum solutum est. Unde et Apostolus « ait:[5] " Quia sicut per inobedientiam unius hominis pecca- « tores constituti sunt multi; ita et per obedientiam unius « hominis iusti constituentur multi „ ».[6]

Eadem oppositionis via Ambrosius nos docet, per Christi carnem carne mortis triumphare: « Omnes homines sub pec- « cato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut lectum

[1] *De nupt. et concup.*, l. II, c. 12, n. 25.
[2] Ps. XLVIII, 8, 9.
[3] *Enarr. in Ps.* XLVIII. - *P. L.*, t. XIV, col. 1160.
[4] Ps. CXVIII, 71.
[5] Rom., V, 19.
[6] *Epist.* LXXIII, n. 8. – *P. L.*, t. XVI, col. 1252 sq.

« est, dicente David: "Ecce enim in iniquitatibus ...„.[1] Ideo « Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait: "Quis me « liberabit de corpore mortis huius?„.[2] Christi autem caro « damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod mo- « riendo crucifixit, ut in carne nostra esset iustificatio per « gratiam, uti erat antea colluvio per culpam ».[3]

Quam peccati originalis colluviem ita eloquenter describit: « Si primus ille homo, qui cum Deo loquebatur in para- « diso positus, labi tam facile potuit, ex terra creatus vir- « gine, quae ob verbum Dei formata et creata recenti fuerat « exorta, nondum ea parricidiali caeterorumque concreta « sanguine, flagitiis et dedecore polluta, nondum carne nostra « damnata maledicto obnoxiae haereditatis; quanto facilius « postea lubrica ad peccandum via maius advexit humano « generi praecipitium, cum deterior tolerabiliori per vices « generationis successerit? ».[4] Quod, exemplo adducto ex magnetis lapide, fusius illustrat.

In pulcherrimo libro *De excessu fratris Satyri* eamdem Pauli doctrinam hisce verbis exprimit: « Licet per unius « peccatum, in omnes tamen pertransiit;[5] ut quem generis « non refugimus auctorem, non refugiamus et mortis: et sit « nobis sicut per unum mors, ita per unum etiam resurre- « ctio; nec recusemus aerumnam, ut perveniamus ad gra- « tiam. "Venit enim, ut legimus, Christus salvum facere « quod perierat„,[6] et "ut non solum vivorum, sed etiam « mortuorum dominetur„.[7] Lapsus sum in Adam, de para- « diso eiectus in Adam, mortuus in Adam; quomodo revo- « cet, nisi me in Adam invenerit, ut in illo culpae obnoxium, « morti deditum, ita in Christo iustificatum?[8] Si ergo debi- « tum est mortis, solutio debet esse tolerabilis ».[9] Et de hac solutione in Golgotha exhibita ait: « Ibi Adae sepulcrum;

[1] Vide ex hoc loco cum quanta certitudine Ambrosius hunc psalmum regio psalti tribuat, et in hoc versu doctrinam de originali peccato expressam inveniat.

[2] Rom., VII, 24.

[3] *De Poenit.*, l. I. c. 3, n. 13. - *P. L.*, t. XVI, col. 470.

[4] *Epist.* XLV, n. 13. - *P. L.*, t. XVI, col. 1144.

[5] Rom., V, 18.

[6] Luc., XIX, 10.

[7] Rom., XIV, 9.

[8] Cf. Augustinum, *De pecc. orig.*, c. 41.

[9] *De excessu fratr. Sat.*, l. II; *De fide resurrect.*, n. 6. - *P. L.*, t. XVIII, col. 1317.

« ut illum mortuum in sua cruce resuscitaret. Ubi ergo in « Adam mors omnium, ibi in Christo omnium resurrectio ».[1] Nonne, quaeso, omnes istae sententiae saporem habent prorsus Augustinianum?

Et ecce tamen Ernestus Buonaiuti, in Universitate Romana Professor, cuius aliam audaciam iam superius depulimus, nuperrime scribere ausus est, Augustinum inter annum 396 et 397, influxu commentarii Ambrosiastri[2] in epistolam ad Romanos fuisse inductum ut mentem suam circa peccatum originale mutaret.[3] Dum Harnack affirmat, in quaestione de peccato originali Augustinum magis de authentico Ambrosio hausisse, Buonaiuti oppositum propugnat: « Io « ritengo invece che proprio nell'ambito delle teorie con- « cernenti il peccato d'origine e il suo rifluire su tutto il « genere umano, sant'Agostino dipende strettamente, deci- « samente dall'Ambrosiastro ».[4]

Sed praeterquam quod haec audax assertio cum explicita Augustini declaratione pugnat, qua iste protestatur se tum hac in re sibi semper fuisse constantem, tum ab Ambrosii doctrina nihil recessisse, sententiae superius allatae inanitatem eiusdem asserti ostendunt, quippe quae identicam prorsus doctrinam exhibent, licet penultima anno 379, tertia anno 384 (?), prima anno 390 fuerint conscriptae. Imo si quoad doctrinam circa peccatum originale inter tractatus Ambrosiastri et scripta Ambrosii aliquid intersit, nedum rigidior, illa mitior potius est dicenda.[5]

Mitto internas rationes quas in favorem suae theoriae Buonaiuti adducit, uti sunt, v. gr.: « Non riesco a scorgere « nell'Ambrogio allegorista dei commenti biblici l'antesi-

[1] *Epist.* LXXI, n. 10. - *P. L.*, t. XVI, col. 1243.

[2] Hoc ficto cognomine ab Erasmi tempore vocari solet, quisquis fuerit, auctor *Tractatuum in Paulum* et *Quaestionum V. et N. Testamenti*, quorum priores, quos Augustinus Hilarii nomine legit, Ambrosio, alterae Augustino tribuebantur.

[3] Cf. de hoc argumento egregiam opellam F. Borgongini Duca, cui titulus: *Il profilo di S. Agostino e La Genesi della dottrina agostiniana intorno al peccato originale.** *Saggio critico di due scritti del Prof. Ernesto Buonaiuti, della R. Università di Roma.* Roma, Spithoever, 1919.

[4] Ibid., p. 8 sq.

[5] Cf. difficultatem ex Ambrosiastro superius allatam, p. 564 sq.

* Sunt tituli utriusque opellae confutatae.

« gnano del *Genesi ad literam* ».[1] Quis nescit quot subiectivas fallacias huiusmodi rationes fulcire soleant ?[2] Miror eruditum scriptorem in suae theseos confirmationem adducere Ambrosii textum, quo ipse Augustinus usus est ad suam doctrinam confirmandam.[3] Sed, uti laudatus Borgongini Duca iure conqueritur, textus methodo tam parum adaequata adducitur, ut in memoriam revocet severa illa verba ab Augustino olim in Iulianum directa: « Non tota « et integra fideliter ponis, sed concidis ubi vis, tollis quod « vis, iungis quomodo vis: sed fac quidquid vis; convictus « et victus apparebis, ut non vis ».[4] Quam gratuito ex hoc famoso loco arguatur, ostendit prima sententia superius allata, quae ex enarratione in eumdem psalmum desumitur. Imo ipse ille locus, sed integer, est valde efficax ad oppositum demonstrandum. Verba enim quae Ambrosius ponit *in ore Domini*, - quod Buonaiuti non advertit, aut omisit, - ostendunt discrimen ingens quod in mente Ambrosii est inter Christum, undequaque liberum ab iniquitate Adae, per calcanei vulnus figurata, et nos eadem omnes infectos: « Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam « dente serpentis est vulneratus, et obnoxiam haereditatem « successionis humanae suo vulnere dereliquit, ut omnes « illo vulnere claudicemus ». Quae calcanei iniquitas abluenda, iuxta Ambrosium, per lotionem pedum figuratur. Et concludit: « Iniquitas ergo calcanei nostri praevaricatio « est Adae ». Quae omnia criticus ille prudenter omisit. Et, paucis interiectis, ostendens discrimen quantum ad solidaritatem inter lapsum Adae et lapsum Iudae, hoc habet: « Pri- « mum calcaneum Adam, secundum calcaneum Iudas. Ille « lapsus totius haereditatis, hic solius proditoris, qui haere-

[1] *La Genesi*, etc., p. 7.

[2] Olim in Seminario Coloniensi S. Scripturae praelectiones tradebat sacerdos, caeteroquin pius, qui S. Lucam librum *Actuum* scripsisse denegabat. Quem, post obitum S. Petrum caeli ianiferum rogasse aiunt, ut ad Lucam quantocius adduceretur. Itaque mutua praesentatione modo germanico rite facta, (Professor *X*, Evangelista Lukas), ille : « Estne verum, Evangelista Luca, te libri *Actuum* esse auctorem » ? Cui, mirabundus alter : « Absque dubio » ! At instantius ille : « Cave, ne praecipites ! « Rationibus enim internis tibi ostendam, te hunc conficere librum nullatenus « potuisse » !

[3] *Ctr. Iulian. pelag.*, l. I, c. 3.

[4] *Op. imperf. ctr. Iul.*, l. III, 142.

« ditatem implicare non potuit ».[1] Quid clarius? Quid constanti Augustini doctrinae magis consonum?

Criticae huiusmodi libidines minoris essent momenti, nisi, praeiudiciis stimulatae, ad graviora contenderent: in casu, scilicet, ad inculcandam suspicionem erga doctrinam S. Augustini de peccato originali, quae tamen, quoad substantiam, est ipsa doctrina Ecclesiae. Unde hanc Augustini doctrinam describunt tamquam excessum, qui, traditionem antiquiorem minus fideliter exhibens, ad exaggeratum pessimismum deflectit. Citanda heic est prope integra pagina Buonaiuti, qua diversam Augustini mentem in priori et in altera periodo depingit: « Mentre prima di quel tempo, sa- « turo ancora di reminiscenze neoplatoniche e di esegesi « ambrosiana, Agostino sembra ritenere che una colpa non « personale è incapace di condannare un essere altrimenti « innocente al supplizio; che le nostre capacità spirituali « non sono state sostanzialmente pervertite dalla colpa di « Adamo; e che quindi ogni individuo reca ancora nelle « proprie mani il destino di oltre tomba » (quot hic loquendi modus insidias tendat, in decursu tractationis apparebit); « dopo quell'epoca » – id est – « fra il 396 e il 397, in « seguito all'attenta lettura del commento dell'Ambrosiastro « su San Paolo, il pensiero sembra pencolare con sempre « maggiore accentuazione verso un desolato pessimismo « circa l'umana natura e i suoi poteri etici: tutta l'umanità « appare ormai ad Agostino come conglutinata in Adamo, « peccatrice e condannata in lui (massa damnata). Il peccato « di origine è da quel momento descritto da lui come un'in- « fezione mortifera che si propaga inesorabilmente da padre « in figlio mediante l'atto della riproduzione carnale ».[2] E contra, quid, iuxta Buonaiuti, docet Ambrosius? Caute ita scribit: « Naturalmente non nego che Sant'Ambrogio, con- « corde in questo con pressochè tutta la tradizione patri- « stica, da Ireneo in poi, ammette una caduta primitiva e « la trasmissione delle sue conseguenze ».[3] Sed nonne Iulianus aliquid simile admittebat? Quis ergo verum docuit, Augu-

[1] *Enarr. in Ps.* XLVIII, n. 8 sqq. – *P. L.*, t. XIV, col. 1158 sq.

[2] Op. cit., p. 46.

[3] Ita criticus in nota, et pergit urgendo uti oppositam doctrinam Augustini.

stinus an Iulianus? In quonam essentialiter differt doctrina Concilii Tridentini ab illo « desolato pessimismo » Augustini?

Ianseniani olim, ad suos excessus uti genuinam Augustini doctrinam venditandos, catholicam doctrinam uti Pelagianismo infectam calumniabantur; isti, quo Pelagiana efficacius insinuent, Augustini doctrinam denigrant et prae-Augustianam traditionem imminuunt.[1] Sapientissime proin S. C. S. O. geminam opellam Prof. Buonaiuti proscripsit.

Appendix III.

De opinione apud Iudaeos tempore Christi vigente circa peccatum originale.

Posteriorem Iudaismum dogma peccati originalis reiecisse constat.[2] Quaestio autem moveri potest, an et quousque dogma de peccato originali a Iudaeis in Antiqua Synagoga fuerit agnitum. Iuxta iudaicum eruditum scriptorem Israëlem Lévi doctrina de peccato originali existebat quidem in Antiqua Synagoga; evanuit autem tum ob speculationes theologicas, tum ob reactionem religiosam. Speculationes theologicae erant duplicis generis: ex una parte rigidior monotheismus recusabat doctrinam quae in mundi gubernio nimias partes tribuebat Satanae; ac altera, dogma transfusionis originalis culpae cum divina iustitia vix componi posse videbatur. Reactio autem producta erat odio religionis christianae, quae originalis peccati dogma explicite propugnabat.[3] E contra cl. Frey, doctam suam de hoc argumento elucubrationem[4] hisce verbis claudit: « Les écrits juifs du « temps de N.-S. ne nous fournissent aucune attestation de « la croyance au péché originel. S'ils conviennent le plus

[1] Simili via in Christologia moderniores illi Nestorium dealbare, eiusque adversarios, divinitatis Christi vindices, nimii zeli insimulare conantur.

[2] Weber, *Jüdische Theologie auf Grund des Talmud und verwandter Schriften*, 2 ed., Leipzig, p. 224, s. 239 s.; Edersheim, *The life and time of Jesus the Messiah*, London, 1906, vol. I, p. 52 sq., 165; Oesterley and Box, *The Religion and Worship of the Synagogue*, Lond., 1907, p. 240.

[3] *Le péché originel dans les anciennes sources juives*, Paris, 1907.

[4] *L'état originel et la chute de l'homme d'après les conceptions juives au temps de N.-S.* (*Revue des sciences, phil. et théol.*, t. V, 1911, pp. 507-545).

« souvent que le premier péché a eu une répercussion fâ-
« cheuse sur le monde physique, qu'il en est résulté la mort
« et même, au témoignage surtout des apocryphes posté-
« rieurs, une diminution des énergies morales, ils ne donnent
« point à entendre que l'homme soit constitué pécheur par
« le seul fait de sa filiation adamique, en d'autres termes,
« que la mort spirituelle se propage d'Adam à toute sa pos-
« térité. L'élément essentiel du péché d'origine ne s'y ren-
« contre donc pas ». Unde concludit: « On peut ainsi s'ex-
« pliquer, dans une certaine mesure, pourquoi les rabbins
« n'ont jamais entrevu dans le Messie le rédempteur spiri-
« tuel, le *nouvel Adam,* qui dût, par ses souffrances et sa
« mort expiatoires, réparer les blessures morales que la
« désobéissance du premier Adam avait faites à l'humanité ».[1]

Quae duae assertiones, primo intuitu tantopere discrepantes, conciliari forte possunt si prae oculis habeatur, distinguendum esse inter traditionem, saltem in confuso vigentem, et elucubrationes varias, quarum plerumque nec auctor cognoscitur nec momentum. Iam vero huiusmodi traditionem in populo hebraico Christi tempore vigere debuisse, ex sequentibus considerationibus deduci videtur.

a) Exclamatio Ioannis Christum turbis ostentantis: « Ecce « Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi », indicat peccatum naturae. Iam vero ita Praecursor non esset locutus, nisi turbae scivissent dari peccatum mundi a Messia tollendum. – *b*) Christus ipse, cum Nicodemo colloquens, necessitatem urget renascendi. Iam vero difficultas a Nicodemo obiecta non est de ipsa re, sed de rei modo; de quo et Christus ita respondet quasi de veritate quam nemo in Israël doctor ignorare potuerit.[2] – *c*) S. Paulus pariter, in famoso loco superius exposito loquitur tamquam de re cognita, quam imo adhibet ad aliam magis absconsam melius illustrandam: influxum scilicet salvificum Christi illustrat, per influxum mortiferum Adami; quod sane, uti alibi iam monuimus, facere non potuisset, nisi de hoc influxu aperta doctrina viguisset. Ubi enim agitur de doctrina nova, alium usurpat

[1] Op. cit. opella separ., p. 38 sq.

[2] Ioann. III, 5, 10. Hanc veritatem insinuant verba Phariseorum ad caecum natum: « In peccatis natus es totus, et tu doces nos »? (Ibid., IX, 14).

loquendi modum, uti de Eucharistia: « Ego enim accepi a « Domino, quod et tradidi vobis ». [1]

Iam vero nil mirum si in huiusmodi doctrinam offendant, aut saltem ab ea abstrahant, apocryphi auctores aut alii scriptores coaevi. Sane Philo nimium erat suis philosophicis conceptibus circumventus, quam ut genuinus testis esse posset coaevae traditionis, quam allegoricis suis narrationis Mosaicae interpretationibus aperte contradicere, apprime sciebat et minime negavit.

Antequam breviter describamus quid in Iudaeorum traditione de peccati originali contineatur, paucis quaedam praemittenda sunt, – ita complendo quae unitatis causa ad hunc locum distulimus, – de modo quo de primi hominis creatione et conditione censuerint. Quid Scripturae, etiam deuterocanonicae doceant, superius fusius exposuimus; ubi pariter Philonem Mosaicam narrationem allegorice explicantem audivimus. Hic tamen insistit in duplicem narrationem creationis hominis. In prima factus est homo typicus, genericus, qui ideo erat simul masculus et femina; [2] dein specifice uterque sexus fuit discretus. Homo ille prior erat ad imaginem Dei, utpote spiritualis. Non autem erat imago, quae est Logos seu verbum. Quare Deus ipse per se nonnisi animam hominis fecit; corpus formandum reliquit Angelis. Excelsus erat primus homo tum statura, tum dignitate; nudus tamen, hoc est sine morali formatione, quippe cuius mens erat tabula rasa: unde ignorabat pudorem. Erat magnae longoevitati destinatus, non autem immortalis. Nam si mina Dei de morte in sensu reali esset intelligenda, ipso instanti quo peccatum commisit, homo mori debuisset.

Modum quo Adam creatus est, *Henoch Slavus*, origine Aegyptius, magis describit, asserens Deum hominis corpus fecisse ex septem elementis; nomen autem ei imposuisse ex quatuor cardinalibus punctis, quae sunt: Ἀνατολή (oriens), Δύσις (occidens), Ἄρκτος (septentrio), Μεσεμβρία (austrum). Qui tenet, – quod negabat Philo, – Evam fuisse de Adami costa formatam.

[1] 1 Cor. xi, 23.

[2] Androgynum pariter ob eamdem rationem hominem initio fingunt rabbini (Beresch. *rab.*, 8, *in Gen.*, 1, 26).

Iubilaeorum auctor admittit Paradisum realem; sed praeoccupatus de ritibus iudaicis ab initio servatis, in Paradisum introducit Adamum post dies quadraginta, Evam post dies octoginta. Iuxta *Apocalypsin Moïsis* Adamus custodiebat in parte septentrionali-orientali animalia masculina, Eva autem feminina in parte meridionali-occidentali. Utrique invigilabant Angeli. Iuxta *Iubilaeorum* librum per septem annos, iuxta *Henoch slavum* per quinque annos cum dimidio in Paradiso vixerunt, nonnisi ab Eden expulsi generationi operam daturi. Animalia erant protoparentum felicitatis in Paradiso participes, eadem cum eis lingua, hebraica scilicet, utentes.

Iam inspiciamus quid huiusmodi scriptores doceant de hominis lapsu. Superius vidimus doctrinam *Ecclesiastici*[1] et *Sapientiae*,[2] ad hoc reduci: Homo creatus erat immortalis.[3] Per invidiam diaboli mors intravit in mundum. Eva induxit Adamum ad peccandum. Deus autem Adamo poenitentiam inspiravit.[4] In quibus sententiis eodem gradu doctrina de peccato originali continetur, quo in ipsa narratione Mosaïca, ad quam auctores sacri manifeste respiciunt.[5]

More suo rationalistico-allegorico, Philo mosaïcam narrationem ad hoc reduci: Adamus et Eva, utpote creaturae,

[1] Eccli., xxv, 38 sqq.

[2] Sap., xiii, 1; ii, 23 sqq.; x, 1 sqq.

[3] Plures scriptores hoc intellexerunt dictum de vita aeternae beatitudinis, quae certe etiam intenditur. Sed negari nequit, auctorem inspiratum hic prae oculis habuisse narrationem *Geneseos*, ac proin etiam intendisse immortalitatem vitae physicae (cf. Frey, op. cit., p. 12 sqq.).

[4] Monet optime R. Frey, * nonnisi per abusum ex verbo ἰδίου, argumentum deduci ** ad probandum, Adami culpam non habuisse alium respectum nisi personalem.

[5] Nescio utrum satis affirmet cl. Frey: *** « La doctrine du péché originel n'est « pas exclue, mais elle n'est pas non plus enseignée ». Forsan addi potuisset « explici- « tement, quoique implicitement supposée ». Prudenter e contra idem animadvertit,**** in Sap. xii, 10), vix id reperiri, quod putat Deane (*An adumbration of the doctrine of original sin* *****), quum agatur de stirpe Cananaea speciali modo a Noë maledicta. Insinuat nihilominus hic locus, maledictionem naturae depravatae posse per physicam descendentiam transmitti, uti bene monet Tennant. ******

* Op. cit., p. 12.

** I. Drummond, *Philo Iudaeus*, Londini, 1888, i, p. 204.

*** Op. cit., 14.

**** Ibid.

***** *The Book of Wisdom*, p. 176.

****** *The sources of the Doctrines of the Fall and Original Sin*, p. 130.

erant defectui calamitatis subnoxii. Initium malorum primi hominis fuit prima mulier; voluptas sub serpentis allegoria Evam, id est sensus, primo vincit, ut dein Adamum, id est rationem, vincat. Ita homo, relicta virtute, arbore vitae, sub arbore scientiae boni et mali, voluptati cedit. Carnalis unio fuit illud peccatum, quod postea palaestinensis apocrypha *Apocalypsis Abrahae* repraesentat, tutelante Azazel, principe angelorum malorum, sub quadam vite consummatum.

Peccatum primos parentes ex allegorico Paradiso expulit. Deus peccantis misericordia poenas temperavit. Non admittit Philo alium influxum in stirpem nisi decrescentiam illam, quae paulatim augetur quo magis generationes a primo vitae fonte recedunt. Natura homo est mortalis, nec fuisset physice immortalis, si stetisset, quum animae unio cum corpore sit poena potius quam merces. Ab hac unione, non a primi parentis peccato, homines habent illam proclivitatem in malum, quae, exorta ratione, in unoquoque ex intimo sinu prorumpit, et contra quam cuique strenue est dimicandum ut animam suam puram conservet.[1] Unde doctrinam de peccato originali Philo impugnat, nedum doceat.[2] Sed Alexandrinus sciebat optime, suam exegesim nullatenus esse traditionalem.

Historicus Iosephus et ipse censet peccatum Adami fuisse carnale; scientiam, quam acquisivit dum se nudum operuit, fuisse instinctum sexualem. Peccati poena fuit non ipsa mors, quae tardius obvenisset; sed mors praematura et vita minus felix. De lethali influxu peccati originalis in totum humanum genus, praeter has poenas tacet Iosephus.

Si iam ad libros apocryphos accedamus, primo intuitu apparet discrimen ingens inter sobrietatem librorum *Sapientiae* et *Ecclesiastici*, et istas elucubrationes ad romanticum seu poëticum genus prorsus pertinentes.

Liber Henoch scientiam per usum ligni transmissam reponit in excitato instinctu sexuali. Sed longe maiorem in huma-

[1] Eodem sensu legitur in hebraico *Testamento Nephtali*: « Beatus homo qui « non maculat Dei spiritum, qui in eo positus et insufflatus est, et beatus ille qui « eum Creatori reddit tam purum quam erat die qua ipsi consignatus est »! (x, 9). Cf. et IV MACH., XVIII, 23.

[2] Cf. FREY, op. cit., p. 20-25.

num genus influxum habuerunt connubia angelorum pravorum cum filiabus hominum, quam peccatum a protoparentibus commissum.[1] Idem occurrit in *Libro somniorum*[2] qui insistit angelorum lapsui eorumque criminibus, quippe quae diluvium provocarunt; de primorum autem parentum peccato silet.[3] Pariter *Liber parabolarum*, necnon *Apocalysis Noë* eidem insertus, plus tribuit malo influxui Vigilantium, qui superne descenderunt ut homines docerent artem peccandi. Hic tamen alter liber loquitur et de peccato Evae, quam Gadriel, unus e primis angelis malis, seduxit.[4]

Iubilaei, dum reproducunt narrationem Mosaicam,[5] maiorem dant partem lapsui Adami, quin tamen lethalem doceant huius lapsus in totum hominum genus influxum, qui magis operae Vigilantium et daemonum est tribuendus; in quo plane consentiunt *Testamenta duodecim Patriarcharum*, quorum auctor - num Iudaeus, incertum[6] - a Messia expectat humani generis instaurationem in statum primitivum, recuperato accessu ad Paradisum et ad fructum vitae.

Liber *Assumptionis Moisis*, cuius, iuxta Origenem,[7] « mene minit in epistola sua apostolus Iudas », loquitur quidem, iuxta eumdem scriptorem, de protoparentum culpa, sed nihil scimus de influxu quem in statum totius generis nostri huic lapsui tribuit.

Plura hac de re habemus in recensione *A*[8] libri *Henoch Slavi*, cui ideo parumper immorandum est. Adami gloriae invidens, Satan ingressus est in Evam, quam seduxit;[9]

[1] *Hén.*, 32, 6; 10, 7 s.; 16, 2 s.

[2] *Hén.*, 83-90.

[3] *Hén.*, 86-88, 89.

[4] Non conveniunt utrum haec seductio intelligenda sit in sensu carnali necne (cf. FREY, op. cit., p. 15).

[5] Rigorem minae divinae: « quo die », inde solvit, quod, iuxta Scripturam, mille anni sunt sicut dies unus coram Deo, et Adamus mille annorum aetatem non attingit.

[6] Cf. LAGRANGE, *Le Messianisme chez les Juifs*, Paris, 1909, p. 75 sq.

[7] *De Princ.*, III, 2, 1.

[8] Haec recensio *A*, a qua, iuxta Schürer* recensio *B* extracta est, ad primam partem saeculi I pertinere videtur.

[9] Successio verborum insinuat - uti bene monet cl. Frey (op. cit, p., 12) - seductionem hanc non esse intelligendam in sensu carnali, sed spirituali; quo sensu et occurrit apud S. Paulum (II COR., XI, 3), qui ad ipsius Evae verba alludit (GEN.,

* *Geschichte des jüdischen Volkes*, vol. III, 4ª edit., Lips., 1909, p. 290.

non autem tetigit Adamum. Etsi a primorum hominum culpa non abfuerat ignorantia, peccatum tamen verum commiserunt, cuius influxus progeniem Adami infecit. Nam Henoch vidit in Hadeo « omnes Patriarchas ab aeternitate cum « Adamo et Eva » horrendis tormentis cruciatos. Non est tamen clarum, utrum haec contagies sit naturam inficiens propter labem originalem, an contagies exempli quo Adami filii per propria peccata eamdem sortem incurrunt. « Beatus homo », exclamat Henoch, « qui non est natus; vel « qui a nativitate non peccavit, ut huc non véniat nec huius « loci baiulet iugum! ». Quibus in verbis Tennant agnoscit « primam attestationem notionis innatae infirmitatis, ab « Adamo haereditate acceptae, et iudaicam doctrinam de « peccato originali magis explicitam et antiquiorem ipsius « doctrinae S. Pauli de hac re ».[1] Sed cl. Frey huic iudicio non ex toto subscribit: quum in hoc libro affirmetur sane, mortem esse a mulieris culpa inductam; non autem omnes homines Adami culpa constitui peccatores.[2] Esto, sed saltem concedetur, in *Enoch Slavo* id ipsum affirmari, quod in inspirato libro *Ecclesiastico* de morte praedicatur.

Iuvat demum illos apocryphos libros consulere qui in secunda parte saeculi primi p. Chr. conscripti sunt. Licet enim in eis nonnihil a Christi et Apostolorum coaevis derivetur,[3] possunt tamen pariter exhibere testimonium idearum apud suos hac aetate vigentium.

De historico Iosepho iam diximus. Melius longe *Rabbi Iohanan* (circa annum 70) censebat de peccati originalis influxu, quem hoc eleganti apologo illustrat: « In quadam « urbe homo transiens coram expositis vitrarii mercibus, « ubi erat vas repletum obiectis vitreis summa arte confectis, « extenso baculo totum confregit. Cui possessor ait: "Scio « me a te nullam compensationem obtenturum, sed saltem « tibi ostendere volo quot obiecta pretiosa destruxeris „. Ita

III, 13). - Pariter in IV MACH., XVIII, 8, vox *serpens* intelligenda est allegorice pro tentatore.

[1] Op. cit., p. 210.

[2] Op. cit., p. 20.

[3] A. Edersheim censet, talem esse doctrinam de peccato originali libri IV Esdrae (*The life and times of Jesus the Messiah*, Lond., 1906, vol. I, p. 53 in nota).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« protoparentibus Deus ostendit quot generationes perdi-« dissent ».[4]

In *Apocalypsi Moysis* lapsus primorum parentum valde poëtice describitur. Daemon, serpentem inhabitans, arborem scientiae conscendit, ipseque Evae, diu reluctanti fructum tradit concupiscentiae veneno ab ipso prius infectum. Uterque Adamus et Eva, apertis oculis, vident se esse « gloria « Dei orbatos ».[2] Quae gloria est non solum materialiter, sed et spiritualiter intelligenda de amissa amicitia divina, quae apud S. Paulum eadem expressione describitur, ubi ait: « Omnes peccaverunt et egent gloria Dei ».[3]

Iuxta huius libri auctorem, in influxu lethali qui a primo peccato derivatur, partes Evae sunt potiores; unde in resurrectionis die omnes peccatores maledictionibus eam impetent, « eo quod Dei mandatum non servaverit ». Et iuste, nam per mulierem « omne peccatum in creatione commis-« sum est ». Hic non agi de mero influxu ratione pravi exempli, suaderi videtur per sensualis concupiscentiae venenum quo daemon porrectum a se fructum infecit.

Sed ecce auctor IV *libri Esdrae*, Hierosolymitano excidio adhuc totus perterritus, investigat cur mundus sit tam perversus et peccatum tam universaliter sparsum. Relicto recursu ad fabulam Vigilantium, si in responsione sua auctor uti malorum fontem indigitasset Adami culpam, quippe per quam perfectissima natura fuit in illo et in tota sua progenie corrupta: haberemus manifestam de peccato originali doctrinam. Sed res non est omnino ita. Affirmat quidem auctor hanc corruptionem eiusque diffusionem; sed, altius assurgens, iam ante lapsum in hominis natura germen eiusdem reperit. Etenim « granum seminis mali seminatum est « in corde Adam ab initio »; qui ideo « transgressus est », quia iam erat « cor malignum baiulans ».[4] Quare auctor agnoscit, per peccatum primi hominis mortem invasisse

[1] Beresch. *rab. in Gen.*, III, § 7. Aliquid simile, sed consolatorium, fingit Milton in visionibus quibus Michaël historiam mundi synthetice revelat Adamo antequam cum Eva e Paradiso pellatur (op. cit., in fine l. XI et per l. XII).

[2] De hac veste gloriosa lege plures traditiones rabbinicas apud Frey (op. cit., p. 28).

[3] Rom., III, 23.

[4] 4, 30; 8, 21.

mundum, et per lapsum naturam humanam factam esse magis proclivem in malum; sed iam ab exordio Adam erat cum prava inclinatione creatus. Cui inclinationi qui cedit, imitatione cum Adamo perit; qui resistit - sive sub Lege, sive extra Legem, - salvatur. Quare, licet forte nimis affirmet Tennant dicendo hunc librum « teaches a doctrine of « original sin »,[1] quod de hac doctrina in hoc libro continetur; non est quidem vera catholica doctrina, « *the* doctrine », sed tamen aliqualis quaedam « *a* doctrine » peccati originalis doctrina appellari potest.

Demum in *Apocalypsi syriaca Baruch* utrumque doctrinae adspectum invenimus, tum illum qui, ob concupiscentiae haereditatem, quae totam naturam infecit, affirmat lethalem Adae influxum in posteros: unde auctor protoparentes, uti tantae stragis auctores, severe interpellat;[2] tum illum qui singulorum perditionem peccatis tribuit personalibus, unde qui primi Adami exemplum sectando perit, fit sibimetipsi Adam.[3] Sane, si hic alter adspectus ad exclusionem prioris urgeatur, doctrinam peccati originalis pariter excludit. Aliter vero, si uterque simul tenetur. Ita superius, in prima dissertatione[4] vidimus, Theodoretum verba Pauli: « regnavit autem mors », etc., et expressionem « multi », eo explicantem sensu, qui primo intuitu Pelagianum sapit; licet tamen ex aliis textibus appareat, hunc scriptorem de peccato originali catholice sensisse. Cur similis lex non applicari possit, ubi de traditione Hebraeorum agitur? Caeterum ex scriptis tam deficientibus, quae vera tot fabulis miscent,[5] vix quaesieris genuinam expressionem traditionis sanioris, quae, iuxta ea quae in exordio huius appendicis diximus, in populo hebraico tempore Christi vigere debebat.

[1] Op. cit., p. 229.

[2] Hinc Charles* et Felten** admittunt hunc librum docere transmissionem mortis spiritualis.

[3] N. 5.

[4] « Non est ergo Adam causa nisi sibimetipsi soli; nos autem omnes, quisque « factus est sibimetipsi Adam », iuxta versionem cl. Frey (op. cit., p. 33).

[5] Hoc vitium adhuc magis postea invaluit. Ita sententia de carnali seductione primorum parentum a II saeculi p. Chr. ad frivola nimis conduxit. Alii dicebant

* *The Apocalypse of Baruch*, Lond., 1896, p. LXXX et 79.

** *Neutestamentliche Zeitschrift*, Ratisb., 1910, p. 117.

ARTICULUS II.

UTRUM ETIAM ALIA PECCATA PRIMI PARENTIS, VEL PROXIMORUM PARENTUM, TRADUCANTUR IN POSTEROS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Hucusque de traductione peccati alicuius originalis egimus modo affirmativo. Nunc exclusivo de eadem est agendum. Et quidem sub duplici respectu: *a*) quoad alia peccata Adami; *b*) quoad peccata aliorum parentum.

2) Haec autem quaestio considerari potest tum *a*) quoad factum, et tunc solvendae occurrunt obiectiones petitae ex testimoniis quae talem traductionem affirmare videntur; tum *b*) quoad ius, et tunc ostendendum est quomodo inter alia peccata et peccatum originale paritas rationis desit.

3) Solutio difficultatis petitur ex principio supra exposito, ubi agebatur de traducenda ab Adamo in posteros gratia originali: scilicet alia sunt accidentia personalia, alia accidentia naturae: haec traducuntur, non autem priora. Quare ut solutio praesentis articuli pateat, duo demonstranda sunt: *a*) in Adamo peccata post originans commissa fuisse accidentia personalia, non naturae; *b*) in aliis quibuscumque parentibus peccata pariter esse accidentia mere personalia.

4) Demonstratio autem haec ita procedit. Negari nequit, actus per se afficere formaliter personas. Quare, nisi afferatur ratio ex qua constet, aliquem actum simul naturam, utique cum sua originali supra se ipsam elevatione, formaliter afficere, standum est regulae generali. Atqui talis ratio

serpentem ad possidendam Evam Adamo vitam adimere voluisse. * – Iuxta alios serpens cum Eva congressus, impuro eam polluit veneno, quo Hebraei ad pedes Sinaï liberati sunt, Gentilibus infectis manentibus. ** – Alii referunt, Adamum carnale commercium habuisse cum daemonibus feminis, Evam cum maribus, idque per 130 annos post eorum expulsionem e Paradiso. *** - Iuxta somnia Ophitarum, angeli Ialdaboth se unierunt Evae; **** iuxta somnia Archonticorum Caïn et Abel nati sunt de commercio Evae cum daemone; ***** quae somnia originem Iudaicam habere videtur. ******

* Beresch. rab., 20, in Gen., III, 15; cl. 18 in Gen., II, 25.
** *Schabbath,* 146 a; *Iebamoth,* 103 b; *Aboda Zara,* 22 b.
*** Beresch. rab., 24, in Gen., V, 1; *Erubin,* 186.
**** Cf. S. Iren., *c. Haer.,* l. I, c. 30, 7.
***** Cf. S. Epiph., *Adv. Haer.,* l. I, 40, 5.
****** Cf. cl. Frey, op. cit., p. 19.

pro peccatis parentum etiam proximorum deest. Ergo peccata eorum non nisi personam afficiunt.

5) Minus autem res patet pro peccatis Adami, propter continentiam generis humani in ipso. Oportet proin rationem ostendere cur haec continentia genus nostrum reddiderit solidare praevaricationis primae, non autem aliorum sequentium peccatorum. Iam vero haec ratio petitur ab ipso fundamento eiusdem continentiae. Fundamentum enim erat ipse status innocentiae in posteros transmittendus. Amisso autem hoc statu, continentiae lex iam exitialem suum effectum ita produxit ut eodem effectu aliquomodo sit exhausta, fundamento solidaritati ulteriori sublato.

6) Notandum vero sedulo, agi in praesenti articulo de tali transmissione quae transmittat culpam; non vero quae late habeat rationem poenae. Proinde non negatur, Deum posse, propter iustitiam socialem, propter exemplum aliorum, castigare filios in poenam peccatorum a parentibus commissorum. Cuius veritatis universa historia, imprimis populi electi, testis est eloquentissimus. Pariter potest de parentibus in filios transire pars mercedis bonis actibus parentum debitae;[1] quae tamen merces non erit filiis merces formaliter, id est meritum. Aliquid huiusmodi iam superius vidimus in sententia S. Anselmi asserentis, confirmandos fuisse in gratia non solum protoparentes, si tentationi restitissent, sed et totam eorum progeniem. Quam doctrinam, etsi duce Angelico iudicavimus minus probabilem, non tamen repugnare concessimus.

7) Porro huius mercedis pars consistit in providentia speciali Dei erga sanctorum filios intuitu parentum, quemadmodum videmus, Deum erga infidelem Salomonem mitius egisse propter patrem eius David. Hoc pariter sensu Apostolus ait: « Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem « fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fide- « lem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti « sunt »,[2] id est, providentia Dei, iam quasi habentur tamquam abluti baptismate, cui destinantur.

[1] V. gr. quando insigni viro confertur titulus ad filios transmissibilis.

[2] 1 Cor. vii, 14. Hac Pauli sententia abutebatur Calvinus, docens fidelium filios nasci sanctos ac proin baptismo non indigere.

8) Conclude rursus ex his, solidaritatem culpae omnino restringi ad peccatum originale, quia nullum aliud peccatum datur, in quo ab actualiter peccante in eius posteros ipsa culpa vero sensu transeat. Inde confirmatur id quod supra diximus, in hac verae culpae solidaritate singulare, imo mysterium [1] peccati originalis esse reponendum.

II. **Ad Textum.** - In obiectionum dispositione processus similis occurrit ac in artic praeced. Prima obiectio procedit contra factum; alterae impugnant facti rationem.

1ª Obi. Non distinguit inter traductionem per imitationem, vel in modum iudicii, ratione coniunctionis intimae, et traductionem ratione solidaritatis in ipsa culpa.

2ª Obi. Supponit gratuito, adesse rationem traductibilitatis.

3ª Obi. Non distinguit inter corruptionem pertinentem ad naturam, et corruptionem pertinentem ad personam solam. Ubi adverte, non ideo formaliter culpam originalem traduci, quia naturam supernaturalibus fraudavit et in deterius vertit; sed quia supernaturalia et praeternaturalia, ex intentione divina, ad perfectionem naturae pertinebant. Hoc alterum necessario secum fert prius; non autem a converso. Etsi proinde peccator delictis suis iam corruptam naturam adhuc magis corrumpere possit; non inde sequitur, hanc maiorem corruptionem, quae culpabilis est in ipso actualiter peccante, in alios quoque uti culpabilem traduci.

[1] Unde Hugo Victorinus urgentem difficultatem non aliter solvit quam recurrendo ad mysterium: « Itaque dicendum putamus, occultam esse Dei iustitiam quae « illius peccati anima tenetur rea, quod non est in potestate sua vitare, et quod ipsa « propria voluntate non commisit. Ut enim Apostolus dicit: * "Incomprehensibilia « sunt iudicia eius, et investigabiles viae illius „ ». **

* Rom., xi, 33.

** Op. cit., c. 12, col. 109. Rectitudinem et iustitiam in universo Pope ita bene describit:

All nature is but art, unknown to thee.
All chance, direction which thou canst not see;
All discord, harmony not understood;
All partial evel, universal good.
And, spite of pride, in erring reasons's spite,
One truth is clear, whatever is, is right. ***

*** *Essay on man,* epist. I end.

Utraque obiectio procedit iuxta comparationem inter proximos parentes et Adamum. Aliae obiectiones fieri possunt ex comparatione inter Adamum peccatum originans committentem et alia eidem peccata adiicientem. Quibus difficultatibus n. 4 fecimus satis.

Sed contra est. Intellige principium hic positum de meritis uti meritis, non autem de mercede ex merito; quae merces, saltem materialiter, in posteros transire potest, quemadmodum videmus passim fructum laborum a parentibus in filios haereditario iure transfundi.

Num autem perseverantia Adami fuisset quoad voluntarium omnibus imputata, quaestio subtilior est. Negandum videtur. Nec obest paritas cum voluntario praevaricationis eiusdem. Dona enim supernaturalia ab initio in Adamo fuerunt prorsus gratuita, et ita gratuita in posteris eius, si stetisset, ab initio fuissent. Ut autem auferrentur, requirebatur in homine voluntas mala, quum dona Dei sint sine poenitentia. Quae bonorum ablatio eatenus dumtaxat in posteris habere potest rationem peccati, quatenus voluntarium ab omnibus participatur.

In Corpore. Duo facit S. Thomas: 1) citat auctoritatem Augustini, qui de solutione praesentis articuli dubitavit; 2) dubitationem truncat demonstrando quid tenendum sit.

Quoad primum, operae pretium est in tanti viri mentem penitius inquirere. Argumentum Augustinus introducit de baptismo. Praeclaro de peccato originali testimonio praemisso,[1] duplicique data explicatione cur, licet peccatum originale singulare sit, dicantur tamen parvuli in remissionem « peccatorum » baptizari, - scil. tum propter figuram quae vocatur ἐτέρωσις, tum quia peccatum originale plura in se continet, - dubium movet num peccata parentum non ipsos inficiant pueros. « Parentum quoque peccatis parvulos obli- « gari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de « quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur ». Et citato

[1] Hinc habes splendidam sententiam: « A parvulo enim recens nato usque ad « decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est a baptismo, ita nullus est qui non « peccato moriatur in baptismo; sed parvuli tantum originali, maiores autem etiam « iis omnibus moriuntur peccatis, quaecumque male vivendo addiderunt ad illud quod « nascendo traxerunt » (*Enchirid.*, c. 43).

in favorem huius asserti *Deuteron.*, V, 9; Ezech., XVIII, 20; Imo arguit (sine fundamento utique) ex numero plurali v. 7, Ps. L: « Ecce in *iniquitatibus* », etc. Mitigat autem sententiam suam, quae prorsus de omnibus peccatis valeret; et limitat hanc traductionem, ex misericordia divina, ad tertiam et quartam generationem, iuxta plures Scripturae sententias.[1] Sed haec omnia non uti sententiam certam ferens, sed uti non improbabilia suadens. Et concludit: « An aliud « aliquid de re tanta in Scripturis sanctis diligentius perscru- « tatis atque tractatis, valeat vel non valeat reperiri, temere « non audeo affirmare ».[2] Patet autem, facilius de traductione peccatorum illum dubitare potuisse, qui de ipsa animarum traductione anceps cogitabat.

Ipsa S. Thomae argumentatio ad hoc reducitur: a parentibus in filios transeunt ea quae sunt speciei seu naturae, non autem ea quae sunt personae. Atqui, ex ordinatione divina in Adamo, praeter naturae bona, erant bona gratiae, quae constituebant iustitiam originalem, et quae, servata iustitia, fuisset in filios cum natura transfusa. Ita, amissa iustitia, non transfunditur natura nisi eadem iustitia destituta. Reliqua autem peccata, sicuti non afficiunt nisi personam peccantis, non solum non traducuntur, sed, ut sapienter et fortiter ait Angelicus, « impossibile est » ut traducantur. Unde vides totum reduci ad ordinationem divinam, qua dona supernaturalia in primo parente toti humanae naturae, non minus quam ipsa natura, destinabantur.

Doctrina huius articuli validissime corroboratur per textum ex epistola ad Romanos super explicatum, ubi Apostolus influxum Adami opponit influxui abundantiori Christi, quatenus unum solum ab Adamo peccatum traducitur; ex multis autem delictis Christi gratia sanctificat.[3]

Corollarium I. – Ex doctrina in hoc articulo exposita apparet, originans Adami peccatum uti originale ad universam Adami posteritatem transiisse, non quatenus erat hoc vel illud, huic vel illi virtuti oppositum, sed quatenus erat

[1] Exod., xxv, v, et xxxiv, 7; Deuter., v, 9.
[2] *Enchir.*, c. 46 sq.
[3] Rom., v, 16.

gravis inordinatio mortem animae involvens, ac ita naturam ea spolians originali iustitia quae ad posteros fuisset transmittenda et, qua amissa, iam transmittere non poterat nisi et natura in se et in suis spoliata, iuxta pulcherrimam formulam S. Anselmi: « Spoliavit persona naturam bono iusti-« tiae, et natura egens facta omnes personas, quas ipse de « se procreat, eadem egestate peccatrices et iniustas facit ».[1]

Hoc sensu intelligendus est Chr. Pesch quando scribit: « Cum ratio specifica peccati originalis petenda sit ex super-« naturali habitudine ad Deum, haec necessario in definitione « exprimenda est. Consistit autem haec habitudo in gratia « sanctificante aut eius privatione. Itaque peccatum, quod « omnes in Adamo commiserunt, est voluntaria abiectio gra-« tiae, non vero peccatum gulae, nimium sciendi desiderium « aliaque, quae in peccato Adami inveniuntur; nam quantum « ad hoc Adamus non erat constitutus caput et repraesen-« tans generis humani, sed solum quod attinet voluntariam « conservationem aut obiectionem gratiae ».[2] Non quasi peccando Adamus explicite cogitare debuerit de hac originali gratia sibi et nobis abiicienda, sed quia voluntarium ad nos transiens erat gravis illa contra Deum rebellio hanc abiectionem implicito involvens.

Cave tamen ne haec dicta ita intelligas quasi voluntarium peccati originalis nihil aliud esset quam voluntarium ipsius peccati originantis, quam sententiam iam seperius depulsam infra penitius investigabimus; sed quatenus voluntarium peccati originantis est origo et substratum voluntarii peccati originalis. Optime proin S. Gregorius M. reatum in culpa originali derivat a morte quam Adam in anima passus est: « Nos primum hominem qua die peccavit, anima mor-« tuum diximus, atque per hanc omne genus humanum in « hoc mortis et corruptionis poena damnatum ».[3]

Corollarium II. – Ex principio fundamentali, cui superstruitur solutio dubii in hoc articulo soluti, apparet cur peccatum originale transfundatur etiam a parentibus qui non

[1] *De Conc. Virg.*, c. 23, t. CLVIII, col. 457.
[2] *De Deo Creante et elevante. De Peccato origin.*, n. 257.
[3] *Epist. ad Eulog.* (epist. XXXIV. – *P. L.*, t. LXXVII, col. 894).

amplius hoc peccato adstringuntur, et donis supernaturalibus in baptismate recuperatis ornantur. Haec enim dona ipsis sunt personaliter adiecta, et non amplius pertinent ad illum primaevum donorum complexum, qui originalis iustitia vocabatur. Adde, remisso peccato originali, non restitui integritatem naturae, sed manere peccati vulnera, imprimis concupiscentiam.

Eleganter Hugo Victorinus: « Solet quaeri: cum parentes « alicuius per baptismum mundati sunt a peccato originali, « quomodo potest filius contrahere peccatum illud? Quod « Augustinus in libro *De baptismo parvulorum* his similitu- « dinibus ostendit: quo modo praeputium per circumcisio- « nem aufertur, manet tamen in eo quem genuerunt circum- « cisi; quo modo et palea, quae tanta diligentia separatur, « manet tamen in fructu, qui de purgato tritico nascitur: « ita peccatum, quod mundatur per baptismum, manet in « eis quos genuerunt baptizati. Item in eadem: ex hoc enim « gignunt quod adhuc vetustum trahit, non ex hoc quod in « novitate promovit eum inter filios Dei. Non enim genuerunt « parentes filios suos secundum generationem illam qua « denuo sunt nati; sed potius secundum eam qua carnaliter « et ipsi primum sunt generati ».[1]

Sed etiamsi secundum regeneratam naturam generarent filios, eatenus dumtaxat eis transmitterent regeneratam suam naturam, quatenus illam non ut donum personale, sed ut patrimonium, utique supernaturale, naturae accepissent.[2]

Bene hanc doctrinam Chr. Pesch ita formulat: « Pec- « catum originale naturali generatione a patre traducitur « in filios, quatenus naturalis generatio quae ex primitiva « Dei institutione debebat esse medium traducendi naturam « gratia ornatam, post peccatum Adami iam non valet nisi « ad traducendam naturam gratia privatam ».[3] Et ita vix sternitur ad alteram partem huius Quaestionis.

[1] Op. cit., Prop. XXX.

[2] *Summa Sent.*, tract. III, c. 12. – *P. L.*, t. CLXXVI, col. 108.

[3] Cf. addenda in *Quaeres* in finem art. seq.

ARTICULUS III.

UTRUM PECCATUM PRIMI PARENTIS TRANSEAT PER ORIGINEM IN OMNES HOMINES.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Responsum est quaesito: *quodnam* peccatum traducatur, nunc faciendum satis quaesito: *ad quosnam* traducatur; prius quidem *positive,* deinde *exclusive.*

2) In praesenti articulo rursus considerandum est *factum* universalis traductionis in omnes homines per originem; et consideranda est *ratio* facti. Qua in ratione iam uti in germine solutio sequentis articuli reperietur.

3) *Factum* autem in sua universitate debet considerari prae lege a Deo statuta, non autem prae potentia qua Deus potest ab ipsa lege eximere quem vult. Proin, quum ex morte Apostolus arguat ad peccati primi mortui traductionem ostendendam, sufficit argumento praesenti *reatum* mortis in omnes pertransiisse, etiamsi de facto non omnes morerentur. Tria ergo sunt distinguenda: *a*) reatus mortis; *b*) ipsa mors ex reatu; *c*) ipsa mors sine reatu. Reatus mortis invadit omnes in quos peccatum originale transit; proin ab illo reatu, in praesenti historia generis nostri, excipiuntur unice Christus et Deipara Virgo. Ambo, titulo utique diverso, etiam moriendo, non proprii reatus poenas solvisse dicendi sunt. Sed Christus aliorum poenam solvit; Maria vel ex amore erga Filium sibi in morte imitandum, ultro diem clausit, vel ex mera lege naturae humanae obiit. Mors autem ex reatu per se reatum sequitur; potest tamen Deus impedire reatus effectum. Unde etiamsi concederetur, non morituros esse in ultimo die illos de quibus Paulus in prima epistola ad Thessalonicenses loquitur,[1] nihil inde sequeretur contra universalitatem traductionis reatus culpae originalis.

4) *Ratio* autem *facti* non est alia quam universalis in ipso primo parente continentia omnium hominum ab eo via naturali ortorum. Ratio autem huius continentiae est ipsa destinatio donorum gratiae ad omnes et singulos quibus genus

[1] C. IV.

nostrum in capite suo fuerat ornatum. Eatenus proin ad posteros transit peccatum, quatenus in Adamo iidem continebantur. Continebantur autem secundum naturalem potentiam, quam ille habebat gignendi de se. Quae naturalis potentia est simul germen in quo continetur genus, et vehiculum quo per singulas generationes diffunditur.

5) Si iam quaeris, utrum mediate an immediate posteri in Adamo continerentur, respondetur distinguendo. Quatenus supernaturalia animae dona singulis hominibus a Deo destinabantur, immediate singuli homines erant unus homo cum Adamo. Quatenus autem naturali via quoad corporalem substantiam a primo parente erant educendi, nonnisi filii et filiae Adami immediate in eo continebantur.

6) Inde sequitur, eo magis apparere necessitatem traductionis culpae, quo magis in vehiculo propagationis consideratur relatio ad ipsam culpam. Putamus proin theologos illos, qui intuentur instrumentum propagationis in concupiscentia, formaliter uti concupiscentia est, id est vis per originale peccatum vitiata, [1] et non solum uti vis est generativa, penitius mysterium originalis culpae penetrare. (Cf. dicenda de obi. ad 2[m]).

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Dupliciter deficit: *a*) supponit constare, illos, de quibus Paulus in hoc loco agit, non esse morituros; *b*) confundit reatum mortis cum ipsa morte.

2ª Obi. Pariter duplici vitio laborat: *a*) procedit ac si nullo modo singuli homines immediate ad Adamum, quantum ad donorum supernaturalium amissionem, referrentur; *b*) non considerat quid in homine, iam ab originali culpa mundato, de infectione eiusdem culpae, praesertim in ipsa facultate generativa, remaneat.

3ª Obi. Haec quoque obiectio multipliciter peccat: *a*) non considerat, dona Christi tam universaliter iure omnibus hominibus destinari, quam influxus lethalis Adami omnibus nocuit; – *b*) supponit, comparationem Apostoli procedere secundum universalem extensionem, et non potius secun-

[1] Independenter utique ab actuali gradu motus concupiscentiae in generante; qui, etsi per privilegium sine vitiata concupiscentia generaret, non minus virtute vitiatae naturae generaret.

dum intensionem efficaciae; et hoc quidem dupliciter: tum α) quatenus Christus a multis delictis liberat, tum β) quatenus Christus introducit in gloriam, unde vocatur undequaque Redemptor et Consummator.[1]

Sed contra est. Adde huic textui alia testimonia quae eamdem universalitem praedicant, et auctoritates de eadem lege supra allatas.[2]

In Corpore. Duas partes hoc argumentum habet. 1) Indirecte thesis probatur ex veritate quod omnes Christo Redemptore indigeant. Verba «praeter solum Christum» intelligenda sunt secundum ea quae alio in loco de opinione D. Thomae circa Imm. Conc. B. V. M. diximus. Caeterum quum hic de lege generali statuenda agatur, S. Thomas non tenebatur hanc exceptionem afferre; eo vel magis quod antecedenter B. V. a debito contrahendae culpae originalis non debeat eximi; ab influxu quippe Redemptoris illam eximere impium foret.[3]

2) Directe ratio huius legis universalis quaeritur. Argumentum patet. Vis est in ultimis verbis: « unde et culpa « originalis traducitur ad homnes illos qui *moventur* ab « Adam *motione* generationis »; in qua sententia iam totus articulus sequens continetur.

Quaeres, quoad resp. ad 2[m], num tantopere insistendum sit manenti concupiscentiae post remissam culpam originalem, ut, nisi ea remaneret, traductio peccati originalis nequiret haberi.

Resp. *a*) S. Thomas hoc in loco non aliter solvit obiectionem. Ex quo saltem hoc constare debet, quantam vim ad praesens mysterium explicandum Angelicus huic concupiscentiae tribuerit.[4] – *b*) Distinguendum est inter transmissionem donorum gratiae et non transmissionem culpae. Etiamsi concederetur, sanationem a concupiscentia tollere transmissibilitatem culpae; non ideo sequeretur donorum superna-

[1] Cf. dicta in dissertatiuncula praevia (I, B).

[2] Ibidem, et in expositione textus art. 1.

[3] Quomodo autem privilegium B. M. V. nullatenus infirmet legem hic statutam et a S. Paulo solemniter et absolute expositam, data opera ostendimus, ubi de Immaculata Conc. Deiparae data opera egimus.

[4] Cf. dicenda in art. 3 Quaestionis sequentis.

turalium transmissio. – Sed *c*) neque transmissibilitatem culpae per sublatam concupiscentiam auferri concedimus, tum: α) quia in quocumque ab Adamo oriundo adest aliqua immediata ad Adamum relatio, quae remaneret; tum β) quia concupiscentia iuvat quidem multum ad explicandam transmissionem voluntarii, cuius est signum; non autem est ipsum voluntarium; et proin, sicuti non totum explicat, ita, ea sublata, nexus non perit, licet minus appareat. Hanc putamus esse ipsius Angelici doctrinam, quod ex sequentibus magis manifestum fiet.

Corollarium I. – Ex dictis in hoc articulo rursus apparet quam solida sit ratio continentiae a nobis iuxta S. Thomam in articulo primo huius Quaestionis exposita, qua scilicet nos omnes eramus in Adamo capite naturali, ontologico totius generis naturali via ex eo orituri. Quae continentia supponit utique oeconomiam divinam primum hominem ad conditionem supernaturalem tantopere elevantem, ut cum natura etiam gratiae et integritatis dona transfunderentur.

Haec oeconomia, quatenus fluit ex speciali providentia divina et potuisset non adesse, data etiam creatione hominis, potest lato sensu vocari *decretum liberum Dei;* non quidem ad modum pacti,[1] sed liberae dispositionis ex divina liberalitate ordini naturali adiuncta. Si autem per tale decretum intelligitur aliquid huic naturali et supernaturali continentiae adiunctum, quasi haec non sufficeret ad transfusionem originalis labis explicandam, putamus poni aliquid superfluum, inutile, quod nihil explicando mysterio confert.

Audiatur Thys hanc sententiam vindicans: « Ut intelli-
« gatur aliquatenus quomodo sit originale peccatum volun-
« tarium, voluntarium voluntate Adami, requiritur et sufficit
« decretum Dei statuentis ut bona supernaturalia in Adamo
« conferrentur toti naturae humanae et cum natura propa-
« garentur. Eo enim ipso, Adamus caput physicum generis
« humani in ordine ad propagandam naturam factus est
« quoque caput eiusdem in ordine morali, quoad participa-
« tionem donorum supernaturalium ».[2] Et: « Fuit igitur Ada-

1 Cfr. quae de hoc pacto superius exposuimus, p. 549, sq.

2 *De peccato originali*, p. II, c. 4, p. 271.

« mus caput physicum totius generis humani. Sequiturne « potuisse unius eius peccato omnes filios gratiae dono pri- « vari? Non fuit haec S. Thomae mens; ideoque et alterum « statim subiungit huiusce rei fundamentum, in lege Dei « positum iustitiam originalem Adamo conferentis non pro « ipso tantum, sed *pro tota posteritate* ».[1]

Haec verba confusionem potius pariunt, quam rem explicant. Etenim in mente S. Thomae non habentur duo, sed unum: continentia scilicet totius humani generis in Adamo in ordine ad transfusionem donorum supernaturalium, haud secus ac humanae naturae. Nam transfundendum peccatum originale non est intelligibile de solis naturae donis; quare sufficit hoc unum, fundatum utique in continentia naturali, ontologica, qua posteri unum quid faciunt cum generis capite naturali.

Quare si per hoc *decretum*, per hanc *legem*, nihil aliud intelligitur quam haec oeconomia transfusionis donorum naturae elevatae, res est probanda, licet expressio sit ambigua; unde S. Thomas hac terminologia nunquam utitur. Si autem per hoc decretum, per hanc legem intenditur aliquid huic oeconomiae superadditum, gratuito ponitur aliquid inutile, quod nihil explicat, et nihil revera addit, nisi elementum periculosum, utpote ad conceptum pacti aut transfusionis voluntatum nimis appropinquans.

Hanc oeconomiam, collatam cum transfusione naturae, bene ita definit cl. De Baets: « *Humana natura* de persona « ad personam per organicam propagationem derivata, en « factum sed mysterium generationis; *Natura sancta* de per- « sona ad personam per organicam propagationem derivata, « en mysterium gratiae originalis ».[2] Unde natura culpabiliter lapsa per organicam propagationem derivata, en misterium peccati originalis.

Corollarium II. - Ex eadem doctrina apparet quomodo solvatur obiectio inde petita quod nec sanctitatem nec bonitatem Dei deceat ut animam puram immittat in corpus

[1] Ibid., p. 274.

[2] Op. cit. p. 30. – Sententiam Thys idem auctor impugnat in eodem opere, p. 79 sqq.

labe infectum. – Deus enim ita agens non aliud facit quam sese accommodare legi transfusionis humanae naturae a se statutae, vi cuius actus generationis animas creandas veluti appellat. Quam legem, si ob peccatum tulisset, humanum genus periisset, nec superesset a Christo salvandum. Eloquenter id evolvit Lacordaire: « On a demandé souvent « pourquoi Dieu envoyait une âme pure dans un corps souillé « par le péché. Pourquoi, Messieurs? vous venez de le voir. « Ce n'est pas Dieu qui envoie les âmes, c'est vous qui les « évoquez. C'est vous, hommes doués d'une vie transmis- « sible, investis du droit auguste de la paternité, c'est vous « qui, sur l'ordre de votre chair, appelez les esprits à vous, « et les forcez de recevoir avec votre image la honte et la « gloire d'être votre postérité. Si cette puissance vous eût été « retirée, c'eût été l'arrêt de mort du genre humain. Dieu, qui « voulait sauver l'humanité, vous a laissé la vie dans sa plé- « nitude; il a maintenu la loi de la transmission héréditaire, « sans laquelle, demeurés au néant, vous n'interpelleriez pas « sa justice et sa sagesse, èt, accomplissant de sa part tout « ce qu'il avait promis, il permet à votre misère de souiller « les âmes qu'il crée pour vous, et à votre ingratitude de le « blasphémer pour les maux dont vous êtes les auteurs ».[1]

Corollarium III. – Quum peccatum originale ab uno Adamo ad omnes derivetur homines qui naturali via ab eo procedunt, sequitur, iuxta legem a S. Paulo eloquenter expositam, nullum hominem ab hac originali labe absolvi aut eximi, nisi per nexum supernaturalem quem habet cum Adamo novo, id est virtute meritorum Christi Redemptoris. Bene cl. Pègues: « Tous ceux qui viennent d'Adam par voie « de génération tirent de cette origine un tel rapport avec « son péché qu'ils doivent tous, sans exception, être rachetés « par la grâce de Jésus-Christ, soit que cette rédemption, « par une grâce exceptionnelle, préserve du péché qui aurait « dû être encouru, comme ç'a été le privilège unique de la « Vierge Marie dans son immaculée conception, soit qu'elle « délivre personnellement du péché encouru ... ».[2]

[1] LXV *Conférence.*

Commentaire français littéral de la Somme Théologique de St Thomas d'Aquin, t. VIII, *Les vertus et les vices,* p. 664.

ARTICULUS IV.

UTRUM SI ALIQUIS EX HUMANA CARNE FORMARETUR MIRACULOSE, CONTRAHERET ORIGINALE PECCATUM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Si quaevis continentia in Adamo ratio diceretur cur ipsius peccatum in posteros transiret, parum, imo nihil referret, utrum via naturali an portentosa aliquis ab Adamo derivaretur. Sed ab ipso huius Quaestionis initio vidimus, – unde rursus mirare unitatem doctrinae S. Doctoris, – talem intelligendam esse continentiam, quae transfundat voluntarium; id est talem, quae motus nexum servet inter primum parentem et posteros; quemadmodum adest nexus inter voluntatem iubentem et manum opus exsequentem.

2) Quaestio proin reducitur ad hoc: utrum inter Adamum et hominem ex alio homine miraculosa via productum motus huiusmodi nexus adhuc servaretur. Quod est negandum. Et re quidem vera, non potuit Adamus velle pro illis quos non repraesentabat, quatenus naturalem facultatem illos producendi non habebat. Neque e converso unus homo cum Adamo dici possunt illi quorum re vera primus parens non esset.

3) Consequens patet pro Christo Domino de Virgine orto. Ipsa enim virginalis foecunditas miraculum est praeter ordinem naturae; quare, ut homo, Christus non continebatur in Adamo tamquam in parente, sed solum tamquam in corporalem substantiam ipsi praebente. Quare, etiamsi non esset Deus, Christus utpote de Virgine natus, originalem labem non contraheret. Triplex ergo in Christo ratio invenitur cur immunis esse debeat a peccato originali. Primo quia Filius Dei est; secundo quia Filius Virginis; tertio quia deleturus erat peccatum, et Deus poterat a peccato servare immunem illum in quo, ratione ipsius officii, peccatum repugnaret, etiamsi non esset nec Deus, nec miraculosa via natus. Ita S. Anselmus, cuius doctrinam mox afferemus.

II. **Ad Textum.** *1ª Obi.* Confundit nexum materialem cum nexu formali. Utique locus exilii in quo gens nostra coepit propagari, eidem nocuit; sed quia sequebatur uti poena pec-

catum. Sed praeter locum in modo productionis considerandus est nexus cum ipso peccato. Nexus autem ille talis esse debet, qui voluntarium sinat traduci. Vide dicta n. 1, 2.

2ª Obi. Arguit ex infectione totius carnis. Vitium est in maiori incompleta. Post verba « ex carne » adde verba « per naturalem viam traducta », et solutio obvia patebit.

3ª Obi. Arguit ex continentia in Adamo. Comple pariter maiorem: « continentia solidaritatis, non solum continentia « materiali a parte corporalis substantiae ». Item applica complementum in minori.

Sed contra est. Praesens doctrina confirmatur ex modo loquendi Scripturae, ubi legem statuit mundationis puerperarum: « Mulier si suscepto semine pepererit, etc ».[1] Probatur autem disertius ex c. 3, Sess. VI, Conc. Trid., ubi dicitur: « homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti ... ». Corroboratur expressionibus Scripturae in quibus processus naturalis indicatur: « Eramus *natura* filii irae ». « Quod *natum* est ex carne, « caro est ». « Nisi quis *renatus* fuerit » etc. etc.[2]

Doctrinam hoc articulo contentam S. Anselmus prae aliis egregie evolvit in opere cui titulus: *De Conceptu virginali.* Argumentum in initio c. XI ita introducit: « Nunc diligenter « considerandum est utrum haec quasi haereditas peccati, et « poenae peccati ad hominem per Virginem de Adam propagatum iuste pertranseat ». Posito et demonstrato triplicem esse rerum cursum: naturalem, voluntarium, et miraculosum seu mirabilem, S. Doctor concludit, nativitatem hominis de Virgine ad hunc tertium cursum pertinere; unde pergit c. XII: « Quomodo autem filius Virginis non subiaceat « peccato aut debito Adae, sic quoque difficile non est intelligere. Si quidem Adam factus est iustus et liber a peccato « et debito saepefato, et a poena peccati, et beatus potens « servare semper acceptam iustitiam; et per iustitiam eam, « quam dixi, libertatem et beatitudinem. Quoniam ergo « Adam, cum haec bona sine omni difficultate posset sem- « per servare sibi, non servavit; ea sibi ipse abstulit, et

[1] Levit., xii, 2.
[2] Ephes., ii, 3; Ioann., iii, 6, 3.

« horum se contrariis subiecit. Factus est itaque servus « peccati, sive iniustitiae et debiti, quod reddere nequit, et « miseriae, de qua est impotentia bona perdita recuperandi. « Sicut igitur aliter nequivit sibi auferre bona quae habebat, « et attrahere mala quae non habebat, quam non servando « sibi bona, cum potuit; ita nulli alii valuit eadem bona « auferre, atque mala inferre, nisi non servando bona cui « servare quivit. Servare autem nulli potuit ea bona, nisi « illis quorum generationis potestatem voluntati subditam « accepit. Nulli ergo personae quamvis de se propagatae « transmittere mala praedicta potuit, in cuius generatione « nec natura illi data est propagandi, nec voluntas eius quid- « quam operata est, aut operari valuit. Quare Adae mala « praedicta nulla ratione aut rectitudine ad hominem con- « ceptum de Virgine pertranseunt ».

In Corpore. Totum argumentum nihil est aliud quam evolutio sententiae qua argumentum praecedentis articuli claudebatur. Etenim ultima verba: « qui *moventur* ab Adam « *motione* generationis » explicat iuxta principia in art. 1° huius Quaestionis praestituta.

Observat S. Thomas quod, etsi homo miraculosa via nunc de homine productus non contraheret peccatum originale, « haberet nihilominus omnes defectus quos habent « qui in originali peccato nascuntur, tamen sine ratione « culpae ».[1] Intellige, nisi ex ratione speciali auctor portentosae creationis et illos defectus tollere velit. Cf. dicenda in art. sq.

Solent hic quaerere scholastici quomodo illae quae dicuntur « corporalis et seminalis ratio » constituant veram continentiam in Adamo. Cuius quaestionis solutio pendet a duplici alia quaestione, scilicet a relatione nutrimenti ad substantiam corporis, et a relatione seminis ad nutrimentum. Quidquid de utraque disputarint scholastici, certum est, – quod et rei praesenti sufficit, – vim generativam, quomodocumque nutriatur aut excitetur, ad naturam humanam pertinere, ac proin ab ipso primo parente derivari.[2]

[1] II, Dist. XXXI, q. 1, a. 2 ad 3.

[2] Cf., praeter Quaest. CXIX superius expositam, S. Thomam, II, dist. XXX, q. II, art. 1 et 2; et S. Bonaventuram, ibid. art. 3, q. I et II.

ARTICULUS V.

UTRUM SI ADAM NON PECCASSET, EVA PECCANTE, FILII ORIGINALE PECCATUM CONTRAHERENT.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Tertio respectui, qui analysim traductionis complet, scilicet *a quonam* peccatum traducatur, iam partim respondit articulus secundus, quoad exclusionem influxus aliorum parentum. Nunc in ipsis primis parentibus pars Adami prae parte Evae magis consideranda occurrit.

2) Et certo, si nulla esset Adamum inter et Evam ratio dependentiae ab invicem, et si in ipsa generatione non esset potior activitas alterutrius principii, nulla ratio dari posset cur peccatum unius magis quam alterius traduceretur. Sed quoad utrumque inter Adamum et Evam interest; ergo et in traductione peccati discrimen erit, si modo tale discrimen sit, quod in formalem traductionis rationem influat.

a) Et primo quidem Adamus erat caput humani generis, non autem Eva; etenim Adamus immediate a Deo factus est, Eva de Adamo; et masculinus sexus est nobilior. Quare ipsi Adamo Deus praeceptum de non comedendo ligno dedit, comminans eum, quo die de illo ederet, moriturum. Hoc de dignitate personali.

b) Iam de activitate generantis principii. In tractatu de Maternitate B. V. M. et in hac ipsa tractatione vidimus, partes maris potiores esse in opere generationis, utpote magis positivas. Proin, licet ambae concurrere debeant, nec recte, uti antiqui facere solebant, partes feminae sint tantum negativae habenda, magis penes Adamum erat in voluntate potestas generandi genus humanum quam penes Evam; unde ratio continentiae humani generis in primo parente Adamum respicit, non Evam. Proinde ab Adamo non ab Eva participatum est illud voluntarium, quo peccatum in posteros transiit.

3) Demonstrato itaque, et quidem duplici ex fonte, quomodo genus humanum erat unus homo in Adamo, non in Eva, iam ad varias hypotheses penitius considerandas accedamus. Triplex autem dari potuit: *a*) utrumque peccasse

antequam convenirent; *b*) Adamum peccasse, non Evam; *c*) Evam peccasse, non Adamum.[1] De singulis pauca.

a) Prima hypothesis historica est, et quidem talis ut prior Eva peccaverit, eaque in peccatum amore sui induxerit Adamum. Inde intelligitur quomodo Scriptura dicere potuerit: « *A muliere initium factum est peccati;* » et per illam omnes « morimur »,[2] quin inde aliquid sequatur contra praesentis articuli doctrinam. Quum igitur uterque peccaverint, et quum Eva prior peccaverit, nisi peccatum traduceretur formaliter per Adamum, illa traductio utrique, imo, ratione precedentiae historicae quin et suggestionis, Evae potius quam Adamo esset tribuenda. Quando igitur Paulus diserte affirmat, per unum hominem peccatum intrasse in mundum, et primo Adamo alterum opponit Christum, clare manifestat, in Adamo non in Eva totum genus humanum peccasse.

b) Secunda hypothesis facile solvitur. Si per Adamum transfunditur originalis culpa, haec transfunderetur etiamsi Eva non peccasset. Secus per utrumque dicenda esset pariter et aeque diffundi. Igitur in hac hypothesi nascerentur posteri in statu in quo esset Adamus, hoc est in statu lapso cum reatu peccati ipsius. « Si Adam peccasset, ait S. Tho« mas, muliere non peccante, filii ex utroque concepti utrum« que haberent, et defectus animae et corporis: quia ex « defectu animae etiam defectus corporis causantur: defi« ciente enim priore, necesse est et posterius deficere; sed « non convertitur ».[3]

c) Restat hypothesis tertia. Quoad principale eadem facilitate solvitur. Etenim, si per Adamum transmittenda esset originalis iustitia vel culpa; quousque Adamus in iustitia staret, etiam Eva lapsa filios generante ex Adamo, posteri

[1] Posset fieri et quarta hypothesis: utrumque genuisse unum vel plures filios antequam peccassent, et alios post lapsum. Sed haec hypothesis consideranda est uti duplex et proin ita solvenda: pro primis filiis uti in hypothesi servatae iustitiae, pro aliis, sicuti in hypothesi prima. – Subtilior valde esset hypothesis quinta: Adamum uxorem non cognovisse nisi ante lapsum, Evam concepisse ante lapsum, sed genuisse post lapsum. Quae hypothesis nobis redire videtur, cum aliquo sane moderamine, in hypothesim tertiam.

[2] Eccli., xxv, 33.

[3] II, *Sent.* Dist. xxxi, q. 1, art. 2 ad 4.

Adami nascerentur in iustitia originali. Sed movetur subtilior quaestio, utrum in hac hypothesi filii ex Eva nascerentur mortales defectibusque corporalibus subditi, in hoc similes matri suae; an immortales, immunesque ab his defectibus, sicuti pater.

Si nexus inter iustitiam et absentiam horum defectuum, tam intimus esset ut, posita iustitia, iam repugnarent et defectus corporales, solutio pateret. Similes enim undequaque Adamo gignerentur, licet de Eva iam mortali, filii immortales. Nexus enim ille intimus potest considerari vel secundum rem in se spectatam, vel secundum ordinationem divinam. Inde subtilitas quaestionis. Si priori modo nexum consideras, concedenda est possibilitas quod de Adamo immortali, iusto, et Eva peccatrice, mortali, nascerentur filii iusti quidem sicuti pater, mortales autem sicut mater; idque magis si ex natura rei ostendi possit ratio propter quam, filii quoad defectus corporales matri potius quam patri similes prodeant. Ita quaesitum solvit S. Thomas, praemittendo quidem solutionem, quae difficultatem omnem ingeniose truncaret: « Si mulier peccasset viro non peccante, forte illa in « peccato suo mortua fuisset, et Deus viro aliam uxorem « providisset. Si tamen ex ea filios genuisset, dicitur, quod « illi filii passibilitatem, et defectus corporales contraxissent; « non autem originalem culpam, et defectus qui sunt in « parte animae. Cuius ratio in evidenti est: quia secundum « Philosophum,[1] corpus non est nisi ex femina; anima autem « ex mari; non ita quod anima rationalis traducatur, sed « quia in semine est virtus formativa per quam in aliis ani- « malibus inducitur anima sensibilis, in homine vero organi- « zatur corpus, et praeparatur ad receptionem animae ratio- « nalis ».[2] Si autem nexum inter iustitiam et defectus corporales consideras a parte Dei ordinantis ut simul adsint, tunc aliter quaesitum solvendum est. Videtur proin S. Thomas seipsum correxisse; nam in resp. ad 2[m] huius articuli dat

[1] In IV *De animalibus*, c. II, vel II *De gener. anim.*, c. IV.

[2] II, Dist, XXVI, q. I, art. 2 ad 4. Praeter doctrinam hanc de anima traducta per marem et de corpore traducto per feminam, iuxta philosophiam tunc vigentem, principium « bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu », sufficeret ad demonstrandum quod, per se, passibilitas corporis mulieris in filios traduceretur prae impassibilitate corporis viri.

eiusdem quaesiti solutionem, oppositam priori quia, ut ait: « immortalitas et impassibilitas primi status non erat ex con- « ditione materiae, sed ex originali iustitia, per quam cor- « pus subderetur animae, quamdiu anima esset subiecta « Deo ». Magis huic alteri solutioni standum videtur. [1]

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Procedit ex continentia filiorum in matre haud secus ac in patre. Non attendit ad duplex quod est inter utramque continentiam discrimen, de quo in n. 2. Responsio solum tangit secundum. Patet obiectionem nullam esse si vertatur: *eo quod*. Vide dicenda in *Corporis* discussione.

2ª Obi. Arguit ex transfundenda passibilitate et mortalitate, et ex ea concludit ad transfundendum peccatum originale. Dupliciter peccat: *a*) supponitur demonstratum, quod esset demonstrandum, scilicet ex matre passibili et mortali, etsi a patre impassibili et immortali, nasci debere prolem passibilem; *b*) a transfusa passibilitate et mortalite concludit ad transmissum originale peccatum. Observa, nexum inter iustitiam et defectus corporales, etiam consideratum a parte Dei ordinantis, talem esse ut iustitia minus exigat immunitatem a defectibus, quam immunitas a defectibus exigit iustitiam. Etenim nullum exemplum datur immunitatis sine iustitia; [2] multa autem exempla dantur iustitiae (sed non originalis) sine immunitate. Secus, si de mere originali iustitia sermo sit.

3ª Obi. Arguit ex purificatione B. M. Virginis. Cf. quae in Mariologia de hac purificatione diximus. Rursus tamen observa, S. Thomae verba facilius intelligi in mente non ponentis privilegium Immaculatae Conceptionis, licet non valeant ad arguendum contra hoc privilegium. Qui nimis probat, nihil probat. Quis autem dicet, hic agi de mundatione ab originali labe? Ratio autem cur haec purgatio non requirebatur, ne peccatum originale a Matre in Filium transiret, continetur in praecedentis articuli doctrina. Erat quippe Maria paritura Virgo.

[1] Cfr. Pègues op. cit., pag. 668 sq.

[2] Nisi forte, uti superius innuimus, in Eva per brevissimum instans interiacens, quoad eruptionem concupiscentiae, inter peccatum Evae et peccatum Adami.

Utrum autem sola immunitas ab originali labe esset ratio sufficiens ad impediendam transfusionem eiusdem labis, quatenus rupto lethali influxu, iam non deberet redire, subtilior quaestio est. Stante maternitate virginea, concedi debet privilegium Immaculatae Conceptionis in Matre maiorem immunitati Filii, ut ita dicam, suderaddere splendorem. Non autem immaculata conceptio matris impedisset traductionem originalis labis in filium naturali via editum.

Sed contra est. Confirmatur praesens doctrina, quantum ad maiorem dignitatem Adami, ex hoc quod Deus in Adamum poenam mortis tulit, quemadmodum dedit illi praeceptum servandum. Corroboratur pariter locis quibus ostenditur Adamum esse caput generis. « Deus fecit ex uno omne « genus hominum ».[1] - « Adam primus formatus est; dein « Heva ».[2] - Cf. dicta n. 2.

Ita Patrum, conciliorumque traditio semper ab Adamo peccatum originale deducit, non autem ab Eva.[3] - Genealogiae quoque per patres texuntur.

In Corpore. S. Thomas unice insistit in discrimine quod interest inter virum et feminam in ipso procreationis opere; iuxta doctrinam hoc tempore vigentem. Non ideo frustra est ratio inde petita quod Adam erat caput, genus totum repraesentans. Imo haec ipsa ratio fundamentum suum habet in maiori nobilitate sexus virilis, quae nobilitas redundat in partes quas ipse vir in ope generationis agit. Inde totum ab uno fluit. Si enim oppositus esset respectus intrinsecus alterius sexus ad alterum, prior condita Eva caput generis humanis fuisset, a qua ipse Adamus duxisset ortum. Ordo enim in operibus Dei a ratione intima procedit.[4]

[1] Act., xvii, 26.

[2] 1 Tim., ii, 13. - Cf. locum parallelum 1 Cor., xv, 21, 22 (p. 236).

[3] Cf. sess. V, Concilii Tridentini.

[4] Quare censemus non omni excessu carere verba quae de hoc argumento scribit cl. Laminne: « Nous n'avons plus aujourd'hui aucune raison d'attribuer au père « seul l'influence active dans la génération, comme le faisaient les anciens. Adam et « Eve constituent, celle-ci aussi bien que celui-là, la souche de notre race. La raison « invoquée pour attribuer la faute d'Adam à la nature elle-même n'existe donc pas, « et il n'y a aucun motif de distinguer sous ce rapport entre les actes d'Adam et « ceux posés par Eve ». *

* Op. cit., c. iv.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum actoritate divina constet, peccatum primi hominis in posteros traduci, et nullum sine voluntarii ratione peccatum verum esse possit, dicendum est, peccatum Adami ideo omnibus imputari, quia unum omnes cum Adamo efformant corpus, quod uti membra coniuncta ipse Adamus voluntate sua movit (a. 1). – Talis autem solidaritatis ratio non exsistere potest, nisi pro hoc originali peccato, quum per illud solum ipsa natura traducenda inficiatur. Quare alia Adami, aliaque aliorum parentum peccata, utpote accidentia mere personalia, traduci in posteros etiam maximi propinquos nequeunt (a. 2). – Traducitur autem originalis culpa in omnes homines: omnes enim homines indigent redimi, omnesque ab Adamo moventur eo generationis motu, quo in primo parente omnes erant unum (a. 3). – Sed non traduceretur alia via praeter illam quae erat in potentia et voluntate Adami; quare homo miraculosa via (qualis Christus de Virgine) ortus, hoc ipso ab originali labe esset immunis (a. 4). – Licet autem homines simul ab Eva et Adamo proveniant, ac licet uterque parens peccaverit, non ideo ab utroque originale peccatum derivant, sed ab illo qui erat totius generis ipsiusque Evae caput, et qui in opere generationis principium repraesentat primum magis activum (a. 5).

CAPUT II.

DE PECCATI ORIGINALIS ESSENTIA.

(Quaestio LXXXII).

Ratio et ordo Quaestionis. – Ex hucusque demonstratis habemus dari unum singulare peccatum, quod ab Adamo, humani generis capite, ad omnes et solos naturali via ab illo oriundos, ratione solidaritatis generis cum capite, et motus a capite ad membra sese extendentis, tamquam verum peccatum, id est cum reatu et poena traducitur.

Iam ulterius quaerendum est de huius peccati *essentia*. In qua indagatione ita proceditur. Primo distinguendum est

peccatum originale ab aliis, quatenus, sicuti vocatur *originale, naturae*, ita quoque habet rationem *habitus* et non actus (art. 1). Posito autem quod sit in genere habitus, iam determinandum est utrum, sicuti est unum peccatum, ita sit habitus *unus* (art. 2). - Nec satis. Iam in isto lethali habitu duplex distinguendum est elementum: *formale* et *materiale* (art. 3). Quo rursus facto, *aequalitas* utriusque in quovis homine est stabilienda, quemadmodum in art. 2 eius singularitas demonstrata est.

Itaque apparet art. 1 et 3 necnon 2 et 4 sibi respondere, cum gradatione debita in Quaestionis analysi, quae quasi duplici passu persolvitur.

ARTICULUS I.

UTRUM ORIGINALE PECCATUM SIT HABITUS.

I. De ipsa Quaestione. - Quo melius quaesitum solvatur, quaedam breviter praemittenda sunt de notione tum *peccati habitualis*, tum ipsius *habitus*. Ab hoc altero initium est ducendum, iuxta doctrinam a S. Thoma expositam in superiori Q. XLIX et sqq.

1) Habitus *a*) prima species de genere qualitatum (a. 2) dicitur « dispositio secundum quam bene vel male disponi- « tur dispositum aut secundum se, aut ad aliud » (a. 1). Si secundum se, naturam respicit; si ad aliud, iam dicit ordinem ad actum (a. 3). Quotiescumque sive ad naturam, sive ad operationem entis plura concurrunt, necesse est dari habitus (a. 4).

b) Iam de habitus *subiecto*. Habitus, si consideratur secundum dispositionem rei in seipsa, potest esse in corpore quoque ut in subiecto, quatenus corpus comparatur ad animam sicut subiectum ad formam; si autem consideratur in ordine ad actum, non est primario nisi in anima, quum anima primas partes habeat etiam in operationibus quae per corpus exercentur; secundario autem esse possunt in corpore (Q. seq. a. 1). Sunt autem habitus, quatenus considerantur cum ordine ad actum, in potentiis animae tamquam in subiecto, non autem proprie in ipsa anima. Quatenus autem dicunt ordi-

nem ad naturam, magis ponuntur in corpore relate ad animam, quam in anima ad corpus; nisi sit sermo de natura elevanda ad statum supernaturalem, quae elevatio fit per habitum in anima uti in subiecto (a. 2). Potentiae autem sunt subiecta habituum etiam sensitivae, non quidem secundum quod obediunt instinctui naturae, quae fertur in unum; sed secundum quod nata sunt regi imperio rationis (a. 3). Intellectus vero atque voluntas sunt habituum subiecta (a. 4, 5). Et ita quoque in Angelis sunt habitus, non quidem uti dispositiones ad esse naturale, quod compositione caret; sed uti dispositiones in intellectu et in voluntate relate ad Deum contemplandum ipsoque fruendum (a. 6).

c) Hucusque de habitibus in seipsis, et in suo subiecto. Iam de eorum *causa,* praesertim generante (Q. seq.). Porro habitus, dispositio subiecti, totaliter est a natura quantum ad naturam speciei; totaliter vel partialiter quantum ad naturam individui. Habitus autem dispositio ad actum, cuius subiectum est potentia animae, in Angelis potest esse totaliter naturalis; sed in homine est partim a natura, partim ab exteriori principio. Aliter tamen in potentiis apprehensivis, et aliter in appetitivis. In apprehensivis habetur secundum inchoationem: tum secundum naturam speciei ex parte animae (intellectus principiorum); tum secundum naturam individui, ex dispositione plus minusve perfecta corporis. In appetitivis autem non habetur habitus secundum inchoationem, nisi secundum naturam individui, ex dispositione corporis ad hanc vel illam virtutem; non autem secundum naturam speciei, ex parte animae: nam prima principia iuris, seu seminalia virtutum, uti vocantur, sunt quidem prima inclinatio ad obiecta propria, non autem inchoatio naturalis, quemadmodum intellectus principiorum [1] (Q. sq. a. 1). Quotiescumque invenitur in agente principium activum simul et passivum sui actus, habitus multiplicatione actuum capax est augmenti, quatenus per actus potentia passiva magis disponitur (a. 2). Hi actus requiruntur multi ad habitum vir-

[1] Ratio huius subtilis discriminis est quod appetitivae potentiae moventur a ratione, apprehensivae autem a primis propositionibus. Unde latius pateat oportet dispositio naturalis in intellectu quam in voluntate, quatenus voluntas nata est ab intellectu moveri.

tutis; ad habitum apprehensivum, distinguendum est: multi requiruntur in viribus inferioribus (intellectu passivo), in superiori autem (intellectu possibili) requiruntur quidem multi ad habitum opinativum, sed uno aliquando potest actu induci habitus scientiae. In habitibus corporalibus potest pariter uno magnae virtutis actu habitus induci (a. 3). Infundi autem habitus debent quicumque ad finem supernaturalem conducunt; possunt autem et alii, de potentia divina (a. 4).

d) Porro *augeri* possunt habitus tum secundum se, tum secundum participationem subiecti, sive ex natura, sive ex consuetudine (Q. sq., a. 1). Augentur autem secundum modum participationis a subiecto, vel secundum additionem; iuxta naturam ipsius formae aut accidentis a quo habitus desumitur (a. 2). Ut actus augeat habitum vel disponat ad eius argumentum, requiritur proportio inter intensionem actus et habitus (a. 3).

e) Iam de modo quo habitus *corrumpuntur* aut *minuuntur*. α) *Corrumpi* habitum contingit per se, propter advenientem formam contrariam, sive ex parte sua, sive ex parte causae; per accidens, propter deficientiam ipsius subiecti. Quare intellectus principiorum est incorruptibilis per se et per accidens. Scientia seu habitus conclusionum, per rationem causatus, est quidem incorruptibilis per accidens, non autem per se; etenim destrui potest per quascumque propositiones, seu quoscumque rationis processus, contraria scientiae quae habebatur.[1] Habitus appetitivae partis, sicuti per rationem moventur, ita per eam corrumpi possunt. Virtutes autem quae in apprehensiva sunt, sequuntur scientiam et opinionem; quae in appetitiva, per contraria vitia delentur (Q. sq., a. 1). β) A fortiori habitus possunt *minui;* quae minutio augmento ex opposito respondet (a. 2). Ad hanc diminutionem, imo corruptionem tunc sufficit sola cessatio (plus minusve diuturna) ab opere, quando opus requiritur ad contrarium habitus prohibendum (a. 3).

f) Iam vero *plures* esse possunt habitus in eodem subiecto, si considerantur ut ad naturam; imo in eadem potentia, si

[1] A fortiori hoc valet de habitu opinativo, cuius causa magis versatilis est. Adde his destructionem scientiae ex debilitate memoriae, sive imaginativae, propter defectum exercitii aliamve causam.

considerantur ut ad operationem (Q. sq., a. 1). Porro quemadmodum actus distinguuntur secundum diversitatem obiectorum, ita habitus, uti dispositiones ad actus, distinguuntur secundum diversa obiecta (a. 2). Nec solum secundum obiecta, sed etiam secundum naturam habitus distinguuntur, et quidem dupliciter: in bonos vel malos, quatenus disponunt ad actus convenientes naturae (virtutes), vel naturae contrarios (vitia); et ipsi habitus virtutum sive boni distinguuutur in virtutes humanas, heroicas, divinas, prout disponunt ad actum convenientem naturae humanae, vel naturae superiori (a. 3). Unus autem habitus, quum forma sit de natura sua simplex, nequit pluribus habitibus componi: non enim unus habitus se extendit ad multa nisi in ordine ad unum (a. 4).

Haec summatim de habitibus praemittenda videbantur. Ex illis enim notionibus rite perpensis, iam sponte exsurgunt quasi omnia mox dicenda de habitu peccati originalis.

2) Sed et de *peccato habituali* nonnulla adhuc praemittenda ducimus. Distinguitur peccatum habituale ab actuali, aliquomodo, non autem undequaque sicuti habitus ab actu. Habitus quippe peccati est vitium, quemadmodum habitus actus boni nuncupatur virtus.

Habituale autem peccatum vocatur animae status a peccato actuali non revocato inductus.[1] Quo in animae statu tria consideranda sunt: *a*) privatio donorum supernaturalium (nam de statu peccati mortalis hic est sermo); *b*) voluntas mala, quae causa huius privationis exstitit et quae nondum est revocata; *c*) pronitas in alia peccata mortalia, resultans tum ex illa mala voluntate nondum efficaciter revocata, tum ex destitutione gratiae, qua virtuti obstantia removentur. Elementum *a*) magis habet de habitu considerato secundum naturam; intelligendum est de modo se habendi, non autem aliquid habendi; quum hoc quod haberi deberet, culpabiliter absit, imo haec ipsa absentia modum se habendi

[1] Bene Lacordaire: « Tout acte, bon ou mauvais, produit dans l'homme qui en « a été l'auteur, ... un état permanent qui affecte son âme et son corps, qui subsiste « jusqu'à ce qu'il ait été détruit par une action contraire, et qui, à cause de la « transmission substantielle de l'homme à la postérité, est susceptible aussi de se « communiquer avec la vie ». *

* LXV *Confér.*

constituat. Elementum *b*) respondet principio habitus considerati uti ad operationem. Demum elementum *c*) respondet habitui considerato secundum operationem.

Porro reatus culpae poenae, licet proprie afficiat ipsam voluntatem malam quae statum peccati induxit, tamen afficit et ipsum statum propter nexum huius status cum illa voluntate nondum efficaciter revocata. Quare totus status et cum statu ille qui in eo se habet, et quidem formaliter quatenus in eo est, fit Deo odibilis.

3) Haec de habitu et de peccato habituali dicta iam ad peccatum originale applicemus.

Quemadmodum peccato habituali inesse modo vidimus, ita in peccato originali tria consideranda occurrunt: *a*) Voluntas prava Adami ad totum genus humanum sese extendens, usquedum per influxum a Christo derivatum non efficaciter revocetur: est elementum a quo peccatum originale habet suam rationem culpae; et sub hoc respectu dici potest, unum actum Adami suffecisse ut in totum genus habitum peccati induceret. – *b*) Destitutio donorum supernaturalium et praeternaturalium, propter amissam iustitiam et integritatem. Quae destitutio fit culpabilis ex nexu cum voluntario Adami; quo nexu deficiente, imperfectionem quidem poneret, non autem privationem. Imo iuxta exposita superius [1] plus quam privatio, spoliatio scilicet vera dicenda est, qualis fuit illa incidentis in latrones. [2] Hoc elementum constituit habitum naturalem, quatenus est ab ipsa nativitate, et in totam harmoniam naturae influit. Considerat autem habitum secundum ipsam naturam, non autem secundum eius ordinationem ad operationem. Porro quemadmodum habitus secundum naturam potest esse a parte animae et a parte corporis, ita in hoc statu habemus a parte animae, defectum donorum supernaturalium, seu iustitiae; a parte corporis, defectum donorum praeternaturalium, seu

[1] Optime id totum his verbis comprehendit D. Philippus Trucco: « *Spogliazione* « di tutti i doni *soprannaturali* e conseguente *reprobazione* da parte di Dio: tale è « lo stato miserando in cui, per il fallo del primo padre, cioè per il *peccato originale*, « nasce oramai ogni membro del genere umano ». *

[2] Luc., x, 30.

* *Gesù supremo benefattore degli uomini*, p. 43.

integritatis. - *c*) Pronitas in peccata actualia, tum propter absentiam gratiae, seu remotionem prohibentis peccata; tum propter instantem concupiscentiam ad illicita inclinantem. Sub hoc respectu, secundario quidem, sed nihilominus reali, stragisque heu feracissimo, peccatum originale fit habitus secundum ordinationem ad operationem. Per illud enim inferiora hominis ad prava eum eo efficacius inclinant, quo miserius superiora destituuntur viribus, quibus huic inclinationi resistant.

Hic autem oportet notare discrimen. Etenim haec inclinatio ad peccatum invenitur in homine ab ipsa natura; dum habitus, quibus potentia ad agendum inclinatur, saepius acquiruntur, v. gr. scientia et virtus. Hoc tertium elementum facit hominem nasci non solum spoliatum, sed et vulneratum, quemadmodum « plagis impositis » iacebat derelictus ille semivivus, quem latrones spoliaverant: quare vino vulnus animae, oleo vulnus corporis a divino Samaritano curari oportuit. [1]

In opella cui titulus: *L'amabile Redentore degli uomini* D. Virgilius Crispolti efficaciter describit immensam ruinam a protoparentum peccato productam, [2] Christoque, Redemptori humani generis letali vulnere sauciati atque languentis, parabolam boni Samaritani eloquenter applicat. [3]

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Dupliciter peccat. *a*) Non considerat, habitum dici non solum a re habita, sed etiam a modo se habendi. *b*) Neque attendit in peccato originali elementum quod est iustitiae contrarium. Quod elementum exposuimus praesertim sub *c*).

[1] Improprie tamen habitus peccati originalis dici potest acquisitus. Ita S. Thomas: « Sicut habitus vitiosus, qui est proprius huius personae, est acquisitus ex « actibus huius personae; ita et habitualis concupiscentia, quae pertinet ad pecca« tum naturae, est acquisita ex voluntario actu primi parentis: non autem est natu« ralis proprie loquendo neque infusa ». * Est enim traducta; non autem naturalis, quia male disponit naturam ad ea ad quae primario ordinabatur. Aliqualiter tamen naturalis est *a*) quatenus est a nativitate, *b*) quatenus totam naturam afficit, *c*) quatenus illam sibi nudam relinquit.

[2] *Il Natale*, p. 16 sqq.

[3] *La circoncisione*, p. 35 sqq.

[*] *De Malo*, Q. IV, a. 2, ad 5m.

2ª Obi. Non reflectit in modum diversum quo peccatum actuale inducit statum habitualem peccati; et quo peccatum originans induxit habitum peccati originalis. Caeterum non undequaque verum est, peccatorem, quatenus manet in statu peccati, non esse Deo odibilem, etiam quando secus nihil peccaminose agit. Ex dictis conclude aliter dici habitum peccati, quatenus actus malus non revocatus inducit statum peccati; aliter habitum vitii, quatenus propter actus virtuti cuidam oppositos, homo pronus factus est in vitium contrarium. Prior respectus considerat habitum secundum modum essendi, alter secundum modum operandi.

3ª Obi. Tripliciter deficit: *a*) Considerat unice in peccato originali habitum ad agendum. Iam vero potior peccati originalis respectus est habitus se habendi. – *b*) Dato tamen quod in habitu peccati originalis adsit et alter respectus concomitans ad operationem, non considerat nexum inter hanc dispositionem ad malum et actum peccati Adami a quo est. – *c*) Non attendit quod, ex specialissima sui ratione, habitus peccati originalis in unoquoque quem afficit, non est neque acquisitus, neque infusus, sed traductus ab origine. Nec proprie potest dici acquisitus ab actu Adami, quia habitus acquisitus dicitur proprie de habitu qui non est ab ipsa nativitate et qui unice respicit operationem, seu afficit potentiam ad agendum. Talis autem non est habitus peccati originalis.

Sed contra est. Adverte Augustinum, hoc loco non considerare habitum peccati originalis sine respectu ad operationem malam in quam inclinat. Huc spectant locutiones in quibus Scriptura, praesertim per os Pauli, peccatum habituale ex originali culpa describit; necnon verba Conc. Trid. de concupiscentia etiam post remissam culpam originalem remanente. Quae directius ad art. 3m huius Quaestionis spectant.

In Corpore. S. Thomas duplicem distinguit significationem habitus: *a*) quo inclinatur potentia ad agendum, et *b*) quo disponitur natura ex multis composita, quatenus bene vel male se habet ad aliquid. Negato priori sensu, evolvit alterum. Adverte tamen, priorem illum sensum non ita negari, ac si habitus peccati originalis non haberet concomitanter

respectum ad operationem per inclinationem consequentem in actus inordinatos. – (Hoc enim constat, et apparet in *sed contra est*, et in resp. ad 3[m]). – Sed negatur hunc esse formalem, primarium respectum huius habitus; eo vel magis quod sit potius privativus, totamque naturam, non autem per se aliquam naturae potentiam afficiat.

Corollarium. – Ex dictis in hoc articulo collige, originale peccatum non solum esse habituale, sed imo non posse concipi nisi habituale. Bene id monet cl. Laminne: « C'est comme « péché habituel que la faute originelle est héréditaire: un « état habituel peut se transmettre par génération, et non « pas une action. L'acte vital est propre à celui qui le pose, « en vertu de sa définition même. Or ce qui se transmet « par hérédité a pour cause non pas l'être qui est engendré, « mais bien celui d'où il tire son origine. Un péché hérédi- « taire ne peut donc pas être un péché actuel, mais seule- « ment un péché habituel ».[1]

ARTICULUS II.

UTRUM IN UNO HOMINE SINT MULTA ORIGINALIA PECCATA.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Quum superius demonstratum sit, non nisi unum singulare peccatum Adami in omnes homines transire, nequit a parte causae originale peccatum non esse unum. Restat proin ut in eiusdem essentia multiplicitas quaeratur.

2) Iam vero tunc solum haec essentia multiplicitatem secum ferret, si in peccato originali varia elementa illud constituentia non reducerentur ad unum. Haec autem unitas deesse potest vel *a*) ex ipsa inchoaerentia elementorum, vel *b*) ex diversitate potentiarum quas tamquam subiectum haec elementa afficerent, vel *c*) demum ex specificatione obiectorum in quae diversimode ferret. Iam vero nullum ex his tribus datur. Quod ostenditur ita.

3) Non primum. Nam, licet in peccato originali duplex spoliatio consideranda sit: iustitiae et integritatis, quarum

[1] Op. cit., IV, p. 63.

altera animam, altera corpus afficit; haec duo tam intimo nexu copulantur, ut integritatis amissio sit effectus immediatus amissionis iustitiae; utraque enim rebellionem ponit, destructionem primariae harmoniae totius hominis in Deum ordinati. Quare licet ignorantia in anima et concupiscentia in corpore sint elementa per se valde distincta, in unum tamen conspirant, et unum peccatum constituunt.

4) Eo vel magis quod peccatum originale non est habitus afficiens potentias ad agendum, sed ipsam naturam hominis totam. Quare nequit in peccato originali illa inveniri multiplicitas quae derivatur ex habitibus varias animae potentias afficientibus. Licet proin apprehensiva facultas et appetitiva ex originali labe detrimentum patiantur, quatenus obnubilatur altera, altera deprimitur; non inde tamen oritur diversus habitus in utraque. Longe minus inde oriuntur plures habitus in alterutra; licet idem habitus afficiens naturam oppositos actus, vel saltem specie diversos consequenter producat. Exemplum sume follis tenuissimo aëre inflati, cuius inferiori parti momentum staterae fune alligatur. Caede funem; ecce sublimia petit follis, ima momentum. Quis ideo duplicem actum in caeso fune distinguendum dixerit?

5) Neque instes concedendo in habitu peccati originalis unum dari quidem unde habitus dicatur unus; nihil tamen impedire quominus in hoc uno habitu varia peccata distinguantur. In praecedenti enim articulo vidimus, peccatum originale esse habitum. Si ergo plura sunt peccata originalia, plures erunt habitus. Iam vero in uno habitu plures dari habitus repugnat.

II. **Ad Textum.** — *1ª Obi.* Petitur ex voce « iniquitatibus », in ℣. 7, ps. L. Iam vidimus hanc obiectionem capite truncari inspecto textu originali. Duplicem responsionem S. Thomas desumit ex S. Augustino, cuius accipe verba. Datis exemplis singularis numeri pro plurali positi, tum ex Vergilio « Utrumque *armato milite* complet »,[1] tum ex libro *Num.*: « Ora ergo ad Dominum, ut auferat a nobis serpentem »,[2]

[1] *Aeneid.*, l. II, v. 20.
[2] C. XXI, 7.

pergit ad usum pluralis numeri pro singulari (utrumque enim fert ἑτέρωσις): « Cum vero et illud originale unum plu« rali numero significatur, quando dicimus in peccatorum « remissionem baptizari parvulos, nec dicimus in remissio« nem peccati: ita est contraria locutio, qua per pluralem « locutionem significatur numerus singularis. Sicut de He« rode mortuo in Evangelio dictum est: " Mortui sunt enim « qui quaerebant animam pueri „.[1] Non dictum est: Mortuus « est. Et in *Exodo:* " Fecerunt sibi deos aureos „,[2] cum « unum vitulum fecerunt tantum, de quo dixerunt: " Hi sunt « dii tui Israël, qui eduxerunt te de terra Aegypti „.[3] Et hic po« nentes pluralem pro singulari ». En solutionem per ἑτέρωσιν. – Iam transit ad alteram magis profundam, intimiusque cum praesenti quaestione connexam. – « Quamvis et in illo pec« cato uno, quod per unum hominem intravit, et in omnes « homines pertransiit, propter quod etiam parvuli baptizan« tur, possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua « quasi membra dividatur singula. Nam et superbia est illic, « quia homo in sua potius esse quam in Dei potestate dilexit; « et sacrilegium, quia Deo non credidit; et homicidium, quia « semetipsum praecipitavit in mortem; et fornicatio spiri« tualis, quia integritas mentis humanae serpentina suasione « corrupta est: et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus « est; et avaritia, quia plus quam illi sufficere debuit, appe« tivit; et si quid aliud in hoc uno admisso diligenti con« sideratione inveniri potest ».[4] Sed iam apparet, hic dire« ctius institui analysim peccati actualis Adami quam origi« nalis in nobis.

2ª Obi. Arguit ac si inclinatio in contraria uti causam necessario requireret habitus varios contrarios. Verum esset, si ageretur de habitu formaliter potentiam ad operationem afficiente. Sed hoc falso supponi, iam demonstravimus.

3ª Obi. Eodem laborat vitio. Omnes partes totius possunt duplici via attingi, per aliquod unum afficiens totum, et consequenter singulas partes in toto; per varia varias partes

[1] MATTH., II, 20.
[2] C. XXXII, 31.
[3] Ibid., v. 4.
[4] *Enchirid.*, cc. 44, 45.

directe afficientia. Iam vero priori modo peccatum originale in omnes partes naturae humanae agit.

Sed contra est. Argumentum ex hoc loco Ioannis deductum non habet nisi vim suasivam; magnam tamen, praesertim inspecto textu graeco, propter articulum. - Confirmatur ex epistola Leonis Magni ad episcopum Nicetam Aquileiensem,[1] in qua ad verba affertur cap. 45 *Enchirid.* S. Augustini supra citatum. - Confirmatur etiam ex can. 3, sess. V, Conc. Trid.: « Si quis hoc Adae peccatum, quod « *origine unum est,* et propagatione, non imitatione trans- « fusum omnibus inest unicuique proprium ... », etc. Cuius loci vis non praecise desumitur ex verbis *quod origine unum est* per se sumptis; haec enim verba directe ad actuale peccatum referenda sunt; sed ex hoc quod illud peccatum origine unum consideratur in tota sententia tamquam traductum singulare in singulis unum.

In Corpore. En argumentum schemate contractum.



Attende *causam*, quae bis recurrit in argumento, in 1°) et in 2°) *a*) sensum valde diversum habere. In primo loco intelligitur causa historica efficiens, extrinseca, saltem ut actualis, posteritati; in altero intelligitur causa formalis; intrinseca singulis.

Ad resp. ad 1m. Multiplicitatem, quae 2°) *b*) β) conceditur, si quis adduceret ad explicandum numerum pluralem in

[1] Epist. 84.

formula symboli: in remissionem peccatorum: id est peccati originalis numero in singulis diversi, nonnisi risum moveret. E contra optima est explicatio quam ipse S. Augustinus paulo superius attulerat, per distinctionem inter peccatum originale quod baptismus in omnibus et unice in infantibus remittit, et peccata alia actualia, quae in adultis insuper delet. [1]

ARTICULUS III.

UTRUM ORIGINALE PECCATUM SIT CONCUPISCENTIA.

I. **De ipsa Quaestione.** – Demonstratum est hucusque, peccatum originale unum esse proportione et specie, unum in singulis, unum habitum. Iam in essentiam huius habitus penitius est inquirendum. Nimirum videndum est utrum tanta sit huius habitus unitas ut simplex sit eius essentia; an potius haec essentia, etsi una, composita sit ad modum compositi ex materia et forma. Vixdum posito quaesito, iam apparet, hic praesertim agendum esse de parte quae in essentia peccati originalis tribuenda sit concupiscentiae. Quod quaesitum iam ab Augustino et eo duce a Scholasticis, fuse profundeque tractatum, maioris momenti factum est a tempore quo pseudo-reformatores, aliique post illos, idem instaurarunt, et hinc inde multiplicarunt errores a Concilio Tridentino pluribusque Romanae Sedis sententiis mature pensos atque damnatos. Aequum proin visum est hoc argumentum speciali dissertatiuncula parumper fusius evolvere.

Dissertatiuncula

DE HABITUDINE CONCUPISCENTIAE AD PECCATUM ORIGINALE.

Ut autem ab initio via praecludatur confusioni, praemittimus textum S. Thomae nitide describentis sensum heic in concupiscentia intentum. « Concupiscentia secundum quod « pertinet ad originale peccatum, non est concupiscentia « actualis, [2] sed habitualis. Sed intelligendum est quod ex

[1] Cf. textum allatum in *Corp.* art. 2. Quaestionis praecedentis.

[2] Quod et in ipso generationis actu sedulo servandum est. Libido « actualis, ait « S. Thomas, non est causa quod transmittatur originale peccatum, sed signum

« habitu afficimur habiles ad aliquid. Dupliciter autem ali-
« quod agens potest esse habile ad aliquid agendum. Uno
« modo ex aliqua forma inclinante ad hoc, sicut corpus grave
« ex forma sua quam habet a generante, inclinatur deor-
« sum. Alio modo ex substractione eius quod impediebat,
« sicut vinum effunditur, fractis circulis qui effusionem im-
« pediebat, et equus concitatus praecipitanter vadit, rupto
« freno quo retinebatur. Sic ergo concupiscentia habitualis
« potest esse dupliciter. Uno modo, aliqua dispositio vel
« habitus inclinans ad concupiscendum, sicubi si in aliquo ex
« frequenti actuali concupiscentia causaretur concupiscen-
« tiae habitus, et sic concupiscentiam non dicimus originale
« peccatum. Alio modo potest intelligi habitualis concupi-
« scentia ipsa pronitas vel habilitas ad concupiscendum,
« quae est ex hoc quod vis concupiscibilis non perfecte sub-
« ditur rationi, sublato freno originalis iustitiae. Et hoc modo
« peccatum originale, materialiter loquendo, est habitualis
« concupiscentia ». [1]

I. Antequam hanc doctrinam illustremus et vindicemus, varia errantium systemata ordine historico quam brevissime exponantur oportet. Et primo quidem *A*) de sententiis protestantium, dein *B*) de sententiis conceptui protestantico nimis faventibus. [2]

A) *a*) Ipse Lutherus [3] tam crassis formulis de peccati originali essentia locutus est, ut plerique ab eius modo loquendi recedendum putaverint. Flaccus tamen Illyricus, [4] unus ex principibus theologis Lutheranis, nedum magistri doctrinam

« causae. Unde si miraculose fieret ut actualis libido totaliter removeretur, coitu
« manente, tamen nihilominus proles traheret peccatum originale. Unde Augustinus
« cum dixit quod libido transmittit peccatum, posuit signum pro signato ». *

[1] *De malo*, Q. IV, a. 2 ad 4^m.

[2] Cf. SCHEEBEN, op. cit., l. IV, § 202, quem maxime in hac expositione sequimur.

[3] De excessu Lutheri quoad concupiscentiam et peccatum originale lege assert. artic. 31, 32, 36. Cf. et *Sermonem de Poenitentia* (ed. Weimar, t. X, p. 332). - Vix mitius Calvinus (*Instit.*., III, XII, 4; III, XIV, 9; II, I, 9; IV, XV, 11; IBI, XIV, 7). - Eamdem doctrinam exprimit professio fidei ecclesiae Anglicanae (c. IX). **

[4] Mathias Trancowitz, natus Albonae in Illyria anno 1520, obiit Francofurti 11 Martii 1575. Conditor Magdeburgensium Centuriarum, acerrimus, obstinatissimus ac simul doctissimus Lutheranorum.

* *De malo*, IV, a. 6, ad 16^m. - Cf. ad 18^m; et in II. Dist. XXXII, q. 1, a. 3, ad 1^m.

** Cf. LAMINNE, op. cit., p. 96 sqq.

mitigaret, eam urgere non dubitavit, asserens originale peccatum *malam esse substantiam*. Etenim iuxta Illyricum, peccatum originale hominem mutavit non solum accidentaliter, sed et substantialiter. Etenim animae substantia, in Adamo unice bona, iam operante daemone facta est mala. Ita homo est quidem opus Dei conservantis et propagantis, sed et daemonis corrumpentis, parte Dei et parte daemonis tam arcte invicem compenetrantibus ut a nullo sophistarum, uti ait, nec acutissimo distingui possit. Utrum autem totam animae substantiam ita corruptam docuerit an dumtaxat supremam eius partem, non satis patet, quia Illyricus non sibi fuit semper constans.[1]

Iam vero, velit nolit, Illyricus peccatum originale reponens in hominis substantia a diabolo reddita mala, in Manicheismum incidit. Insuper erronee malum concipit ad modum substantiae. Offendit pariter in doctrinam catholicam de remissione totius peccati originalis et de conditione hominis redempti. Quare non nisi gravibus aequivocationibus quasdam Scripturae Patrumque sententias ad sua placita detorquet, quibus passim nihil aliud inculcatur nisi illa inclinatio ad malum quam homo ex originali peccato trahit, et quae in peccatoribus ipso peccatorum actualium pondere iugiter gravatur.[2]

Quod autem Illyricus ait, tantopere in homine lapso opus Dei et diaboli esse coniunctum, ut alterum ab altero discerni nequeat, est Deo prorsus indignum, quippe quem fingit rei substantialiter malae cooperatorem.[3]

[1] Comparationibus utebatur ad conceptum suum illustrandum, v. gr. « Considera, « ait, vinum in acetum commutatum : ibi videtur quidem idem liquor adhuc esse, et « tamen non modo accidentia sunt mutata, sed et ipsa essentia.... Ex hisce simi- « litudinibus clare cernitur quomodo et eadem essentia ac species hominis maneat ».* Sed potius huiusmodi comparationes, si urgeantur, inanitatem huius conceptus manifestat.

[2] Gen., VI, 5; VIII, 21; Rom., VI, 6. – Cf. Bellarminum, *De anim. grat. et statu pecc.*, l. V, c. 3.

[3] Cf. Thys, op. cit., p. 163 sq. Minus efficax nobis esse videtur argumentum quod idem auctor contra Illyrici figmentum opponit ex dogmate Incarnationis, resurrectionis mortuorum et vitae aeternae. Si enim, – utique erronee, – Adam potuit a malo in bonum mutari substantiali mutatione, quin tamen cessarit esse homo eiusdem

* Tract. *Quod homo sit corruptus et mutatus non tantum in accidentibus, sed etiam in substantia*, p. 348 sq.

b) Aliam viam ingressus est Melanchton,[1] qui peccatum originale ad modum *peccati actualis physice non interrupti* concipiebat. Inde pronum erat ut erumperet in calumnias contra Scholasticos, quia, ut ait,[2] « graviora vitia naturae « humanae non commemorant, sc. ignorantiam Dei, contem- « ptum Dei, odisse iudicium Dei, irasci Deo, desperare gra- « tiam ». Vitium huius systematis apparet. Confundit Melanchton fructum cum arbore, sive plantam cum radice. Esto quidem, peccatum originale in adultis haec delicta actualia passim generare, sed quid in parvulis infantibus?

c) Alii proinde praeoccupati de invenienda explicatione quae peccatum originale in modo natis infantibus salvaret, recurrerunt ad aliquam continuationem *moralem* peccati, per *non revocatam malam voluntatem, et intentionem seu inclinationem peccandi.*[3] Cedo, aliquid minus falsi in hac sententia haberi. Sed haec non concipi possunt nisi ubi praecesserit in eodem subiecto aliqua actualis mala voluntas. Quare difficultas pro infantibus insoluta remanet.

d) Rursus doctrina modificata est hoc pacto, quod illa habitualis voluntas nihil aliud sit quam *concupiscentia*, con-

speciei, Christus potuit assumere naturam bonam, et in resurrectione ac vita aeterna possunt homines ad normam primaevae naturae bonae renovari. Vitium fundamentale est utique in ista substantiali mutatione in Adamo posita, quae repugnat; sed haec positio non potest efficaciter per hasce considerationes, veluti per novum argumentum confutari; ad summum veluti novo adspectu potest eiusdem positionis repugnantia illustrari.

[1] Philippus Schwarzerd, natus 16° Febr. ann. 1497, a teneris annis, curante celebri humanista Ioanne Neuchlin, avae suae fratre, in litteris latinis et graecis educatus, tantam sibi in eis famam adeptus est, ut, Erasmi aemulus, « Praeceptor Germaniae » a suis appellaretur. Novae doctrinae favens, unus e praecipuis Lutheri adiutoribus exstitit, quippe qui in conficienda confessione Augustana necnon in variis colloquiis primas partes egit. In moderata consilia propensus, quin a rumpenda ex toto communione cum Ecclesia catholica diu alienus, non solum ipsi Luthero suspectus evasit, sed post huius obitum (ann. 1546) a rigidioribus eius asseclis, duce Illyrico, violentissime fuit impugnatus. Roganti matri quid sibi esset agendum ut animae consuleret, auditis precibus quas haec recitare solebat, consilium dedit ut in sua religione perseveraret. Ad Tridentinum Synodum vocatus, iter suscepit; sed Norimbergae, erupto bello, sistere coactus est. Animi dubia et spectaculum morum pessimorum quibus nova doctrina laxabat habenas, tanta eum tristitia affecerunt ut inter protestantes coryphaeos vocari possit « Doctor lacrymosus ». Quousque in vacillantibus suis scriptis sincerus semper fuerit, Deus scit. Obiit 19° aprilis ann. 1560.

[2] *Apol.* - Cf. BELLARMINUM, *De am. grat.*, c. 5, c. 4.

[3] Hanc vocat Baius « actum quemdam habitualem, quo ad malum semper intenti « sumus ».

siderata ut dispositio, seu inclinatio tam prona in malum, ut ab ipso instanti quo subiectum fit voluntatis capax, per eam in malum trahatur, necessario quidem, sed non minus culpabiliter. Quare, logico nexu in conceptu absurdo, si actualis concupiscentia etiam voluntario destituta peccatum parit, potest et ipsa concupiscentia ut peccatum haberi, et proin in infantibus poni peccatum. Quod proin concupiscentiae peccatum, quum post baptisma remaneat, non ideo cessat esse peccatum quia tollitur, sed quia, iuxta Lutheri systema, non amplius imputatur. [1]

[1] Lutherus doctrinam *non imputationis* induxit, quia docebat naturam humanam per peccatum originale tantopere esse corruptam, ut non esset intrinsece sanabilis. Et nihilominus hunc hominem, cuius voluntas libertatem amisit, proclamat supremum ipsius revelatae veritatis iudicem. Optime hic monet Ludovicus le Fur:

N'y a-t-il pas contradiction de la part de Luther à déclarer autonome cet « homme dont la volonté est foncièrement corrompue, fatalement inclinée vers le mal?

Non, puisque, par une conséquence qui semble d'abord paradoxale, c'est précisément cette chute profonde de l'homme, qui fait que, son activité n'ayant pas de valeur « morale, il se trouve en fait placé sinon au-dessus, du moins en dehors de la morale.

Mais, s'il n'y a pas contradiction, le résultat de cette double affirmation est « aussi inévitable qu'effrayant: cette autonomie revendiquée par l'homme, ce sera « donc l'autonomie de la passion, la réhabilitation de la nature et de l'instinct, en « attendant leur divinisation avec le panthéisme de Schelling ». *

Quomodo autem Lutheri rebellio ad caesaropapismum, uti aiunt, ** conduxerit, nexus logicus simul et historia docent.

« Dans le système de Luther, il n'y a plus de juge possible entre l'individu et « l'Etat; il n'y a plus même de vérité morale objective à laquelle on puisse faire « appel, puisque chacun l'interprète à sa guise; il n'y a donc plus d'autre limite au « pouvoir de l'Etat que sa force même ». *** Inde Lutheri illa nimis famosa sen- « tentia: *Vot kennt kein Gebot!* Nullam agnoscit legem necessitas ». ****

* Louis le Fur, *Luther créateur du droit allemand de nécessité* (*La Foi catholique*, 25 mai 1918, p. 235). Inde, iuxta Herder, quando homo cedit passionibus, legibus cedit non minus pulchris illis quibus corpora caelestia reguntur (cf. Paul Gaultier, *Revue des Deux Mondes*, Juillet 1915, p. 123). Quantopere autem Lutherus, versalitate non nisi a seipso victus, sequelis socialibus suae religiosae rebellionis fuerit perterritus, demonstrat modus inhumanus quo principes contra insurgentes rusticos inflammavit: « Eia, principes, arma sumite, percutite ... Percutite, trucidate, « in faciem vel in posteriora: nihil enim magis diabolicum est seditioso, rabido « quippe cane, a quo, nisi eum effligas, morderis ». Et tamen ab istis rabidis canibus hodie, tamquam salvator salutatur; sicuti et Voltaire, qui post religionem revelatam nihil magis abhorrescebat vulgo.

** Inde despoticum axioma Kantii: « Princeps non habet in subiectos nisi iura, « officium vero erga illos nullum ». Ipse quoque Melanchton suasit principibus Germanicis ut populares libertates minuerent.

*** Louis le Fur, op. cit., p. 240.

**** *Opera Lutheri*, ed. Weimar, t. XI, p. 400. Virtute eiusdem legis, nil mirum erit, si ad compensandas strages in bello factas, humanumque materiale proximo

Ad Lutheri sententiam de concupiscentia uti peccato maxime accedit Calvinus,[1] cuius haec verba sunt simul pretiosa confessio de mente S. Augustini: « Ipse quidem eum « morbum (concupiscentiam) peccatum vocare non audet, « sed tunc demum peccatum fieri docet, ubi consensus acce- « dit: nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod « aliqua omnino homo cupiditate titillatur ».[2]

Patet, has omnes de peccato originali sententias procedere a falsa imaginatione quae tollit a notione peccati rationem voluntarii.[3] Quam doctrinam diserte damnavit Concil. Trid., Sess. V, c. 5.[4]

B) Ut autem se expresse ab hac damnatione exciperent, Baius et Iansenius aliqualiter recesserunt a modo quo reformatores doctrinam hanc exponebant, quin tamen eiusdem essentiam reiicerent.

Iam vero duo continebantur in canone Conc. Trid. supra citato: *a*) per baptismum omne illud quod vere peccati rationem habet, in homine deleri; proin *b*) fomitem seu concupiscentiam, nonnisi sensu improprio peccatum vocari. Docuerunt itaque concupiscentiam non esse directe peccatum per se, sed quatenus, ex defectu in anima principii oppositi,

[1] Ioannes Cauvín sive Caulvin Novioduni in Picardia die 10 iulii ann. 1509 natus, post varias vicissitudines anno 1533 se aperte in campum novatorum proiecit. Opus eius princeps: *Institutio religionis christianae* eminet styli nitore et dialectico nervo quibus Lutherum facile superat. Lutherus erat potius corde, Calvinus mente rebellis. Genevae sedem principalem habuit, unde eius doctrina varias Europae partes brevi occupavit, uti Angliam, Scotiam, Bataviam, quin et in variis Germaniae statibus dominabatur. In praedestinationis quaestione doctrina Calvini est omnium durissima. * Ipse enim homo durae erat indolis, quod in damnatione antitrinitarii Michaëls Servede abunde ostendit. Obiit Calvinus Genevae die 27 maii anno 1564.

[2] *Instit.*, III, 3, 10.

[3] Cf. prop. 46 Bai.

[4] Cf. dicenda inferius.

bello parandum, in Lutheri patria, repugnantibus quidem catholicis, at faventibus ipsis Lutheranis pastoribus, lex proponatur in favorem polygamiae.

Cuius antichristiani tentaminis hoc perdurante bello lugenda prostant indicia.

De lutherano effato « *Not kennt kein Gebat* », laudatus auctor bene scribit, quod iam in praecedenti nostro volumine monebamus: « Entre Etats comme entre « individus, le droit de nécessité c'est l'écrasement du faible par le fort; c'est la « proclamation, trois siècles à l'avance, de la loi biologique de la lutte pour la vie » (ibid., p. 242). Quod uno illi exprimunt vocabulo: « *Faustrecht* ».

* In quaestione vero de Coena Domini mediam inter Zwinglii et Lutheri sententiam propugnabat.

fit habitualis inclinatio ad malum, et continet in se aversionem a Deo. Quare in vita futura sese evolvit in odium Dei. Proin continet in se aliquid quod Deus oderit, et rationem habet culpae. Iam vero haec supponunt, concupiscentiam etiam sine voluntarii concursu hominem reddere malum. ac insuper per illam voluntatem boni in homine, nisi aliud principium ipsi contrarium adveniat, absolute destrui. Quae certe in reformatorum doctrinam a Conc. Trid. damnatam redundant.

Pariter, et consequenter, Baius et Jansenius docuerunt, concupiscentiam post receptum baptisma amittere suam rationem peccati; non quatenus, uti affirmabant reformatores, licet adsit sicuti prius, non amplius imputatur; sed quatenus peccaminosa concupiscentia per virtutem principii, sive habitualis, sive actualis, eidem oppositi, non amplius in baptizato dominatur. Non ideo tamen haec concupiscentia, radicitus peccaminosa, desinit esse opposita legi « non concupisces ».

Proin Iansenius distinguit [1] inter tria haec: peccatum formale, formale peccati, et materiale peccati. Hoc ultimum est concupiscentia per se, et proin semper, etiam quando non adest peccatum formale.

Audi iam de hoc argumento damnatas propositiones Baii. Prop. XLVI: « Ad rationem et definitionem peccati non per- « tinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae « et originis, [2] utrum omne peccatum debeat esse voluntа-

[1] Cfr. *Augustinus, De statu naturae lapsae,* per integrum quasi l. I, imprimis cc. 6 ad 20.

[2] Est quidem quaestio causae et originis, maxime in peccato originali; sed simul est quaestio definitionis. Scilicet est quaestio originis, quatenus est *originale;* est quaestio definitionis, quatenus est *peccatum.*

Egregie id illustrat laudatus Palmieri: « Vitium capitale huius sententiae in « hoc est, quod ponatur aliquid esse non-solum malum sed peccatum, faciens homi- « nem reum coram Deo, per se, quin sit voluntarium, nam, ut Baius ait, voluntа- « rium non spectat ad definitionem peccati, sed solum ad eius originem, ac si peccatum esset effectus aliquis voluntatis volentis, et non ipse actus voluntatis, eiusque « exercitium; ad cuius quaestionem non spectare utrum debeat esse voluntarium, « quis sanae mentis dixerit? Et id quidem de peccato actuali, sed quia habituale « peccatum intrinsece pendet ab actuali, a quo habet ut sit peccatum, spectat quo- « que ad eius essentiam ratio voluntarii. Sane imputari nequit peccatum nisi illi « cui est voluntarium; non potest autem facere reum nisi illum cui imputatur; non « potest vero formaliter esse peccatum nisi faciat reum illum cui inest; ergo nequit

« rium ».[1] – Prop. XLVII: « Unde peccatum originis vere « habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad « voluntatem a qua originem habuit ». – Prop. XLVIII: « Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntа- « rium, et habitualiter dominatur parvulo: eo quod non gerit « contrarium voluntatis arbitrium ». – Prop. XLIX: « Et ex « habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens « sine regenerationis sacramento, quando usum rationis con- « secutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphe- « met, et legi Dei repugnet », – Prop. L: « Prava desideria, « quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, « sunt prohibita praecepto: "Non concupisces „ ». – Prop. LI: « Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava eius desi- « deria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis ino- « bedientia ».[2]

Sequela magni momenti est, quod doctrina Baii, licet nexum voluntarii inter Adamum et parvulos tollat, quemad-

« esse formaliter peccatum nisi sit voluntarium illi cui inest: igitur est de essentia « peccati ut sit voluntarium ». *

Optime proin cl. De Baets peccati originalis dogma ad haec quatuor fundamentales veritates reducit: « 1) Peccatum de quo agitur est in nobis per transfusionem a « primo parente. – 2) Est verum peccatum unicuique proprium. – 3) De essentia pec- « cati est ut sit voluntarium. – 4) Hoc voluntarium repetendum est a voluntate Adae « peccantis ». **

[1] Adverte hic contradictionem inter Baium et Zwinglium recentioresque quosdam theologos. Omnes ponunt concupiscentiam tamquam elementum caracteristicum peccati originalis. Sed ex hoc ipso, propter defectum voluntarii, Zwinglius ac moderniores negant peccatum originale verum esse peccatum; *** dum Baius, tenet quidem esse peccatum verum, sed negat voluntarium ad definitionem peccati pertinere. – Catholica doctrina utrumque tenet et conciliat.

[2] Denziger, *Enchirid.*, n. 926-931. Confer propositiones affines Quesnelli, in quibus conditio naturae lapsae modo prope Lutherano describitur: prop. 38-48 (ibid., n. 1253-1263).

* *De Deo Creante*, t. lxxiii, n. 8.

** Op. cit., p. 12.

*** Cfr. *Fidei ratio ad Carolum Imperatorem*, a. 4. Haec est tendentia hodiedum apud protestantes liberales praevalens. Qui, si verbum adhuc tenent, nihil per id intendunt nisi hominis pronitatem in malum propter instinctus sensuales. Iuxta Schleiermacher et Ritschl includit insuper complexum influxuum quos unusquisque veluti ab origine subiit. Evolutionistae peccatum originale reducunt ad residuum animalis originis hominis (cf. Tonnant, *The origin and propagation of sin*, p. 78 sq.). Sunt tamen qui doctrinae de vitiata per daemonem humana natura adhaerent (cfr. Iulius Müller, *Die Lehre von der Sünde*, t. iii, p. 498 sq.).

modum fecit Zwinglius[1] ac moderniores aliqui fieri posse putaverunt, longe tamen durius sentit quam catholica doctrina. Habitualis enim illa voluntas quae in parvulo per mortem se evolvit in actualem aversionem a Deo, talis est quae mereatur non solum exclusionem a regno per poenam damni, sed et locum daemonum per poenam sensus et tormenta aeterna. Tollitur quippe per hanc monstruosam doctrinam discrimen inter damnatos qui actualiter in vita sua delinquerunt, et parvulos qui baptismate non abluti obierunt.[1]

II. Praemissis itaque sententiis falsis pseudo-reformatorum, aliorumque ab Ecclesia damnatis, iam accedamus ad doctrinam catholicam de concupiscentia tum in se, tum in sua relatione ad originale peccatum inspecta.

Praeclare Conc. Trid. argumentum paucis comprehendit: « Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus pecca« tum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam catholi« cam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere « et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est « et ad peccatum inclinat ».[2]

Distinguendum primo est inter concupiscentiam habitualem et concupiscentiam actualem. Insuper inter motum primum concupiscentiae actualis et motum secundum. Peccatum formale, plenum, actuale non est nisi in motu secundo concupiscentiae actualis. Primus autem motus concupiscentiae actualis est quasi via a concupiscentia habituali ad peccatum concupiscentiae actuale.

Lucide habes hanc doctrinam expressam in epistola catholica S. Iacobi: « Unusquisque tentatur a concupiscentia

[1] Ulrich Zwingli, in oppido Wildhaus in Helvetia 1° Ianuarii anno 1484 natus, erat optimi ingenii et in classicis litteris versatissimus, nec musicae artis expers. Morum levitate liberiora anhelans, Lutherum doctrinarum novarum audacia ita superavit, ut Zwinglio in proelio tragica morte abrepto (die 11 Octobris anno 1431) Lutherus tamquam de iusto Dei iudicio gratias egerit. Quoad peccatum originale Zwinglius maxime appropinquat ad rigidiores Pelagianos, eiusque doctrina a pluribus hodiedum protestantibus admittitur quam doctrina Lutheri. Prostat Zwinglii, etsi moribus levis, concio in qua excellentiam B. M. Virginis pulchre celebrat, eius puritatem imprimis colendam inculcat.

[2] Sess. v, c. 5. Cfr. de concupiscentia ex peccato PETAVIUS (*De op. sex dier.*, l. II, c. 8, n. 2); SUAREZ (op. cit., l. III, c. 12, n. 8); BELLARMINUS (*De amiss. grat. et statu peccati*, l. v, c. 15.

« sua abstractus et illectus, deinde concupiscentia cum con-
« ceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consumma-
« tum fuerit, generat mortem ».[1] In qua sententia quasi qua-
tuor gradus distinctos habemus: *a*) concupiscentiam laten-
tem, seu habitualem, causam unde tentatio accidat; *b*) hanc
concupiscentiam actualiter excitatam, id est tentationem;
c) primam suasionem huius actualis concupiscentiae, id est
peccatum inchoatum; *d*) plenam suasionem, per consum-
matam delectationem, aut per pravi suggesti operis execu-
tionem, id est peccatum consummatum.

Pulcherrime S. Augustinus ex hoc S. Iacobi textu arguit
ut demonstret concupiscentiam non esse peccatum. « Cum
« dicit Apostolus Iacobus: " Unusquisque testatur a concupi-
« scentia sua abstractus et allectus „, deinde: "concupiscen-
« tia cum conceperit, parit peccatum „, profecto in his verbis
« partus a pariente discernitur. Pariens enim est concupi-
« scentia; partus, peccatum. Sed concupiscentia non parit,
« nisi conceperit; nec concipit, nisi illexerit, hoc est ad
« malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.
« Quod ergo adversus eam dimicatur, hoc agitur, ne con-
« cipiat pariatque peccatum. Dimissis itaque in baptismate
« peccatis omnibus, id est omnibus concupiscentiae foeti-
« bus... manet ipsa... etiamsi adversus eam, concupiscente
« spiritu, peccata concipere et parere ne sinatur ».[2]

Concupiscentiam habitualem ab actuali distingui, aut sal-
tem distinguendum esse inter primum et secundum concu-
piscentiae motum habes implicite in collatis locis Scripturae:
« Non concupisces »,[3] et: « Post concupiscentias tuas, non eas ».[4]

Adde absurditatem, imo monstruositatem doctrinae quae
ponit veram rationem peccati sive in habituali concupiscen-
tia, a qua nemo est in statu lapso liber, sive in primo motu
actualis concupiscentiae, cuius non magis dominus est qui
illam experitur.

Haec doctrina confirmatur per ipsum modum quo Paulus
narrat sibi contra tentationes colluctandum fuisse. « Et ne

[1] Iac., I, 14 sq. Cfr. ven. Bedam in hunc locum.
[2] *Ctr. Iulian.*, l. VI, col. 11.
[3] Exod., XX, 17; Deut., XV, 21; Rom., VII, 7.
[4] Eccl., XVIII, 30.

« magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimu-
« lus carnis meae angelus satanae qui me colaphizet. Pro-
« pter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me; et
« dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmi-
« tate perficitur ».[1] Quo ex loco quatuor habemus: 1) Distinguenda sunt concupiscentia habitualis (caro, angelus satanae), concupiscentia actualis in motu primo (stimulus carnis, angelus colaphizans);[2] demum consensus in concupiscentiam in motu secundo. - Et quidem 2) ita ut neque prima, neque secunda sit peccatum, modo desit tertium. – 3) Imo per resistentiam, opitulante Christi gratia, non solum anima non maculatur, sed et virtus perficitur. – 4) Haec autem perfectio virtutis, quin etiam praeservatio a vitio, praesertim superbiae, ratio est cur non solum habitualis concupiscentia relinquatur, sed etiam cur in actum primum violenter erumpere sinatur.[3]

Quam doctrinam et Conc. Trid. canone mox citato exprimit: « Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomi-
« tem, haec sancta synodus fatetur et sentit, quae quum ad
« agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viri-
« liter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet;
« quinimo qui legitime certaverit, coronabitur ».

[1] II Cor., XII, 7-9. Abstinemus heic a controversia de indole huius infirmitatis, a qua S. Paulus se liberari poposcit. Censemus enim, ex toto contextu manifestum esse, non agi heic, uti quidam contendunt, de quadam infirmitate physica, sed de probatione morali, de irruente scilicet stimulo carnis, quem tam elequenter Apostolus vocat colaphizantem se angelum satanae, et cui tam bene respondent allata Christi verba.

[2] Aliquid huiusmodi habes in materia remota et materia proxima Sacramentorum.

[3] Optime id exprimit laudatus Abbas Marmion: « Nous avons tout perdu d'un
« coup par une seule faute d'Adam, mais Dieu ne nous rend pas en une seule fois
« au baptême toute l'intégrité du don divin; il laisse en nous, pour y être une source
« de mérites par les luttes qu'elle provoque, la concupiscence, foyer de péché, qui
« tend à diminuer et à détruire la vie divine. En sorte que notre existence entière
« doit réaliser ce que le baptême inaugure; par le baptême, nous communions au
« mystère et à la vertu divine de la mort et de la vie ressuscitée du Christ. La mort
« au péché nous est donnée, mais, à cause de la concupiscence qui demeure, nous
« devons la maintenir par notre renonciation continuelle à Satan, à ses aspirations
« et à ses œuvres, aux sollicitations du monde et de la chair. La grâce est, en nous,
« principe de vie, mais c'est un germe que nous devons dévolopper; c'est ce royaume
« de Dieu en nous que Notre-Seigneur compare lui-même à une semence, un grain de
« sénevé qui devient un grand arbre ».*

* Op. cit., *Le baptême: mort et vie,* p. 237.

Errant proin gravissime protestantes aliique quando contendunt, Paulum de concupiscentia tamquam de vero peccato loqui in iis locis in quibus illam hoc nomine vocat, vel ita describit ac si a peccato separari non possit. Principaliores ex his textibus breviter exponere iuvat.

Primo occurrit c. VII, ep. ad Romanos, quod ex integro quasi citandum esset. Quo in capite non semel concupiscentia vocatur simpliciter peccatum « ℣. 14. Scimus enim quia lex « spiritualis est: ego autem carnalis sum, venumdatus *sub* « *peccato* (id est sub concupiscentia). ℣. 17. Non ego operor « illud (scil. malum quod nolo), sed quod habitat in me *pec-* « *catum* (i. e. concupiscentia) (cf. ℣. 20). ℣. 23. Video enim « aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis « meae, et captivantem me in lege *peccati* (id est concupiscen- « tiae), quae est in membris meis! ℣. 24. Infelix ego homo[1] « quis me liberabit de corpore mortis huius (spiritualis quippe, « ex lege mortis seu concupiscentiae per peccatum mortem « inducentis?) ℣. 25. Gratia Dei per Iesum Christum Domi- « num nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne « autem legi *peccati* (concupiscentiae) ».

Solutionis seu potius explicationis huius capitis, si per se iam non pateret, clavem darent duo primi versus capitis sequentis: « *Nihil* ergo *nunc damnationis est* iis, qui sunt « in Christo Iesu: qui non secundum carnem ambulant. Lex « enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege pec- « cati et mortis ». Ergo concupiscentia non ita peccatum est, ut in Christi gratiam habente sit culpa et damnationis causa. Modo tamen non *secundum carnem* ambuletur. Manet proin caro, sed datur spiritus, vi cuius non amplius ambuletur secundum carnem. Inde intima ratio ob quam concupiscentia vocatur peccatum, non desumitur ex ipsa sola concupiscentia, sed ex hoc quod, deficiente gratia, qua ipsi resistatur, homo, etsi sentiens in se legem spiritus, etsi audiens et sciens

[1] Hanc Pauli exclamationem bene commentatur Lacordaire: « Que sera-ce donc « de nous, mon Dieu? Est-ce le crime qui est notre nature? est-ce la vertu? Si c'est « le crime, comment en avons-nous de remords? et si c'est la vertu, comment son « règne nous est-il si douloureux? ».*

* LXIV *Confér.*

legem mandatorum, facit tamen malum quod facere *nollet*, et quod in seipso, dum illud facit, damnat.

Etenim hoc in loco, inspecto integro textu, Paulus triplex considerat stadium quod ipse percurrit: ante legem, sub lege, sub gratia. Primum describit ℣. 9; alterum a ℣. 9 ad 25; tertium a ℣. 25 ad primam partem capitis sequentis.

a) *Primum stadium:* « Ego enim vivebam sine lege « aliquando ». Scilicet in puerili aetate,[1] antequam legem discerem, aut concupiscentiam sentirem legi repugnantem, vivebam sine lege, et pariter sine peccato.

b) *Secundum stadium:* « Sed cum venisset mandatum, « peccatum revixit. Ego autem mortuus sum: et inventum « est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mor- « tem » (℣. 9 sq). Scilicet quando simul cum cognitione legis acquisivi experientiam concupiscentiae, peccatum hoc, nempe illa concupiscentia, quae a peccato et ad peccatum traducitur, et quae in me nondum erat nisi latens et specie mortua, suscitata est, et in me revixit eadem ac in praecedentibus hominibus, in quibus fuerat ante me. Et quid factum est? Consentiente me huic peccato, hoc est concupiscentiae praecepto legis adversae, deliqui et mortuus sum. Et illud praeceptum, illud mandatum quod a parte Dei datum erat ut non peccando viverem, factum est mihi ex erumpente concupiscentia, cui non restiti, occasio mortis.[2]

Sequentia, usque ad ℣. 25, non sunt nisi fusior huius veritatis expositio et subtilis descriptio miserrimi status illius qui, licet concupiscentiae cedens, sentit nihilominus luctam inter bonum, quod operari vellet, et malum quod facit. Puta-

[1] Alii hoc dictum intelligunt de populo electo ante acceptam legem. Monet tamen Illmus G. Laperrine d'Hautpoul * essentialem argumentationem Apostoli in utraque interpretatione salvari. Nostra interpretatio longe nobis magis arridet, quia permittit triplex in eadem persona distinguere stadium eo modo quo proponimus.

[2] Putamus proin hunc versum et sequentes usque ad ℣. 25 non esse descriptionem luctae status in quo se sentiebat Apostolus dum scribebat; sed status in quo erat antequam a Christi gratia liberaretur. Exprimitur tamen in statu praesenti ob maiorem vim dramaticae expositionis. In alia interpretatione, quam tamen non pauci sequuntur, cuique sullaudatus Illmus Laperrine d'Hautpoul adhaeret, verba « non « enim quod volo, hoc ago », nimis detorquenda sunt, nec « lex membrorum » re vera dici potest « captivans ».

* *Lettres à un homme du monde sur l'Epître de St Paul aux Romains*, XIe *Lettre*, p. 93.

mus proin, omnes expressiones quae ad maiorem vivacitatem sermonis in forma temporis praesentis ponuntur, secundum conditionalem sensum esse interpretandas v. gr.: « Quod « enim operor non intelligo: non enim quod volo (in parte « rationis approbantis, et quod *vellem* in opere) hoc ago (in « opus duco), sed quod odi malum (in parte rationis illud « reprobantis), illud facio », etc.

Ex hac interpretatione sequitur, peccatum quidem in hoc capite intelligi concupiscentiam, sed cum adsignificatione quod ipsi non resistatur; scilicet concupiscentiam, non tantum natura sua, sed etiam de facto ad peccatum inducentem. Hoc sensu dicitur lex membrorum *captivare* in lege peccati. Verbo: hoc secundum stadium est hominis *secundum carnem* ambulantis, in quo re vera concupiscentia est peccatum.

Miserrimum sane statum! qui exclamationem (a vero sensu in concionibus saepe detortam) provocat, qua Apostolus ad tertium stadium transit: « Infelix ego homo, quis « me liberabit de corpore mortis huius? ». Id est: Quis mihi dabit ut hoc corpus non mihi amplius sit corpus mortis, animae mortem inducens?

c) Responsio inducit *tertium stadium,* hominis scilicet sub gratia: « Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum ». Haec autem liberatio eritne destructio concupiscentiae, an virtus animi legem concupiscentiae domantis, eamque reddentis imbellem? Hoc alterum: Audi quomodo Apostolus seipsum in hoc tertio stadio describat: « Igitur ego ipse « mente servio legi Dei: carne autem legi peccati ». Adverte sedulo singula verba: « *Ego ipse* – αὐτὸς ἐγὼ », id est idem homo: licet tanta sit distantia inter partem superiorem gratia illustratam et carnem adhuc remanentem concupiscentiae subditam, nihilominus idem homo. Quae forma *ego ipse* superius non recurrit, nec in versibus 15 sqq. Cur? Quia ibi spiritus incurvabatur in carnem, et concupiscentia mentem captivabat. Nunc autem *idem ipse* « mente *servio* legi Dei « (per liberam servitutem gratiae): carne autem (per neces- « sariam concupiscentiam habitualem, imo per motus pri- « mos concupiscentiae actualis) legi peccati ». Ubi adverte discrimen inter concupiscentiam per vitam secundum car-

nem *peccatum* factam; et concupiscentiam nonnisi *legem peccati,* in illo qui Dei legi mente servit.

Ideo nihil amplius in hoc stadio (dum vivitur secundum legem Dei) damnationis remanet. « Nihil ergo nunc damna-« tionis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum « carnem ambulant ».[1] Scilicet sub gratia, in tertio stadio, non supprimitur caro, sed robur datur eius motibus resistendi; ac proin caro lethalem suum influxum amittit pro his qui non secundum carnem ambulant.[2] Eodem sensu interpretanda sunt quae Apostolus Paulus superius in eadem epistola scribit: « Ita et vos existimate, vos mortuos quidem « esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino « nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali cor-« pore ut obediatis concupiscentiis eius..... Peccatum enim « vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub « gratia ».[3] Ex hac tota explicatione apparet nihil ex hoc capite sequi contra doctrinam de concupiscentia iuxta Concilium Tridentinum supra expositam; e contra, eamdem doctrinam per hunc locum efficacissime illustrari.

Quadrupli ergo gradatione concupiscentia peccatum vocatur. In baptizato *a*) quatenus remanet ut vestigium lapsus; pariter *b*) quatenus ab illa obveniunt tentationes, quae ad peccatum invitant. In non baptizato *c*) quatenus est signum peccati originalis adhuc animam afficientis; imo *d*) quatenus secundum carnem viventi identificatur aliquo modo cum ipso peccato ad quod impellit. Qui ultimus sensus est praedominans in capite VII epistolae ad Romanos.

Proin secundum quod homini dominatur concupiscentia vel ipse concupiscentiae dominatur, homo ambulat secundum carnem vel secundum spiritum. Ita intelligenda sunt quae

[1] C. VIII, 1.

[2] Id efficacissime confirmant versus sequentes: « Lex enim spiritus vitae in « Christo Iesu (en tertium stadium) liberavit me a lege peccati et mortis ». Quod enim lex imperabat, sed non operabatur, – unde sub lege spiritus vitae erat moraliter impossibilis, – iam per Filium Dei carnem factum in eius membris eius effecit gratia. « Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium « suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum « in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambu-« lamus, sed secundum spiritum » (*Ib.* 2-4). Haec est enim conditio sine qua non ut Christi gratia suum effectum assequatur.

[3] C. VI, 11, 12, 14; cf. S. AUGUSTINUM, *De nupt. et concup.*, l. I, c. 23.

occurrunt in capite sequenti : « Prudentia carnis », « sapientia carnis », nihil aliud dicunt quam suasivam vim concupiscentiae carnalis. Quod ergo v. 8 concluditur: « Qui in carne sunt, « Deo placere non possunt », intelligendum est: « Qui in carne « ita sunt ut secundum carnem ambulent ». Quemadmodum alibi idem Apostolus ait: « *Animalis* homo non percipit « ea, quae sunt spiritus Dei. ..... *Spiritualis* autem iudicat « omnia ... ».[1]

Porro iuxta doctrinam hic discussam interpretanda sunt quaecumque ex Paulo novatorum doctrinae apparenter favere videntur.

Nec aliter Paulum intellexit S. Augustinus, licet iure illis scriptoribus adnumeretur qui fortius in concupiscentiam invexerunt. Notissima est sequens Hipponensis sententia, quae sufficeret ad totam hanc controversiam dirimendam: « Quia « modo quodam loquendi (concupiscentia) peccatum vocatur. « quod et peccato facta est, et peccatum, si vicerit, facit, rea- « tus eius valet in generato: quem reatum Christi gratia per « remissionem omnium peccatorum in regenerato, si ad mala « opera ei quodam modo iubenti non obediat, valere non « sinit. Sic vocatur peccatum, quia peccato facta est, quum « iam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut vocatur lin- « gua locutio, quam facit lingua, et manus vocatur scriptura, « quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia pec- « catum si vincit facit, sicut vocatur frigus pigrum, non quod « a pigris fiat, sed quod pigros faciat ».[2] Aliis verbis ab Augustino, sicuti postea a Conc. Tridentino, concupiscentia vocatur peccatum quia « ex peccato est et ad peccatum inclinat ». Iuxta utrumque autem magis est peccatum in non baptizato carnaliter vivente, quam in baptizato spiritualiter vivente. In priori enim est a peccato nondum remisso, et ad peccatum efficaciter inclinat; in altero est ex peccato iam remisso, et ad peccatum inclinat quidem, sed frustra. Duplici proin ex causa concupiscentia magis peccatum vocatur in gentili quam in christiano.

Adverte autem sedulo quid intersit inter doctrinam S. Augustini de concupiscentia, quam gratia Christi in rege-

[1] I Cor., II, 14, 15.
[2] *De nupt. et conc.*, l. I, c. 23.

nerato iam valere non sinit, et doctrinam non imputationis reformatorum. Augustinus enim docet concupiscentiam remisso originali peccato transire reatu, manere autem actu. Novatores autem contendunt illam manere reatu, sed non imputari. De hoc fusius tractabimus, ubi de peccati originalis remissione agemus.[1]

Notissima est alia sententia Augustini, quae totam eius doctrinam de hoc argumento continet: « Quomodo manent « peccata reatu, quae praeterierunt actu; sic e contrario « fieri potest, ut concupiscentia maneat actu, et praetereat « reatu ».[2]

Calumniantur proinde Augustinum novatores quando contendunt, eum concupiscentiam verum vocare peccatum. Fierine potest ut tanti ingenii vir de re tanti momenti tam aperte sibi contradicat? Et re vera non concupiscentiam, sed *reatum concupiscentiae,* sive concupiscentiam cum suo reatu vocat peccatum. Quare docet quidem concupiscentiam in regeneratis remanere uti vulnus, uti languorem, ita tamen ut peccatum per baptismum deleatur. « Quemadmo- « dum, ait, aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, « quae febribus facta est, revalescere; itemque aliud est « infixum telum de corpore demere, aliud vulnus, quod eo « factum est, secunda curatione sanare: ita prima curatio « est, causam removere languoris, quod *per omnium fit indul-* « *gentiam peccatorum;* secunda, ipsum sanare languorem, « fit paulatim proficiendo in renovatione huius imaginis. « Quae duo demonstrantur in psalmo ubi legitur: "qui pro- « pitius fit *omnibus infirmitatibus tuis* „, quod fit in bapti- « smo. Deinde sequitur: "Qui sanat *omnes languores tuos* „, « quod fit quotidianis accessibus, cum haec imago renova- « tur ».[3] Et adhuc forte expressius, licet simillimo modo. « Si autem quaeritur quomodo ista concupiscentia carnis « maneat in regenerato, in quo *universorum facta est re-* « *missio peccatorum* ... Respondetur, *dimitti* concupiscentiam « carnis in baptismo non ut non sit, sed ut in peccatum non

[1] Interim cf. c. 24-26 eiusdem operis S. Doctoris.
[2] *De nupt. et conc.*, l. I, c. 26; *Ctr. Iul.*, l. VI, c. 19, n. 60.
[3] *De Trin.*, l. XIV, c. 17.

« imputetur.[1] Quamvis autem reatu suo iam *soluto,* manet « tamen (concupiscentia), donec sanetur omnis infirmitas « nostra[2] proficiente renovatione interioris hominis de die « in diem, cum exterior induerit incorruptionem. Non enim « substantialiter manet, sicut aliquod corpus[3] aut spiritus; « sed affectio est: quaedam malae qualitatis, sicut languor. « *Non ergo aliquid remanet quod non remittatur;* cum fit « sicut scriptum est: " propitius Dominus omnibus iniquita- « tibus nostris „: sed donec fiat et quod sequitur: " Qui « sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione « vitam tuam „ „[4] manet in corpore mortis huius carnalis con- « cupiscentia ».[5]

Firmum igitur stat, Augustinum longe abesse a doctrina eorum qui ipsius auctoritate suum systema fulciri gloriabantur. Cavendum tamen, ne controversiae ardore aliquid de plena sententia Augustini dematur. Etenim negari vix potest, apud Hipponensem passim occurrere locutiones et argumenta ex quibus apparet, in ipsius mente arctissimum fuisse inter concupiscentiam et peccatum originale nexum. Nec fideliter sententiam eius redderet, qui hunc nexum solummodo concomitantem intelligeret, quemadmodum multi recentioris aetatis theologi nexum hunc intelligendum esse contendunt. Augustini sententiam hisce paucis comprehendi putamus. Reatus peccati originalis nequit concipi sine relatione ad voluntatem Adami legem Dei transgressi.[6] Haec

[1] Adverte sedulo magnum discrimen inter haec duo: *dimitti ut non imputetur* et simpliciter *non imputari.* Prius catholicum est; alterum, Lutheranum. In hoc altero manet reatus, sed tegitur; in priore deletur reatus, ne imputetur. Etenim Augustinus sentit blasphemiam esse in Dei iustitiam et sanctitatem, affirmare reatum verum non imputari; scil. ne imputetur, oportet ut ex misericordia dimittatur.

[2] Non te moveat quod hic Augustinus concupiscentiam vocet infirmitatem, dum in loco praecedenti infirmitatem considerat uti peccatum. Infirmitas quippe significat aeque morbum et languorem ex morbo. Hic sumitur in sensu languoris, ibi in sensu morbi. Unde idem textus aliquomodo diverse citatur, quod enim in primo loco legitur: *infirmitatibus*, fit in altero: *iniquitatibus*.

[3] Accipe tibi, Illyrice!

[4] Ps. CII, 3, 4.

[5] *De nupt. et conc.*, l. I, c. 25.

[6] Cf. *Retr.*, l. I, c. 15. « Quasi vero peccatum, quod eos (parvulos) ex Adam « dicimus originaliter trahere, i. e. reatu eius implicitos et ob hoc poenae obnoxios « detineri, usquam esse potuit nisi in voluntate, qua commissum est, quando divini « praecepti facta est transgressio ». Quid magis oppositum prop. XLVI Baii?

autem relatio ita stabilitur. Ex voluntate Adami duplex iniquitas orta est: rebellio virium superiorum contra Deum, et rebellio inferiorum virium contra superiores vires, seu carnis contra spiritum.[1] Haec altera tam arcte cum priori colligatur, ut reatum rebellionis secum trahat, nisi vinculum eam cum eadem colligans rumpatur.[2] Porro caro rebellans contra spiritum est ipsum transfusionis humani generis instrumentum. Per carnem corruptam generatur caro corrupta, infecta rebelli concupiscentia.[3] Quae proin transfusa concupiscentia transfundit et reatum quocum intimo vinculo colligatur. Baptismo vero rumpitur hoc vinculum; unde concupiscentia, licet remaneat materialiter, non amplius est formaliter eadem. Amisit quippe culpabilem suam relationem ad voluntatem Adami. Proin manet quidem languor, peccati fomes, sed sine peccati reatu.

Hanc doctrinam non solum genuinam esse Augustini credimus, sed et pulcherrimam, profundam simul et simplicem iudicamus, imo miramur. Hoc autem maxime placet in tota Augustini doctrina, quod plenius forte quovis alio doctore exposuerit quid concupiscentia habet inordinati.

Porro adverte quantopere doctrina Augustini respondeat doctrinae quam exposuimus in nostra dissertatione praevia. Quam enim ibi circulationem descripsimus in transmissione iustitiae originalis, hic recurrit quoad transmissionem originalis culpae. In Adami culpa ordine habemus: *a*) malam voluntatem, *b*) destitutionem gratiae, *c*) amissionem integritatis. In transmissione autem culpae habemus ordinem inversum: *a*) traductionem carnis concupiscentiae, *b*) infusionem

[1] « Neque enim nulla est iniquitas, cum in uno homine vel superiora inferioribus « turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi « vincere non sinant » (*Ctr. Iul.*, l. VI, n. 62).

[2] « Tale proin ac tam magnum malum, tantum quia inest » (etiam sine pravo eiusdem suggestionibus actuali consensu) « quomodo non teneret in morte et per- « traheret in ultimam mortem, nisi et eius vinculum in ea quae in baptismo fit « remissione peccatorum omnium solveretur? » (Ibid., n. 48).

[3] « Ex hac carnis concupiscentia, quae licet in regeneratis iam non deputetur « in peccatum, tamen naturae non accidit nisi de peccato: ex hac, inquam, concu- « piscentia carnis, tamquam filia peccati, et, quando illi ad turpia consentitur, etiam « peccatorum matre multorum, quaecumque nascitur proles, originali est obligata « peccato, nisi in illo renascatur, quem sine concupiscentia Virgo concepit » (*De nupt. et conc.*, l. I, c. 24).

animae, gratia quam habere deberet, destitutae, *c*) reatum culpae ex relatione inter hunc statum et culpam Adami. Ex dictis patet, non recte mentem S. Doctoris exhibuisse Turmel[1] quando ita opponit ad invicem S. Augustinum et S. Anselmum:

« St Augustin avait placé la nature intime du péché ori-
« ginel dans la concupiscence qu'il regardait comme intrin-
« sèquement mauvaise. A l'encontre du docteur d'Hippone,
« l'archevêque de Cantorbery déclara que les mouvements
« de la concupiscence n'étaient par eux-mêmes ni justes ni
« injustes; et que pour pécher, il ne suffisait pas de les sen-
« tir, mais qu'il fallait encore y consentir ». Quam asser-tionem optime confutat cl. Laminne.[2]

Sed et gravius in genuinam doctrinam S. Augustini offendit Harnack, quando eam ubi Manicheismo infectam describit.[3]

Doctrinam S. Augustini et S. Thomae de parte concupiscentiae in transmissione peccati originalis hisce verbis fortiter exprimit Bossuetius:[4]

« O concupiscence naissante, on ne vous reconnaît que
« trop! Mais quoi! disons en un mot que c'est de là que
« nous naissons. Tout ce qui naît d'Adam lui est uni de ce
« côté-là; enfants de cette révolte, cette révolte est la pre-
« mière chose qui passe en nous avec le sang. Ainsi, dès
« notre origine, nos sens sont rebelles; dès le ventre de nos
« mères, où la raison est plongée et dominée par la chair,
« notre âme en est l'esclave, et accablée de ce poids. Toutes
« les passions nous dominent tour à tour, et souvent toutes
« ensemble, et même les plus contraires. Dieu retire de nous

[1] *Le dogme du péché originel.*

[2] Op. cit., c. IV, p. 108.

[3] *Dogmengeschichte,* t. II, p. 197.

[4] Op. cit., VII *Sém., 3e Elév.* – Et hanc concupiscentiam ab originali peccato Adami derivatam ita alibi describit: « En un mot leur esprit qui s'est souleve
« contre Dieu, ne peut plus contenir le corps auquel il devait commander. Et voilà,
« incontinent après leur péché, la cause de la honte que jusqu'alors ils ne connais-
« saient pas ». Et profonde addit: « Nous en naissons tous, et c'est par là que notre
« connaissance et notre conception, c'est-à-dire la source même de notre être, est
« infectée par le péché originel. O Dieu! où en sommes-nous, et de quel état som-
« mes-nous déchus! ». *

* Op. cit., VI *Sem., 6e Elév.*

« les lumières, comme il avait fait à Adam et encore plus. « Ainsi nous sommes frappés de la plaie de l'ignorance et « de celle de la concupiscence: tout le bien, jusqu'au moindre, « nous est difficile; tout le mal, quelque grand qu'il soit, a « des attraits pour nous... Tout est uni au péché d'Adam, « qui passe par le canal de la concupiscence.[1] L'homme livré « à la concupiscence la transmet à sa postérité et ne pou- « vait faire ses enfants meilleurs que lui. Si tout naît avec « la concupiscence, tout naît dans le désordre, tout naît « odieux à Dieu: et " nous sommes tous naturellement en- « fants de colère „ ».[2]

Iam vero plenam de hoc argumento concordiam existere inter S. Augustinum et S. Thomam, ex mox dicendis *ad Textum* apparebit. Non ita concordant theologi recentiores.

a) Praeter illos, qui in Adamo, ultra rationem capitis naturae, repraesentationem iuridicam considerandam esse contendunt, de quibus superius plura diximus, sunt *b)* theologi qui nomine iustitiae originalis quasi unice intelligant dona supernaturalia gratiae;[3] non sane quod dotes praeternaturales negent, sed quod nexum inter utraque non tam intimum concipiant, ut ipsa horum donorum destitutio pars originalis peccati, nisi per modum concomitantiae, vocari possit. Haec sententia modernioribus nonnullis arridet. Consequens est, istos theologos minus tribuere concupiscentiae

[1] Sed vicissim servata iustitia per viam a concupiscentia immunem ipsum integritatis donum fuisset transfusum, quod S. Thomas hisce verbis optime illustrat: « Huius doni (originalis scil. iustitiae virtus) non solum residebat in superiori parte « animae, quae est intellectiva, sed diffundebatur ad inferiores animae partes, quae « continebantur virtute doni praedicti totaliter sub ratione; et ulterius usque ad « corpus, in quo nihil poterat accidere, dono praedicto manente, quod contrariaretur « unioni ipsius ad animam. Et ideo rationabiliter hoc donum fuisset ad posteros pro- « pagatum, propter duo: primo quidem, quia consequebatur naturam ex Dei munere, « licet non ex ordine naturae; secundo, * quia pertingebat usque ad corpus, quod per « generationem traducitur ». **

[2] Ephes., II. 3.

[3] Huic sententiae propugnandae non parum contulit Dominicus Soto, qui etiam sententiam Fighii et Catherini, teste Vasquezio,*** blandius aequo iudicavit.

[1] * Quum recuperata gratia non restituat integritatem primaevam in corpus redundantem, apparet quantopere haec secunda ratio nunc deficiat in parentibus iustis.

** *De malo*, Q. IV, art. 8, *in Corp.*

*** Op. cit., Disp. CXXXI.

in conceptu peccati originalis, tum quantum ad eius essentiam, tum quantum ad modum quo traducitur.

Alii *c)*, et quidem nostro iudicio rectius, putant dona integritatis se habuisse ad modum partis status iustitiae originalis, sicuti materia se habet ad formam. Concludunt proin, in iustitiae originalis privatione elementum concupiscentiae, quod privative respondet integritati, in peccato originali se habere uti materiale. Haec sententia communis est scholae Thomisticae, et expresse, uti ex huius articuli textu apparet, a S. Thoma defenditur. Nec mirum inde, in analysi peccati originalis istos theologos concupiscentiam, formaliter talem,[1] uti medium considerare traductionis peccati originalis. De quo fusius dicendum erit in art. 1° Quaestionis sequentis.[2]

Conveniunt tamen fautores utriusque systematis (*b* et *c*) in hoc quod gratiam sanctificantem considerant tamquam principium iustitiae originalis.[3] Cum hoc tamen discrimine quod Thomistica schola in integritate naturae magis considerat partem completivam perfectae ordinationis totius hominis ad Deum. Quod putamus tum in se profundius, tum narrationi biblicae, necnon modo loquendi Augustini ac primaevae traditioni catholicae magis consonum.

Cave tamen ne hanc denominationem nimis urgeas. Etenim proprie loquendo, ut verbis Palmieri utar, « materia « alicuius rei est elementum intrinsecum constitutionis eius, « et subiectum proprium formae quacum constituit totum ».[4]

[1] Non tamen quatenus est in actu, uti erronee contendunt Lutherus (*In Ps.* L, n. 7), Calvinus (*Instit.*, I, II, c. 1, § 7) et Iansenius (*De stat. nat. lapsae*, l. I, c. 3).

[2] Haec est opinio ipsius S. Anselmi, quemadmodum loco indicato expresse demonstrabimus.

[3] Hoc sensu verissimum est quod asserit Laminne: « On peut dire que les théo« logiens catholiques sont aujourd'hui d'accord pour placer l'essence du péché ori« ginel dans la privation de la grâce sanctifiante. La doctrine de St Thomas n'est « pas douteuse ».*

[4] Op. cit. p. 137. Unde thesim XI ita formulat: « Concupiscentiae habituali non « inest proprie materialis ratio peccati originalis. Affirmare tamen licet concupiscen« tiam analogice se habere *tamquam materiale* in peccato originali, denominatione « hac ex eo ipsi facta quod cum sit pars illius inordinationis naturae quam peccatum « Adami induxit, est reapse ea inordinatio subiecti moralem ordinem attingens, quae « a peccato naturae pendet, et qua, extrinsecus quidem, peccatum naturae com« pletur ».

* Op. cit., c. IV, p. 71.

Iam vero concupiscentiam non ita se habere ad privationem gratiae in peccato originali, est manifestum.[1] Adde, quod et idem auctor bene monet, concupiscentiam remanere, remisso originali peccato; quod intelligi non posset, si proprie loquendo se haberet ad modum materiae.

Nihilominus, analogice seu improprie loquendo, rectissime dici potest, concupiscentiam se habere tamquam materiale, qui est sensus ab ipso S. Thoma intentus.

Imo inde nobis magis haec sententia arridet, quod triplex elementum peccati habitualis, qualiter illud supra exposuimus, simul in peccato originali considerat. Dum enim systema Catherini insistit unice in voluntarium non revocatum; dum sententia secunda huic non addit nisi privationem iustitiae; tertia sententia elementum tertium congrue inducit, debilitatem scilicet concupiscentiae. [2]

d) Sed estne omnino certum, gratiam sanctificantem sive dona supernaturalia, stricte dicta, fuisse principium a quo defluxerint alia integritatis dona? Nonne forte erat aliquod donum magis radicaliter animam afficiens, quod per se constituerit illam perfectam harmoniam virium unde anima capax esset servandi perfecto iustitiam, et quod proin formaliter originalem iustitiam constituerit? Aliqui theologi, cum S. Bonaventura, statum primi hominis ita intellexerunt.

Consequens huius modi concipiendi relationem integritatis ad iustitiam stricte dictam est, quod concupiscentia non solum est materiale peccati originalis, sed et pars essentiae eius, quatenus concupiscentia directe oppugnat illam primaevam harmoniam, quae erat radix iustitiae originalis.

« Cum quaeritur, ait S. Bonaventura, quid sit originale « peccatum, recte respondetur quod sit immoderata concu- « piscentia; recte etiam respondetur quod sit debitae iusti- « tiae carentia: et in una istarum responsionum clauditur

[1] Unde bene cl. Pègues argumentationem suam hac de re ita inducit: « S'il est « vrai que dans le péché originel nous puissions distinguer un élément matériel et « un élément formel, pour autant qu'on peut parler de cette double sorte d'élément « dans ce qui est essentiellement une privation; et si, d'autre part, ce que nous appe- « lons la concupiscence peut correspondre à l'élément matériel du péché originel, il « s'ensuit que la concupiscence n'en sera pas l'élément formel ». *

[2] Cf. addenda in art. 1°, Quaest. seq.

* Op. cit., p. 680.

« alia, licet una notificet ipsum originale ratione eius quod « est in ipso habens modum conversionis, altera vero ratione « privationis ».[1]

Alterum huius doctrinae consequens est quod in hac sententia adhuc magis quam in praecedenti, concupiscentia est medium traductionis peccati originalis. De quo infra.

Obiicies: Nonne haec sententia incidit in errorem novatorum quoad non imputabilitatem peccati originalis post regenerationem? Etenim si concupiscentia ad essentiam peccati originalis pertinet, quum remaneat post baptismum, quomodo poterit non amplius esse peccatum, nisi quia non imputatur?

Fatendum videtur, in hoc puncto debilitatem conceptus apparere. Absit tamen ut dicamus, S. Bonaventuram id docuisse quod in hoc puncto docuerunt novatores. Etenim, quemadmodum Augustinus distinguit inter reatum concupiscentiae et concupiscentiam sine reatu, ita S. Bonaventura distinguit inter concupiscentiam uti culpam et concupiscentiam uti poenam seu vitium. Prima tollitur per baptismum; altera remanet. Concordat doctrina. Videtur tamen systema Augustini firmius huic conclusioni fundamentum praebere, quam systema Seraphici. Quare prius praeferimus.

Ex dictis in hac dissertatiuncula patet quid censendum sit de sententia Tanquerey,[2] iuxta quam in inquisitione theologica de essentia peccati originalis sunt distinguenda tria stadia: 1) a S. Paulo ad S. Anselmum, principalis pars tribuitur concupiscentiae; 2) a S. Anselmo ad saec. XVI potior pars tribuitur privationi iustitiae originalis seu rectitudini voluntatis; in hoc stadio S. Thomas utrumque coniungit, formale est privatio iustitiae; materiale, concupiscentia; 3) saeculo XVI Dominicus Soto essentiam ponit in privatione gratiae sanctificantis. Verum quid est in prioribus saeculis, duce Augustino, quin et S. Paulo, magis expresse sermonem esse de concupiscentia, sed non ita ut elementum iustitiae praetermittetur. Quare quoad rem conveniunt S. Augustinus, S. Anselmus et S. Thomas. Verum rursus est a tempore Dominici Soti, elementum concupiscentiae a nonnullis theologis

[1] II, Dist. XXX, art. 2, q. 1.

[2] Op. cit., n. 928 sqq.

plus minusve praetermitte. Quando autem Tanquerey addit: « Hodie igitur omnes fere theologi docent peccatum origi- « nale essentialiter consistere in privatione gratiae »,[1] non solum imperfecte hanc sententiam exhibet, omisso elemento voluntarii, sine quo peccatum haberi nequit; sed excedit, quatenus sententia S. Thomae a multis theologis et hodie firmiter tenetur, a qua tamen sententia Dominici Soto nonnihil differt.

Quaeres. - In quonam potius reponenda sit haec formalis ratio peccati originalis: utrum in ipsa privatione doni supernaturalis, an in privatione subiectionis mentis in Deum? - Corduba aliique, quos affert et confutat Vasquez,[2] hoc alterum propugnarunt. Sed, nostro iudicio, absque solido fundamento. Utique, in homine rationis capace subiectio supernaturalis, tum habitualis, tum actualis, mentis in Deum, est veluti flos tam spontanee ab arbore iustitiae productus, ut abesse nequeat; sed et in tali radix huius floris est ipsum supernaturale donum a quo scaturit. Non ita in parvulis rationis usum non habentibus. In his enim non habetur nisi huiusmodi subiectio interpretativa, seu ordinatio radicalis. Quae si absit ob privatione doni supernaturalis, haec privatio, cum relatione ad Adae peccatum, constituit illam originalem culpam qua iam detinentur antequam positive mentis subiectionem Deo recusare valeant. Insuper, uti mox videbimus, haec ordinatio respicit potentiam; originalis autem peccati subiectum est prius essentia animae quam eiusdem potentiae.

Iam ad textum huius articuli accedamus.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Arguit ex hoc quod concupiscentia sit homini naturalis. Duplici laborat vitio. *a*) Non attendit in concupiscentia mensuram et gradum; *b*) insuper, - quod princeps est, - negligit dignitatem praeternaturalem cum qua corpora ex divina ordinatione transfundi debuissent, ac proin humanum genus propagari.

2ª Obi. Arguit ex aliis passionibus. Tripliciter deficit. *a*) Non considerat partem specialem quae in ipsa lapsus nar-

[1] Ibid., n. 934, c.

[2] Op. cit., Disp. CXXXI, cap. 6.

ratione ab auctore sacro concupiscentiae irrumpenti tribuitur; *b*) neque attendit ad concupiscentiam, uti traductionis instrumentum; *c*) demum negligit vehementiam et latitudinem concupiscentiae, qua omnibus aliis passionibus dominatur, easque omnes quasi in se continet.

3ª Obi. Arguit ex ignorantia, quae potior videtur concupiscentia. Non reflectit in legem, qua ordo in malum opponitur ordini in bonum.

Sed contra est. Distingue sedulo sensum huius loci Augustini iuxta supra exposita. Concupiscentia est reatus peccati originalis usquedum vinculum reatus per regenerationem rumpatur, ac proin reatus concupiscentiae, remanente tamen concupiscentiae actu, deleatur. Uti iacent, verba inducere possunt in sensum placitis novatorum nimis faventem. Relatio inter concupiscentiam et traductionem peccati originalis expressa invenitur in sequenti oratione Sacramentarii Leoniani: « Deus, qui Beatae Mariae Virginis partum, « sine humana concupiscentia procreatum, in Filii tui mem« bra venientem paternis fecisti praeiudiciis non teneri; prae« sta, quaesumus, ut huius creaturae novitate suscepta, vetu« statis antiquae contagiis exuamur ».[1]

Sententiam quam heic propugnat S. Thomas, est inter catholicos theologos liberae discussionis. Uti enim narrat Pallavicinius,[2] quum in decreto de peccato originali addita essent verba: « non improbare Synodum eorum theologorum « assertionem qui aiunt, manere post baptismum partem « materialem peccati originalis, non formalem », Patres Concilii Tridentini haec verba omittenda iudicarunt. Indirecte potest haec sententia suaderi per omnes textus in quibus S. Paulus concupiscentiam vocat peccatum. Haec enim appellatio maiorem habet vim, si concupiscentia materiale peccati originalis esse dicitur.

In Corpore. Paucis ita contrahe hanc argumentationem. Essentia peccati originalis per oppositionem debet respondere essentiae iustitiae originalis. Iam vero in originali iustitia formale erat subiectio animae in Deum, materiale autem subiectio aliorum virium in animam. Ergo in peccato origi-

1 *Raccolta delle opere minori* di Lud. Ant. Muratori, Napoli, 1760, t. xi, p. 295.
2 Lib. vii, c. 9.

nali formale erit privatio subiectionis animae in Deum, per privationem iustitiae originalis; materiale vero privatio subiectionis virium aliarum in animam, seu concupiscentia.[1]

Potest haec ratio parumper aliter illustrari. Etenim inter voluntatem et vim concupiscibilem habetur distinctio quae est inter ordinans in finem et ordinabile. « Semper autem, ait « S. Thomas, quod est ex parte agentis et moventis est sicut « formale, quod autem est ex parte mobilis et patientis est « sicut materiale. Et ideo cum carentia originalis iustitiae « se habeat ex parte voluntatis, ex parte autem inferiorum « virium a voluntate motarum sit pravitas et inordinate appe- « tendum, quae concupiscentia dici potest; sequitur quod « peccatum originale in hoc homine vel in illo nihil aliud « est quam concupiscentia cum carentia originalis iustitiae; « ita tamen quod carentia originalis iustitiae est quasi for- « male peccato originali, concupiscentia autem quasi mate- « riale ».[2]

Sed et tertius potest adduci huius appellationis adspectus, ab ipso generationis actu derivatus. Quemadmodum per generationem in natura integra fuisset transfusa natura sancta elevata;[3] ita per generationem in natura integritate

[1] Optime S. Thomae mentem ita formulat Card. Billot: « Peccatum originale est « essentialiter destitutio iustitiae originalis, prout dependens a voluntario actu proto- « parentis qui fons fuit et principium naturae. Et quia in iustitia originali aliquid se « habebat ut formale, et est gratia radix charitatis, et aliquid ut materiale, id est ipsi « charitati annexum integritatis donum quo inferior pars sub dominio rationis conti- « nebatur, in peccato quoque originali eadem distinctio attenditur: hinc quidem for- « male, id est privatio gratiae et charitatis per quam voluntas subdebatur Deo, inde « vero materiale, id est concupiscentia sive privatio vigoris quo sub voluntate frena- « bantur aliae omnes animae vires ». * Minus plene Aquinatis mentem assecutum esse censemus Chr. Pesch. quando de hoc argumento scribit: « Itaque S. Thomas dicit « concupiscentiam esse aliquid materiale in peccato originali, nihil aliud significat « nisi concupiscentiam esse inordinationem partis sensitivae, quae processit ex priva- « tione originalis iustitiae, et inclinat ad peccandum. Quamvis autem S. Thomas con- « sentiat cum communi doctrina, videtur tamen maioris claritatis causa praeferendus « usitatus loquendi modus; peccatum originale formaliter consistere in voluntaria « abiectione (habituali) seu privatione gratiae sanctifiantis, concupiscentiam vero « improprie seu latiori sensu vocari peccatum, quia ex peccato est et ad peccatum « inclinat ». **

[2] *De malo*, q. IV, 2.

[3] Hinc illa proportio requirebatur inter medium integrum et terminum sanctum (cf. S. Thomas, *De malo*, q. IV, a. 6; cf. et Albertum Magnum, II, Dist. XXXI, a. 2).

* Op. cit., th. XII, p. 177.

** Op. cit. n. 267.

orbata generatur homo originali sanctitate orbatus. « Ex « actu naturae, qui est carnis propagatio, relinquitur quae- « dam dispositio inclinans ad malum in ipsa natura gene- « rati, quae concupiscentia vel fomes dicitur; et ex hoc ipso « quod illa naturae corruptio in se virtutem peccandi, ex quo « causata est, continens, personam attingit, ipsam indignam « Dei gratia efficit ».[1] Ergo in transfusione peccati originalis concupiscentia se habet a parte corporis sicut materiale relate ad privationem iustitiae originalis, seu formale, a parte animae.[2]

Potest tamen in peccato originali materiale et formale parumper aliter intelligi. Etenim in peccato originali habentur tria: defectus originalis iustitiae, concupiscentia, et utriusque relatio ad voluntarium Adami; aut imo duo: defectus originalis iustitiae et integritatis, et relatio huius defectus ad voluntarium Adami.

Iam vero si consideretur ex una parte status entitative sumptus, et ex altera status moralis seu peccati, apparet tum concupiscentiam, tum absentiam iustitiae esse materiale peccati originalis; formale autem constitui per relationem ad voluntarium Adami. Unde rursus patet quam recte Augustinus duplici modo concupiscentiam consideret, cum relatione ad Adami voluntarium, seu cum suo reatu; et independenter ab hac relatione, seu in suo permanente habitu. Quae distinctio inter iustitiae absentiam et huius absentiae reatum non potest nisi per logicam abstractionem fieri: nam ipse reatus non aliter deletur quam per infusionem gratiae; dum reatus concupiscentiae deletur, quin integritas originalis in hac vita reddatur. Hoc enim relinquitur complendum in vita futura.[3]

Igitur haec duo simul stant, et se compenetrant: tum statum in quo nascuntur parvuli culpabilem esse ex imputatione voluntarii Adami; tum hoc voluntarium parvulis imputari, quia nascuntur in hoc statu. Neque ibi habetur circulus vitiosus, sed illa circulatio de qua plus semel locuti sumus. Proinde recte dici potest, statum in quo homo nasci-

[1] II, Dist. XXXII, q. 1, a. 1.

[2] Lege de his adspectibus MAUR. DE BAETS, op. cit., p. 48 sqq.

[3] Cf. dicenda in Capit. IV huius Membri.

tur (qui status complectitur privationem tum iustitiae, tum integritatis) esse materiale substratum peccati originalis; relationem huius status ad voluntarium Adami, sive imputabilitatem peccati Adami, esse formale eiusdem peccati. [1]

Plene cum hac expositione concordat definitio quam suggerit Anselmus: « *facta per inobedientiam Adae* (en formam) « debitae *iustitiae nuditas* (en materiam) », [2] vel quam communius tradunt theologi: *privatio iustitiae originalis,* vel *iustitiae originaliter Deo debitae* (en materiam) *voluntaria voluntate capitis* (en formam). Prior hac ratione praestat, quod formam ponit magis in recto.

Corollarium I. – Ex dictis in hoc articulo patet insufficientem esse hac in re sententiam Lombardi: « Nunc superest « videre quid sit originale peccatum; quod, cum non sit « actuale, non est actus sive motus animae vel corporis.... « Quid ergo originale peccatum dicitur? Fomes peccati, sci- « licet concupiscentia vel concupiscibilitas, quae dicitur lex « membrorum sive languor naturae, sive tyrannus, qui est « in membris nostris, sive lex carnis: unde Augustinus ».... [3]

Corollarium II. – Ex doctrina huius articuli collige quam graviter hac in re erraverit Hermes, qui peccatum originale reponit in concupiscentia. Cuius fundamentalis erroris consequens est, in Adami posteris peccatum originale non esse peccatum proprie dictum, sed qualitatem quamdam peccaminosam iuxta physicas generationis leges propagatam. Quae sententia in originali peccato voluntarium tollit, ac proin mysterium originalis culpae non illustrat, sed supprimit.

[1] Unde rursus apparet quantopere deficiant sententiae quae hoc formale non satis considerant, qualis est imprimis sententia Durandi, in quam nimis se propensum ostendit Ruardus Tapperus, * ad quam, licet eam impugnet, nimis appropinquat Catherinus, ** imo a qua, uti diximus, non satis recedit Perrone. ***

[2] *De conc. Virg. et pecc. orig.*, c. 26. – *P. L.*, t. CLVIII, col. 461.

[3] II Disp., XXXI, n. 7. Cf. apud Vasquez auctores qui in hanc sententiam nimis proni erant. ****

* Cf. Vasquez, op. cit., Disp. CXXXI, c. 1.

** Ibid., c. 2.

*** Cf. dicta superius p. 244 sq.

**** Op. cit., Disp. CXXXII, c. 4.

Cave tamen ne hanc sententiam confundas cum sententia Baii, aut imo Lombardi. Hi enim veram peccati indolem in peccato originali nullatenus negare voluerunt. Hermes e contra hanc tantopere imminuit, ut ad Pelagianam haeresim per defectum declinarit.

Corollarium III. - Quum anima a spiritualibus bonis pondere concupiscentiae maxime distrahatur, apparet excellentia castitatis, imprimis in illis qui, aut ex officio sacro quod assumpserunt, debent sese reddere a familiae curis expeditos, aut ex perfectionis studio quod Deo voverunt, debent a sensibilibus se reddere liberos, quo efficacius spiritualia toto nisu anhelare valeant. Quod ita optime exponit Cardinalis Gasquet: « The second vow of religion, which like obedience is intended to assist the soul of a religious to « greater union with God, is that of Chastity. That this « is a necessary step to the higher and more spiritual life « is obvious. By the vow of Chastity the pleasures of the « material body, even those that are lawful, are sacrificed « to obtain the higher spiritual end. Not only are the cares « of family life avoided by this renountiation, and thus the « many distractions and troubles pertaining to this material existence removed from the life of a religious; but « by the entire sacrifice of the natural calls which the material side of man's being makes on the spiritual, this latter « is strengthened and enabled to turn more effectively to « its end of union with God ». Et illustrato discrimine inter rationem quae coelibatum ecclesiasticum suadet et quae castitatem religiosam imponit, ita concludit: « The celibacy « of the clergy, depending as it does upon an ecclesiastical « law, is not absolutely essential to the ecclesiastical state; « whereas the vow of chastity is of the essence of the religious life, the existence of which is inconceivable without it ».[1]

Haec autem castitas, quae latiori sensu omnium christianorum esse debet, sine appetitus inferioris castigatione obtineri nequit, quod eadem ipsa vox insinuat. Inde locum

[1] *Religio Religiosi*, ch. XIII p. 64 sq.

praecipuum quem in altiore vita christiana tenet mortificatio quae Christi Cruci reddit participem. Pulcherrime S. Leo Magnus: « Sicut totius est corporis pie vivere, ita « totius est temporis Crucem ferre: quae merito ferri unicui- « que suadetur, quia propriis modis atque mensuris ab uno- « quoque toleratur.... Sed cum caro concupiscit adversus « spiritum, spiritus autem adversus carnem, praesidio Crucis « Christi mens rationalis instruitur, nec cupiditatibus noxiis « illecta consentit, quoniam continentiae clavis et Dei timore « transfigitur ».[1]

Hinc pretium summum doloris ut ad altiora nos epuratos attollat. Hinc Christi patientis divinum simul et humanum magisterium. « Le Christ, ait bene Albertus Giuliani, n'est « pas venu en ce monde seulement pour cela: pour racheter « les péchés des hommes. Il est venu pour nous enseigner « le sens divin des souffrances. Le chemin du calvaire est « un chemin qui monte. Courbés sous nos peines, montons, « nous aussi. La voilà, la vraie leçon de la douleur. Elle « nous détache de la terre, de tout ce qui nous rabaisse vers « la terre, nos appétits, nos instincts, nos désirs charnels « pour nous élever vers le Ciel. Elle nous détache du corps « pour nous élever vers l'Esprit ».[2]

Hinc discrimen ingens inter modum quo stoicismus antiquus et quo mysticismus christianus dolorem intuentur et acceptant. Quod pulcherrime expressit poëta, plerumque ethnicis peior, Paulus Verlaine:

L'âme antique était rude et vaine,
Et ne voyait dans la douleur
Que l'acuité de la peine
Ou l'étonnement du malheur.

. . . . . .

La douleur chrétienne est immense
Elle, comme le cœur humain,
Elle souffre, puis elle pense,
Et calme poursuit son chemin.

Elle est debout sur le Calvaire
Pleine de larmes et sans cris.
C'est également une mère,
Mais quelle mère de quel Fils![3]

[1] *Serm.* IX *de Quadrag.*
[2] *Les berceaux tragiques*, p. 218 sq.
[3] *Sagesse*, I, 24.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Triumphus huius christiani sensus est ut anima christiana, licet angustiarum torculari pressa, torquentem manum deosculans, inter lacrymas subridens, gratias agat Christo et Deo.[1]

Hunc altiorem sensum Christus intendebat, quando christianas lacrimas sacrabat dicens: « Beati qui lugent ». Sed hic ipse luctus solamen parit a Domino promissum: « Quoniam ipsi consolabuntur ».[2] Quo magis enim anima sese a voluptatibus inferioribus liberat, eo magis ad laetitiam spiritualem excipiendam dilatatur. Hoc est gaudium a Christo promissum: « Gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum « nemo tollet a vobis ».[3] Unde ad gaudium sanctum iugiter nutriendum S. Paulus fideles tam saepe hortatur.[4] Inde et S. Franciscus Salesius tam iucunde et profunde dicere solebat: « Les Saints tristes sont de tristes Saints ».

Id totum synthetice exprimit oratio liturgica: « Praesta, « quaesumus, omnipotens Deus: ut quos ieiunia votiva casti« gant, ipsa quoque devotio sancta laetificet; ut, terrenis « affectibus mitigatis,[5] facilius caelestia capiamus ».[6]

Appendix I.

De ignorantia.

Quaestio quam Scholastici de concupiscentia moverunt, de *ignorantia* quoque ventilari potest. Et re quidem vera S. Bonaventura postquam quaesivit: an peccatum originale

[1] Id nuper inter armorum strepitus scribebat pius miles in proelio mox heroice obiturus: « La guerre est une terrible chose; mais c'est une souffrance qui est une « grande grâce pour ceux qui l'endurent, individus ou nations. La France et moi « avions besoin de ces coups de marteau. Cela n'est pas fini; mais, pour ma part, « ceux que je recevrai seront les bienvenus. La Providence ne tapera jamais plus « qu'il ne faut sur notre pauvre dos. Il faut seulement prier pour avoir le courage « de dire merci au Ciel pour chaque douleur morale ou physique. Prie donc pour « elle et pour moi ».*

[2] Matth., v, 5.

[3] Ioann., xvi, 22.

[4] Cf. Phil., iii, 1 sqq.; iv, 4; Coloss., i, 24; i Thess., iii, 9; v, 16; ii Thess., ii, 16.

[5] Hinc S. Paulus gaudium spirituale intime cum moderatione sive modestia affectuum terrenorum coniungit: « Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. « Modestia vestra nota sit omnibus hominibus » (Phil., iv, 4).

[6] Feria v infra hebd. iv Quadragesimae.

* *Lettre du lieutenant Pierre Fourrier de Rozières* († 1 oct. 1915) *à son frère l'abbé Jacques.*

sit concupiscentia (loc. cit.), quaerit: an peccatum originale sit ignorantia. Et respondet: « Ignorantia, si pure dicat nescien-« tiam ut est coniuncta concupiscentiae, sic est culpa, pro « eo quod talis ignorantia oppositionem habet cum virtute « et gratia. Gratia enim adveniens in animam non solum-« modo rectificat affectionem per charitatem, sed etiam « cognoscitivam per fidem. Non enim potest dirigi voluntas, « nisi pariter dirigatur et ratio: et libertas arbitrii simul in « ratione et voluntate consistit: hoc igitur modo concedi « potest peccatum originale esse ignorantiam ».[1]

Paulo aliter S. Thomas, qui caeteroquin in eodem Commentario nonnisi incidenter idem argumentum pertractat: « Ignorantia non per se respicit voluntatem: unde etiam « defectus ille sicut et alii retinent rationem poenae, sed non « culpae: et si inveniatur ignorantiam originale peccatum « dici, intelligendum est de ignorantia privante illam scien-« tiam quae includitur in originali iustitia: nullus enim est « iustus, vel temperatus, qui non sit prudens ».[2]

Ignorantia proin potest considerari uti cum peccato originali colligata, et tunc lato sensu et ipsa peccatum dici potest, quatenus participat peccati reatum; vel sine hoc nexu, et tunc reatu caret, nec amplius peccatum est. Cum reatu autem respectum habet tum ad iustitiae carentiam, tum ad concupiscentiam.

Hinc Patres in caeco nato quem Christus miraculose curavit, symbolum reperiunt humani generis ab origine caecitate spirituali afflicti. « Si ergo quid significet id quod factum « est cogitemus, genus humanum est iste caecus: haec enim « caecitas contigit in primo homine per peccatum, de quo « omnes originem duximus, non solum mortis, sed iniqui-« tatis.... Quando quidem Apostolus, natus in gente Prophe-« tarum, dicit: "Fuimus et nos aliquando natura filii irae, « sicut et caeteri „.[3] Si " filii irae „, filii vindictae, filii poe-« nae, filii gehennae. Quomodo " natura „, nisi quia, peccante « primo homine, vitium pro natura inolevit? Si vitium pro « natura inolevit, secundum mentem omnis homo caecus

[1] Ibid., q. 2.
[2] II *Dist.* XXX, q. I, art. 3 ad 5.
[3] EPHES., II, 3.

« natus est ».[1] Ita celebri loco Augustinus. Pulcherrime idem exprimit S. Gregorius Magnus: « Caecum est genus huma-« num, quod in primo parente a Paradisi gaudiis expulsum, « claritatem supernae lucis ignorans, damnationis suae tene-« bras patitur ».[2] Iam quis negaverit, hanc caecitatem non etiam respicere ignorantiam, ut partem huius vitii quod « pro natura inolevit » ?

Imo haec ignorantia arctius quam ipsa concupiscentia cum originali iustitia connectitur, quatenus magis immediate per claritatem originalis gratiae effugabatur. Sed concupiscentia connectitur arctius cum humani generis propagatione, quia magis respicit corpus, cuius ope humanum genus propagatur, et quia concupiscentia in ipsa propagationis via maxime manifestatur. Unde longe melius concupiscentia vocari potest peccati originalis materiale quam ignorantia; quae magis appropinquat ad eiusdem formale.

Appendix II.
De mente Hugonis Victorini.

Hugo Victorinus in analysi peccati originalis magnam partem tribuit concupiscentiae simul et ignorantiae. En quomodo peccatum originale primo definiat: « Si ergo quaeritur « quid sit peccatum originale in nobis, intelligitur corruptio « sive vitium quod nascendo trahimus per ignorantiam in « mente, per concupiscentiam in carne ».[3]

Quod mox subtilissime ita evolvit: « Duo vitia humana « natura a prima sui corruptione concepit, a quibus subse-« quentium omnium malorum propago postmodum pullula-« vit. Haec autem erant ignorantia boni et concupiscentia « mali, quorum unum, id est ignorantia, mentem infecit; « alterum, idest concupiscentia, carnem maculavit. Ignoran-« tia poena fuit elationis, concupiscentia effectus mortalitatis.[4]

[1] *Tract.* XLIV *in Ioann.*, circa initium.

[2] *Homil. 2 in Ev.* Hinc Christus, primaevae sed amissae lucis instaurator munificus, seipsum vocat « lucem mundi », et in praeconio cerei paschalis, qui « lumen Christi » figurat, ab Ecclesia salutatur « Lucifer ille qui nescit occasum ».

[3] *De Sacram.*, l. I, p. VII, c. 28. – *P. L.*, t. CLXXVI, col. 299.

[4] Quam profunde hoc dictum sit, ex superius expositis patet. Ipse Hugo paulo inferius nexum inter mortalitatem et concupiscentiam ita depingit: « Quia animus « per elationem contra Deum tumuit, ignorantia percussus, lumen veritatis amisit;

« Ita quatuor mala in homine apparent: superbia, ignorantia, « mortalitas, concupiscentia. Superbia mentis culpa tantum: « mortalitas carnis poena tantum; ignorantia culpa et poena « in mente, concupiscentia poena et culpa in carne... Sic « igitur ex culpa prima et poena ultima duo media orta sunt; « culpa et poena... in quibus peccati originalis radix consi- « stit ». Iam explicat quomodo hoc peccatum transmittitur. Quod totum his paucis contrahit verbis: « Caro quae in « concupiscentia seminatur, cum mortalitate concupiscitur, « cum necessitate concupiscendi nascitur ». Et gradationem inde statuit: « In eo itaque quod seminatur, corruptio mor- « talitatis est. In eo autem quod nascitur, vitium concupi- « scentiae est. In eo autem quod movetur per concupiscen- « tiam, actus qui a motu voluntatis inchoatur, motu operis « perficitur ». Ultima huius capitis sententia caute est legenda, ne in sensum Baianum detrahatur: « Non itaque nascentes « propterea sine vitio esse existimentur, quia non concupi- « scunt, quoniam radicitus vitium concupiscentiae in ipsis « est, per quod postea cum operantur, concupiscunt ».[1]

Pariter « ignorantia autem non propterea vitium est in « eis, quia, cum nascuntur, veritatem non agnoscunt quam « non debent; sed, quia tunc, cum nascuntur, vitium in eis « est, quo postea impediuntur ne veritatem agnoscant quando « debent. Nasci quippe sine cognitione, natura est, non culpa. « Sed in eo vitio nasci quo postea a cognitione veritatis « impediantur, culpa est, non natura ». Vides proin concupi- scentiam et ignorantiam quoad hoc sibi respondere.

Nexum autem inter utramque Hugo ita exponit: « Hoc « autem vitium (ignorantia scilicet) in corruptione carnis « est, et in corruptione sensus carnalis, qui sensus carnalis « si integritatem suam haberet, provectus et exercitatus « iudicium veritatis per ea quae foris videntur admonitus, « sine labore conciperet. Quia vero ex carne corrupta inte- « gritate sua privatus est, puram sine confusione erroris « veritatem haurire non potest ».[2]

« quia vero caro mortalitate percussa est, ipsa sui languoris infirmitate dissoluta « extra mensuram primae dispositionis desideria sua extendit ».

[1] Ibid., c. 31, col. 301 sq.

[2] Ibid., c. sq., col. 302.

Et paucis interiectis de discrimine quoad cognitionis processum in Angelis et in hominibus, ita concludit: « In carne « igitur mortali ex sensualitate corrupta nascitur vitium « concupiscentiae, ex sensu corrupto vitium ignorantiae. Ibi, « quia appetitus quaerendae necessitatis ultra mensuram se « extendit; hic autem, quia instrumentum concipiendae veri- « tatis ab integritatis vigore deficit ».[1]

Iam ponit sibi quaestionem, quomodo ex his oriatur peccatum originale ipsam afficiens animam. « Hoc autem diffi- « cultatem quaestionis maximam adducit, quod originale « peccatum, non nisi in solo carnalis corruptionis vitio assi- « gnari videmur, quod tamen usque ad participationem ani- « mae rationalis extendi, necesse est fateamur ».[2]

In solvenda autem quaestione, iam superius vidimus Hugonem fortiter quidem tenere indolem peccati originalis, non solum poenae; at in expositione difficultatis, sese praesertim recipere ad inscrutabile et iustum iudicium Dei. Recte quidem. Putamus nihilominus in tota sua tractatione Hugonem non satis tribuisse elemento principali, amissae scilicet originali iustitiae. Unde, licet subtilia valde et egregie multa proferat Hugo, in hac analysi a S. Anselmo superatur. Quod valet et de Petro Lombardo qui, uti in primo Corollario diximus, concupiscentiae in analysi peccati originali tribuit nimis.[3]

Appendix III.

De sensuali mysticismo recentioris cuiusdam scholae pseudo-catholicae.

Doctrinam in hoc articulo expositam circa concupiscentiam uti elementum materiale peccati originalis, uti infirmitatem « a peccato et ad peccatum », non leviter offendit schola quaedam, catholico nomine decorata, quae eo periculosior

[1] Ibid., c. 34, col. 302 sq.

[2] Ibid., c. 35.

[3] Valentinus conatur Magistrum in bono sensu explicare; * at aliter eum intelligunt Henricus Gandavensis, Gregorius Ariminensis et Ochamus. **

* In 1, 2 Dist. 6, q. 12, p. 1, § 8.

** Cf. Vasquez, in 1-II, Disp. CXXXII, c. 4.

exstat bonis moribus, quo insidiosius falso mysticismo venenum suum celat et incautius tamquam felix « renouveau « catholique » a quibusdam criticis quin et sacerdotibus, in Gallia praesertim, salutatur. De qua schola pretium operae visum est speciali appendice, et quidem fusiori calamo, ob rei gravitatem disserere.

Coryphei huius scholae sunt plerique scriptores sive poëtae plus minusve strepitose ad fidem conversi, uti Léon Bloy,[1] Claudel, Jammes aliique,[2] vel ob quosdam fugaces remorsus aut poenitentiae signa, uti Barbey d'Aurevilly, Baudelaire, Verlaine et Rimbaud, tamquam conversi a suis sequacibus celebrati. Permulta essent de hac schola dicenda;[3] sed brevitatis causa animadversiones nostras ad sequentia capita reducimus.

1) Primum huius scholae vitium fundamentale est abstractio quasi totalis a conditione naturae nostrae lapsae et morbida concupiscentia infectae. Imo doctrina de hac conditione impugnatur ab hac schola quasi Manichaeismum sapiens. Prae aliis hic audiendus est Eduardus Montier, quippe qui magis didactice argumentum tractat. In praefatione ad suum poëma cui titulus: *Les empires sans fin* (imperia scilicet pulchritudinis,[4] amoris et fidei) auctor suam thesim ita exprimit: « Ma foi chrétienne, loin de m'in-

[1] Specialem quemdam locum Leoni Bloy esse assignandum, ex sequentibus patebit.

[2] Non adnumero istis nec Camillum Huysmans, nec Paulum Bourget, quia ad hanc scholam non proprie pertinere videntur. Magis tamen ad eam appropinquat ille quam iste, quia post conversionem suam mysticis sese argumentis magis dedit.

[3] Fuse de hoc argumento scripsit Raymundus Hubert in libro cui titulus: *Léon Bloy et le prétendu renouveau catholique* (tom II, 1917, Rue de Lépante, Nice). In quo libro, licet nonnulla severiora occurrant, pleraque sunt fundata nimis. Essent tamen efficaciora, si pressiore ordine essent congesta.

[4] Vitium horum scriptorum gravissimum est, pulchritudinis nomine vix aliam intelligere quam rerum sensibilium, maxime humani corporis. Longe sapientius poëta Pope Eloisam inducit superioris pulchritudinis gratiam invocantem ut a seductione nimis sensuali Abaelardi liberaretur.

Give all thou canst and let me dream the rest:
Ah, no! instruct me other joys to prize,
With other beauties charm my partial eyes.
Full in my view set all the bright abode,
*And make my soul quit Abelard for God.**

* *Eloisa to Abelard.*

« terdire ou de diminuer en moi les sentiments humains, « l'amour, l'amitié, le culte des arts et de la beauté, ne fait « que les magnifier et les affiner à la fois ». Quae assertio dupliciter deficit: tum quia est incompleta, tum quia aequivocationem continet:

Multa enim in humanis passionibus et cultibus fides non solum extollit ac perficit, sed et corrigit; aliter enim et aliter de amore, de amicitia, de arte sentiunt paganus et christianus. Quare incauta sunt quae sequuntur: « Je sens que « le chrétien retrouve en lui, purifiées et plus lumineuses, « toutes les clartés que le païen entrevoyait jadis indistinc- « tes encore sur les sommets d'Athènes et de Rome, et qu'il « ne nous est pas interdit d'avoir des amis, à tous les âges de « l'humanité ». [1] Utique; sed discretio semper facienda erit inter ea quae accipi possunt, nobilitanda magis, et ea quae debent uti aliena et indigna proiici. Pessimis enim vitiis indulgeret nimis, qui Platonem in omnibus acceptaret amicum. [2]

[1] Ibid., v.

[2] Severe at iuste de hoc argumento scribit Godefridus Kurth: « Le cauchemar « d'une imagination malade peut seul enfanter des théories sociales comme celles que « contient la *République* du divin Platon.... Rien ne trouve grâce devant ce législa- « teur qui légifère au nom de la Patrie. Il ignore le droit de l'homme à la vie: à « mort l'enfant mal venu, à mort les malades! Il voit dans la famille un organisme « inutile et même gênant, parce qu'elle constitue une société particulière, ayant des « intérêts distincts de ceux de la société publique; il la supprime, en imaginant la « promiscuité des femmes, à laquelle il ajoute ce que, faute d'un terme précis, il faut « appeller la promiscuité des mères ». Pergit exponendo quam impia audacia exclu- serit pudorem puellarum,* pessima vitia sacrarit,** proprietatem damnarit, artem excluserit. Et pergit: « L'Etat d'Aristote ne vaut pas mieux que celui de Platon. Pas « plus que son illustre rival, le Stagyrite n'a la notion de le vraie liberté. Pour lui « aussi c'est un axiome que le citoyen appartient à l'Etat ».

Quare a veritate non aberraret qui contenderet, « Bolscevicos » dictos magna ex parte suas aberrationes a paganis hisce philosophis derivasse. *** Quam benefica e

* v. 457 sq.

** Ibid., 468, ed. Didot.

*** Caeterum et apud Druidicos scriptores theoriae communismum sapientes reperiuntur; at non ab evolutionismo, sed ab universali dominio Dei derivatae: « Ad « superioritatem individualis potentiae, nemo, nisi Deus, titulum habet; potentiae « enim quae omnibus rebus dedit existentiam, est unica quae vindicare sibi potest « universi gubernium. Homo nequit assumere auctoritatem in alium; nam si unum « regit, eadem ratione regere potest millies mille, vel mundum. Omnes homines sunt « necessario aequales: quatuor elementa, in eorum statu naturali, sive omnia quae « non sunt artefacta, sunt omnium communis proprietas (*Introd. in* LI *Hên.*; cf. EDWARD DAVIES, *The mythologie and rites of the British Druids*, London, Booth, 1809, p. 55 sq.).

Quare imprudens est haec alia sententia: « Nous n'avons « pas à ressembler aux idoles qui ont des yeux et ne voient « point: nous pouvons toucher, nous pouvons marcher à tra- « vers le monde ».[1] Ergone nullus iam nec visus nec tactus libertati est apponendus frenus?[2] Utique « La Croix ne pro- « jette point d'ombre »,[3] si ipsam lucem inspicis quae de Cruce emanat. Sed tamen haec ipsa lux noctem erroris esse demonstrat quidquid ei opponitur, id est quidquid dictaminibus Crucis non consonat.

Audi iam consequens quoad amorem: « A cette clarté « aussi et grâce à cette orientation générale de la pensée, « l'amour peut, lui-même, se présenter aux regards de tous « sans blesser la pudeur ».[4] Quae sententia, si absque limite urgeatur, conducit ad Adamitismum; si autem limitibus circumscribitur, undenam istos desumes, nisi ex conditione naturae lapsae? Quare periculosa est valde sententia concludens: « C'est l'Empire sans fin de l'amour qui contribue « à assurer l'Empire sans fin de la foi ».[5] Ergone quo liberius inspicitur et amatur nudorum corporum venustas, eo firmior in anima radicatur fides?

[1] Ibid.
[2] Ibid.
[3] Ibid.
[4] Ibid.
[5] Ibid., VI.

contra apparet socialis missio Ecclesiae a Christo fundatae! Audiatur idem auctor, doctrina et pietate aeque illustris, socialia Ecclesiae beneficia celebrans: « La grande « innovation du christianisme consista... dans la création d'un organe en qui cette « énergie allait s'incarner et vivre, et cet organe ce fut l'Eglise. Pouvoir social inter- « médiaire entre la terre et le Ciel, elle ne cessait de tenir perpétuellement ouvert « le chemin qui menait l'homme à Dieu. Par elle, l'humanité, nourrie d'un prin- « cipe de vie éternelle, se voyait élevée elle-même à l'infallibilité. L'Eglise pénétrait « en elle comme le souffle de Dieu dans le limon du premier Adam, et elle la vivi- « fiait comme l'âme vivifie le corps. La création de l'Eglise était l'exaltation du genre « humain et constituait le terme suprême de son ascension vers Dieu.... En opérant « cette union féconde de l'Eglise avec l'humanité, le Créateur avait donné aussi la « formule des rapports qui allaient présider à leur vie commune. Semblable à tous « les préceptes évangéliques, cette formule avait un caractère de netteté et d'autorité « irrécusable: " Rendez à César ce qui est à César, – disait elle, – et à Dieu ce qui « est à Dieu „. * ..... C'est la sentence de mort du césarisme, l'acte d'affranchisse- « ment de tous les hommes, la constitution éternelle de tous les peuples chrétiens ».**

* Luc., XX, 25.

** *Les origines de la civilisation moderne*, Paris, Retaux, 1903, t. I, *Introd.*, p. XXI, XXV sq.

Iam superius vidimus quid Montier de oculorum pudore censeat.[1] Iuvat id penitius hoc loco illustrare. In initiali carmine cui titulus *L'effigie*[2] traditionalem thesim christianam sibi ita obiicit:

Au temps où le Seigneur le nimbait de sa gloire,
Oui, l'homme allait jadis, sans voile et sans péché.
Mais ce ne fut, hélas, qu'un rêve transitoire,
Du piédestal trop haut l'image a trébuché,
Et maintenant son corps, souillé dès sa naissance,
Ne doit jamais paraître au regard des humains:
L'admirer sans remords est une jouissance
Qui ne saurait donner que d'affreux lendemains.[3]

Sed, depulsa hac theoria, exclamat:

Jamais je ne croirai qu'aimer la grâce humaine
En son éclosion soit un mal devant Dieu,
Pas plus que d'admirer les étoiles qu'il sème,
Beautés sans voile aussi, dans le firmament bleu.
. . . . . .
Jamais je ne croirai que Dieu fit tant de grâce
Pour qu'un voile éternel en masque la splendeur,
Et que sous le rayon de la beauté qui passe
Notre culte sincère outrage la pudeur![4]

Et paucis, interiectis, auctor invitat hominem ut speciosam suam formam libere, absque ullo velo, expandat:

Homme, lève-toi donc, en ta jeunesse saine,
Et, debout devant Dieu, sans honte et sans remords,
En face du soleil, dans les fleurs de la plaine,
Fais lui l'hommage ému de tes membres très forts.[5]

Et totum carmen hisce verbis absolvit:

J'adresse en louant Dieu de son œuvre dernière
Un hymne à la beauté maudite injustement.
Dans un respect profond, j'ai vu la forme humaine
Se dresser devant moi, blanche sous le ciel bleu.
L'œuvre, si l'on est sage, à l'artiste ramène:
En la voyant, j'osai dire: « Louange à Dieu! ».[6]

[1] Recolat hic lector quidquid superius exposuimus in dissertatione *De originali integritate et de sensu pudoris* (p. 133 sqq.).

[2] Huic carmini praemittitur Scripturae sententia: *Et vidit Deus quod esset bonum,* quasi haec non esset prolata de homine ante lapsum, et quasi ipse Deus erumpentem in homine lapso pudorem non adprobasset, corpus eius obtegendo. Huiusmodi Scripturarum contra ipsas Scripturas abusus est, ut minus dicam, gravis irreverentia.

[3] *La statue athénienne. L'effigie,* p. 19. – Versus 6 est infelix, utpote exaggerans.

[4] Ibid., p. 20.

[5] Ibid., p. 22. Errore calami, p. 280 in hoc ultimo versu, loco « hommage » scripsimus « honneur ».

[6] Ibid., p. 23.

Haec omnia, uti patet, a conditione humanae naturae lapsae et ex lapsu concupiscentiae vulnere saucitae, totaliter abstrahunt: quod christiano nec theoretice nec practice ullatenus licet.

Eadem prorsus doctrina reperitur apud Vallery-Radot, unum e praecipuis patronis « du Groupe ». En quibus verbis carnem exaltat. « La vision catholique brave tout parce « qu'elle est pure et sait voir purement,[1] parce que pour « elle la chair, loin d'être un objet de mépris qu'on veut « ignorer ou condamner à la réprobation absolue, comme « certains Manichéens d'aujourd'hui, la chair a un prix « infini, la chair est une créature de Dieu, la chair est le « temple du St-Esprit, la chair a été revêtue par le Verbe « lui-même, la chair est la chrysalide où notre âme s'éprouve « à la vie éternelle, la chair enfin ressuscitera au dernier « jour pour jouir de la gloire dans tous les siècles des « siècles ».[2] Praeter graves confusiones quae hic accumulantur, apparet rursus abstractio totalis ab originali culpa, quae carnem nostram concupiscentia infecit. Quam aliter, post ipsum Christum, de carne loquitur Paulus! Intolerabili insuper audacia Manichaeismi insimulantur quotquot hac in re catholice sentiunt. Ita olim, e converso, quotquot non Iansenistice sapiebant, Iansenii asseclis erant Pelagiani aut Semipelagiani.

2) Proximum vitium est arrogantia qua isti scriptores in christianum pudorem invehunt, quasi pudor iste esset hypocrita exaggeratio recentioribus temporibus inducta. Audiatur rursus in eodem carmine Eduardus Montier.

Avec Dieu qui la fit pour elle je préfère
Au voile provoquant la chaste nudité.
La beauté n'est jamais coupable, elle est victime :
Vous lui donnez les noms que vous seul meritez ;
Car si, même un instant, vous y voyez le crime,
Hypocrites censeurs, c'est vous qui l'y mettez ![3]

[1] Quam purae semper sint istae visiones, osfendunt carmina sub titulo *Grains de myrrhe* ab eodem auctore edita. Caeterum isti scriptores solent abuti vocibus « chaste », « vierge », « immaculée ». Nec mirum: tam mundi sunt, ut quidquid tangunt, purificent!

[2] *Cahiers*, 15 janv., n. 1, p. 4 sq.

[3] Ibid., p. 22.

Et paulo superius dixerat:

On a, je le sais bien, sans l'oripeau des Fables,
De la vérité nue, abrité le flambeau.
Mais parce que des fous ou bien des misérables
Railleraient le soleil, en serait-il moins beau?[1]

Unde solet Leo Bloy invehere in pudoris christiani doctrinam,[2] quasi a Concilio Tridentino inductam, quae in Gallia, curantibus sodalibus S. Ignatii, et S. Sulpicii, animas in servitute detinet; et e contra exaltare aetatem mediam, utpote ab istis nefandis praeiudiciis immunem.[3]

3) Rationem autem cur in carne nihil habeatur quod pudorem iniiciat, isti petunt a Christi redemptione; quasi Christus homini redempto primaevam integritatem iam in praesenti vita restituisset. Superius[4] iam audivimus Eduardum Montier dicentem:

Adam jadis a pu craindre un jour ta présence,
Mais Dieu t'a de sa crainte à jamais affranchi.

[1] Ibid., p. 21.

[2] Quanti momenti esset iam in antiqua Lege sensus pudoris a Dei ministris servandus, apparet ex *Exodo,* c. xx, 20; xxviii, 42, 43; xxxix, 27 (cf. et *Levit.,* xviii, 6-18; xx, 17-21).

[3] Cf. *La femme pauvre,* p. 218. - Et in alio libro, cui titulus: *Belluaire et porches,* de blasphemo et libidinoso scriptore Barbey d'Aurevilly hoc habet: « Il nous « a fait beaucoup penser à ces sculpteurs inconnus du moyen-âge qui mentionnaient « innocemment toutes ces hontes de réprouvés sur les murs des cathédrales. L'Eglise « n'était pas bégueule alors, et les cœurs purs avaient des yeux purs. On ne se salis- « sait pas aussi facilement qu'aujourd'hui, et les esprits chastes pouvaient affronter « sans péril l'ostentation même des folies charnelles qu'une foi profonde faisait abhor- « rer comme des manifestations du pouvoir du diable. En dehors du sacrement, « l'amour ne paraissait plus qu'une immondice et la représentation matérielle du « désordre, bien loin de troubler les simples qui s'en venaient adorer le Fils de la « Vierge et le Roi des Anges, les fortifiait, au contraire, dans l'exécration du vieux « tentateur » (p. 133). - Qui ideam sibi efformare cupit de violentia styli qua Leo Bloy in hodiernam Ecclesiam catholicam et in hodiernos catholicos passim invehit, legat, v. gr., in libro cui titulus *Le désespéré,* in quo auctor autobiographiam plus minusve narrat, paginas quae ita incipiunt: « Le christianisme, quand il en reste, n'est qu'une « surenchaire de bêtise ou de lâcheté » (p. 218) et horrenda blasphemia clauduntur (p. 241).

Haud dissimili sensu, sed crudius, Verlaine dixerat de seipso: « Je suis un sen- « suel... l'ombre du marquis de Sade et ce parmi " parfois des airs naïfs et faux de « bon apôtre,,. Et puis j'aime! Tout court! En masse, en général " depuis la fille « amère au souris sépulcral - jusqu'à Dieu tout-puissant dont la droite nous mène ,,. Ita « le pauvre Lélian » nominé auctoris (Cazals et Lerouge, *Les derniers jours de Verlaine,* p. 184).

[4] P. 280.

Unde exclamat:

Epanouis-tu donc, humanité fleurie,
Dont le Christ a cloué les laideurs sur la Croix.[1]

Eodem sensu ait Vallery-Radot:

« Je suis la Voie, la Vérité, la Vie. Voilà toute notre « esthétique. La Nature est une vaste liturgie. Toute la créa- « tion une dans un même concert, reflétant la même lumière, « rachetée tout entière par le Christ, y communie, s'y inter- « prète ».[2]

4) Sed haec ipsa sententia insidiosis aequivocationibus plena, iam aliud detegit huius scholae vitium, imo forsan gravissimum: sensualem dico mysticismum. Quum tota natura, ad modum immensae liturgiae, exprimat Deum, omne cum natura commercium habet aliquid sacri et amor sensualis conducit, veluti per mysticam scalam, ad amorem Dei.[3] Vicissim amor Dei excitat in nobis sensum voluptatis. Audiatur rursus Leo Bloy, de heroë sui libri *Le désespéré:* « La femme n'apparut dans Marchenoir... qu'après cette « décisive secousse d'âme qui l'avait subitement restitué au « sentiment religieux ... La religion intervint pour lui amollir « le cœur ... Le sentiment religieux est une passion d'amour ...

[1] Loc. cit.

[2] *La littérature et ses responsabilités,* p. 14. Hic tangimus alium gravem abusum huius scholae, exegesim scilicet arbitrariam, quae ipsos sacros textus ad placita aliena trahit. Simili modo Mauriac, unus ex initiatorum coetu, attractivae formae puellae cuiusdam popularis cedens, dixit se ita implesse consilium: *Allez au peuple!* « Une demoiselle rouge et ronde, que la vague humaine me jetait sans cesse « dans les bras, criait doucement, et j'accueillais de bon cœur cette menue et légère « volupté. Je l'appellai Bérénice, me persuadant qu'elle incarnait l'âme obscure et « gaie de ce peuple. Ah! que la formule *allez au peuple* me parut ce soir-là pleine « de sens! » (*La robe prétexte,* p. 157). Alia exempla huius exegetici pruritus videbimus mox in Leone Bloy.

[3] Longe melius Pope Eloisae luctam inter utrumque amorem, spiritualem et sensualem, exprimit:

E'en here, where frozen chastity retires,
Love finds an altar for forbidden fires,
I ought to grieve, but cannot what I ought;
I mourn the lower, not lament the fault;
I view my crime, but kindle at the view,
Repent old pleasures, and solicit new;
Now turn'd to Heaven, I weep my past offense
*Now think of thee, and curse my innocence.**

* Ibid.

« Or, ce tison incendiaire, lancé tout à coup, du plus inacces-
« sible des sommets, dans le misérable torchis humain, à
« travers du chaume défoncé, il serait pourtant nécessaire
« d'en tenir compte, si l'on voulait être raisonnable et juste,
« à la fin des fins! ... Une surprenante avidité de tendresse
« humaine fut l'accompagnement immédiat des surnaturel-
« les appétences de ce vierge cœur ».[1]

Unde nobilissima devotio ad sensuales amores stimulat:
« Les eucharistiques tendresses de sa foi ne servaient qu'à
« pencher un peu plus son cœur sur cet abîme du corps
« de la femme, où vont se perdre en grondant des torrents
« humains dévalés des plus hautes cimes. Le Christ sanglant
« sur sa Croix, la Vierge aux sept glaives, les Anges et les
« Saints lui tendaient l'identique traquenard de liquéfier son
« âme à leurs fournaises ».[2]

Nova inde methodo, ab ethnica antiqua non multum distante, amores omnes isti pseudo-catholici veluti sacrant et imo deificant:

Je vous aime, Seigneur, mais c'est votre amour même
Qui dans mon âme arrive et distend les amours.
C'est vous qui m'avez fait vouloir en ce que j'aime
L'infini du bonheur et l'infini des jours.[3]

Hinc apud istos scriptores eorumque laudatores tam lugendus mysticismi abusus, ut pessima scripta hoc nomine decorentur: « Toujours Francis Jammes eut le don religieux
« de la grande poésie mystique, même avant son retour
« absolu au Dieu de la jeunesse ».[4] Ipseque Jammes, post

[1] P. 58 sq.

[2] P. 367. - Huc facit descriptio, quasi voluptuosa, Communionis eucharisticae, quae recurrit apud Vallery-Radot:

Rompant le pain, vous m'avez dit: «Voici mon corps»,
Et je vous ai broyé dans mon désir farouche,
Volupté de mes dents! Délices de ma bouche!
Je vous disais toujours: « Seigneur, donnez encore ».
Je sentais que ma chair s'inondait de lumière,
Les yeux clos, j'écoutais ma force dans mon sang
Pousser des cris tumultueux et bondissants,
Ivre d'avoir plongé dans sa source première.
(*Grains de myrrhe*, p. 102).

[3] *Emptres sans fin. Le prix du labeur*, p. 177.

[4] Ita in catholico diario *La Croix*, 21 iunii 1914.

buccinatam suam conversionem, testatur, in anterioribus suis scriptis, quae tamen sunt obscenitatis prorsus scandalosae, nihil deesse nisi hanc veluti « mise au point »,[1] aut magicam quamdam « sauce mystique », lubricos amores quosque in Deum referentem; sicut in toto libro *De l'Angelus de l'aube à l'Angelus du soir*, quem ex titulo incautus quasi pium crederet, dum e contra a capite ad finem lascivas picturas et actiones eructat.[2]

Et sane posteriora eius scripta per hoc maxime a praecedentibus discrepant, quod magis consperguntur falso mysticismo, qui interdum profanationem constituit vere sacrilegam. Ita in suo Rosario inter alia haec habet.[3] Ad inventionem Iesu in templo:

Par le baiser perdu, par l'amour redonné,
Je vous salue, Marie.

Ad Domini flagellationem:

Par les gosses battus par l'ivrogne qui rentre,
Par l'âne qui reçoit des coups de pied au ventre,
Par la vierge vendue qu'on a déshabillée ...

Ad Crucis baiulationem:

Par le cheval tombé sous le chariot qu'il traîne ...[4]

[1] Hanc « mise au point » ita ipse exprimit:

Maintenant, ô mon Dieu, je sais que chaque chose
Porte en soi son Mystère et que Vous le savez.
Ceci est un caillou, ceci est une rose,
Ceci est une femme et ceci un baiser. *

Unde amorose semper cantare meretrices, est orationi perpetuae vacare:

Mon cœur chante à la femme un angélus sans fin. **

[2] Mirum sane, tam scandalosas paginas a criticis catholicis quibusdam, imo sacerdotibus fuisse catholicae iuventuti commendatas. In praefatione, quae claudit invitatione *Angélus sonne*, auctor inspiranti Deo tribuit quaecumque est cantaturus. Simili profanatione Batty inducit suas elucubrationes hisce verbis:

Je suis venu faire entendre
La parole la plus tendre:
Celle de Notre-Seigneur.
Ouvrez tout grand votre cœur.

[3] Valde arduum dictu est, ubinam in scriptis Jammes incipiat conversionis influxus. Quod caeteroquin parum refert, quum soleat opera diversi stadii permiscere nec peiora unquam debito modo retractarit.

[4] *Clairières dans le ciel - L'Eglise habillée de feuilles*, p. 204, 206 sq.

* *Clairière dans le ciel. - L'Eglise habillée de feuilles*, p. 167.

** *Les deuil des Primevères - Prière pour se recueillir*, p. 192.

Est quippe Jammes pantheistica pietate erga bestias mystice affectus. Mortuum suum canem ita appellat:

O toi qui m'as aimé ainsi qu'un saint son Dieu! [1]

Et inter *quatorze prières* una legitur: *Prière pour aller au Paradis avec les ânes.* [2]

Verbo: iuxta hunc mysticismum, in profano amore ipse Deus amatur; in velata corporis humani specie, ipse Deus velatur: unde carnis mortificatio ipsum cruciat Deum:

Ce n'est point nous, mais Dieu, qui murmurons: « Je t'aime »,
Quand notre amour s'endort douce et entrelacée.
Je ne porterai point de corde autour des reins:
Car c'est insulter Dieu que de meurtrir la chair ...
Je n'admirerai point celles aux fauves bures,
Car c'est nous voiler Dieu que voiler la beauté ... [3]

Posito hoc principio, nihil est tam sancti, quod ab istis pseudo-mysticis non profanetur. Iuxta Leonem Bloy, – parcat exemplo lector, – vir in amplexu muliebri emittens semen, est figura Christi extensis in cruce brachiis emittentis spiritum. [4] Cuius blasphemi styli antesignanus fuit ipsius Bloy magister Barbey d'Aurevilly, [5] quem coaequarunt Baudelaire [6] et Verlaine. [7]

[1] Ibid., p. 191.

[2] *Le deuil des Primevères. Prières,* VIII, p. 185 sq. In hac oratione negantur poenae inferni: *Il n'y a pas d'enfer au pays du Bon-Dieu.*

[3] Ibidem, X, *Prière pour se recueillir.* Recte de Jammes ait Raymundus Hubert: « On le constate, Jammes est un érotique que le culte des sens a approché « non pas de Dieu, comme il croit, mais d'un Dieu qu'il prend bien à tort pour « celui des chrétiens, alors que ce n'est qu'un Eros revêtu d'oripaux mystiques » (op. cit., t. I, p. 340).

[4] *Mendiant ingrat,* p. 276. Latino sermone ipse audaciam blasphemiae temperavit, ne offenderet oculos « des jeunes filles ». Mirum sane pudibundi calami scrupulum!

[5] Cf. opus cui titulus: *Diaboliques* conscriptum post auctoris dictam conversionem.

[6] Et tamen non defuit in campo catholico laus satanici operis *Les fleurs du mal.* Imo Mauriac, in ephemeridibus *Revue de la jeunesse,* hoc sacrilegum carmen cum cantico S. Francisci Assisiensis conferre non erubuit!

[7] In anima Verlaine perversitatem et mysticismum monstruoso connubio cohabitasse, nemo ignorat. Sane pulchra quaedam, imo pulcherrima carmina sacra Verlaine cecinit. * Sed non ob hoc meretur poëta christianus salutari, nec absque debita

* Cf. imprimis *Sagesse,* in quo poëmate pulcherrima sane sunt carmina quae incipiunt: *O mon Dieu, vous m'avez blessé d'amour. - Je ne veux plus aimer que ma mère Marie. - Mon Dieu m'a dit: « Mon fils, il faut m'aimer ».* - Et ultimum: *C'est la fête du blé, c'est la fête du pain.* Sed istae gemmae et aliae ex *Amour. Bonheur, Liturgies intimes,* quid sunt in tam magno et nauseoso sterquilinio?

Imo, si audias Leonem Bloy, ipsa prostitutio non caret altiore ratione figurativa. Sed intelligentia haec altior est privilegium paucorum, quos describit « les très rares indi- « vidus capables de sentir le profond mystère évoqué par « ce mot de prostitution ». Unde mitius iudicat « cette pro- « stitution figurative du sexe dont les seuls cafards ont une « ostensible horreur, et que je m'obstine à croire mystérieuse « et inexpliquée ».[1]

Ex hoc cogitandi et loquendi vitio apud istos scriptores frequenter occurrunt allusiones et subaudita, quae, si sacro textu sacrave persona decorantur, sunt ad minus graviter indecentia, uti haec Eduardi Montier:

Tout homme imite au moins en ceci l'Evangile:
Jésus vit un jeune homme, et l'ayant vu, l'aima.[2]

Quis neget, his verbis subesse aequivocationem, ne dicam impiam, saltem pessimi gustus?

restrictione laudari, uti a quibusdam criticis catholicis actum est. Cum quanta sinceritate christianos versus composuerit, secretum est Dei. Quod, heu nimis constat, est Verlaine post dictam suam conversionem quasi immediate in anteactae vitae pessima vitia recidisse, simultanee, – uti probat titulus *Parallèlement*, – pia et obscena carmina composuisse, et absque ullo poenitentiae signo, luxuria et ebrietate exhaustum, in nosocomio obiisse, quin aliud testamentum relinquerit quam, titulo *Hommes*, sodomiae – erat quippe a longo tempore huic nefando vitio deditus, * – tam audacem apologiam ut typis vulgata non fuerit. Quis autem, si christianae pietatis aliqualem sensum servavit, non indignabundus protestetur contra blasphemam comparationem qua usi sunt auctores iam citati operis: *Les derniers jours de Paul Verlaine:* « Quand on considère cette nature double, toujours douloureuse et « torturée, Paul Verlaine nous apparaît comme un Christ de la poésie, qui s'est « sacrifié pour nous offrir le meilleur et le pire de lui-même » (op. cit., p. 256). Longe severius Donos, *Verlaine intime*, p. 84.

[1] *Belluaires et porchers*, p. 14, 282.

[2] *Idéal jeunesse*, p. 10.

* Non solum Verlaine, sed et Baudelaire huius pessimi vitii fuerunt aperti patroni, et post eos Petrus Louys. Imo Mauritius Barrès, in prologo citatae biographiae Cazals, in hanc monstruositatem est nimis benignus. Quin et alii huius pseudo-mysticae scholae eam a suo mysticismo non satis excludere videntur. Secus quomodo loquerentur de sensu christiano qui subesse possit passioni in secunda *Egloga* Vergilii depictae? Severe at recte ait laudatus Raymundus Hubert: « C'est un véri- « table attentat à la morale que, comme le fait M. Vallery-Radot, d'exalter sans « cesse Verlaine auprès de la jeunesse chrétienne, fût-ce même à l'occasion de ses « poésies religieuses, du moment où l'on s'abstient soigneusement de toute réserve « pour la complète infamie du surplus de l'œuvre, même postérieure à la conversion, « où est exalté le vice contre nature et qui dans ces conditions ... ne peut être qu'une « école d'inversion sexuelle pour la jeunesse des deux sexes » (op. cit., t. I, p. 52, not. 43).

Et illa, forsan, in carmine de David et Jonatha:

Mais plutôt il l'aima comme lui-même; et tendre
Auprès de lui sans cesse il le voulut avoir;
Il ne lui permit point désormais de reprendre
Le chemin du foyer paternel chaque soir.[1]

Ex dictis melius patet quomodo iudicanda sit supra allata sententia: « C'est l'empire sans fin de l'amour qui contribue « à assurer l'empire sans fin de la foi ».[2] Et haec altera: « Il y a en ce moment un renouveau très certain de litté- « rature chrétienne; des jeunes gens de foi profonde et d'une

[1] *Empires sans fin. - David et Jonathas,* p. 36. - Sed et misso hoc ultimo versu, negari nequit Montier in eodem libro tam morbida admiratione physicam venustatem adulescentulorum sibi carissimorum depingere, ut prope iaceat suspicio amoris naturae limites excedentis. Et quid insinuant versus sequentes, quibus poëta praedilectum discipulum alloquitur:

Je veux te dire aussi les choses
Délicieuses de l'amour,
Pour t'épargner les soirs moroses
Et les hontes du petit jour. *

Non erant certo colloquia spiritualia. Nec omnia sane sub hoc respectu bene sonant in eiusmodi auctoris libro cui titulus: *L'âge enclos dans un collège libre.*

[2] Similis prorsus theoria amoris sensualis, conducentis, ope symbolismi, ad amorem Dei, exponitur in carminibus anglici poëtae Coventry Patmore, quorum Claudel gallicam versionem partialem confecit. De hoc poëta, et ipso neo-converso, Vallery-Lardaud in prologo haec scribit: « Un jour il dit à Edmond Gosse, en parlant de « nos Petits Conteurs du XVIII siècle: "Ils ne sont pas aussi polissons qu'on veut « bien le dire: leurs idées sur l'amour sont en grande partie catholiques„. C'est « pour réagir contre le catholicisme pudibond, peureux des idées et de l'art, presque « puritain et presque protestant, qu'il insistait sur ces choses, et sa haine de Man- « ning, qui lui paraissait représenter cette étroitesse d'esprit, n'a pas d'autre cause ».** Quidquid sit, Coventry Patmore non videtur nobis ex toto adscribendus scholae de qua hic agimus. Sane damnabilis est titulus poëmatis *The unknown Eros.* Sed fundamentalis idea quae hoc poëma inspirat, sat affinis est argumento *Cantici Canticorum,* et audaciores expressiones quae in eo recurrunt, praeter quasdam nimis sensuales, vix superant formulas in mystica liturgia frequentes. Recte intellectum, carmen *Eros et Psyché,* - excepto titulo valde infelice, - multa continet valde pulchra et altiori mysticismo consona. Quum autem agatur de argumento subtili, in quo excussus etiam minimus ad gravia damna conducere potest, - nam hic valet effatum: « corruptio optimi pessima », - non potest Patmore catholicis lectoribus absque periculo in exemplum adduci, nec Claudel eius poëma *Eros et Psyché* gallico sermone reddidisset, nisi suas in eo ipsas ideas invenisset, iuxta iudicium quod de eo fert Vallery-Lardaud: « Patmore a été conduit au christianisme par l'amour « sexuel ».***

* Op. cit., *Le disciple,* p. 44.

** Coventry Patmore *Poèmes,* p. 54.

*** *Nouvelle Revue française,* p. 38.

« esthétique délicate montent de plus en plus dans la célé-« brité littéraire et dans la sympathie des lecteurs ».[1] Iam unam qualitatem huius « esthétique délicate » detegimus: abusum scilicet falsi mysticismi, de quo criticus non catholicus optime dixit: « Notre mysticisme français est une con-« tinuation du mysticisme païen ... C'est toujours le même « amour ».[2]

5) Sed et aliud vitium in hac « esthétique délicate » est severe corripiendum: realismus scilicet impudentissimus, quo omnia, etiam pessima, ita describuntur, ut inter Jammismum, et Zolismum vix aliquid intersit, nisi falsus iste mysticismus qui priorem altero reddit quasi peiorem. Criterium quo isti scriptores ducuntur et suas elucubrationes tegunt, hisce verbis exprimit Vaussard in ephemeridibus catholicae iuventuti destinatis: « Il est inadmissible de mettre à sa « charge (Baumann, scilicet) les idées malsaines qui peuvent « quêter leur pâture autour de ses conceptions. " Pour les « immondes, tout est immonde „.[3] C'est à ceux qui lisent « de maîtriser leurs instincts, aussi bien en présence d'une « scène imaginaire que dans les rencontres de la vie ».[4] Insulsa prorsus comparatio!

Quaenam, quaeso, narrativa audacia cum tali criterio pugnabit? Nonne ianuam aperit cuivis etiam pessimae descriptivae licentiae? Insuper, quo iure tu haec libidinosa fingis, et lectorem in ea fraudulenter attrahis, vere eum in tentationes inducens? Et hanc licentiam propugnant tamquam reditum ad mysticam aetatem mediam! « Grâce à

[1] Op. cit., *Préface*, p. VI.

[2] *Mercure de France*, 16 avril 1916, p. 270.

[3] En rursus specimen audaciae qua isti auctores sententiis Scripturarum ad placita sua confirmanda abutuntur (cf. TIT. I, 15). Nihil mirum proin, volumen cui titulus: *Hommage à Verlaine* esse librum immoralitate et impietate pessimum. Unde de genuina indole suae conversionis grave dubium cuivis honesto lectori iniecerunt Jammes et Claudel tali laudi adlaborando, sicuti Claudel, iuxta superius dicta, prologo quem praemisit carminibus Rimbaud. Haud dissimili modo Psichari, dum iam ad nos conversus dicebatur, librum edebat *Appel aux armes*, in quo luxuria, quin et contra naturam, tamquam ad militares virtutes pertinens exhibetur; nec alium librum adhuc peiorem, *Terre de soleil*, ullatenus retractavit; in quo tamen sat aperta habetur sodomitici vitii apologia, uti demonstrat sententia sequens: « Aussi telle cou-« cherie, qui chez nous (in Gallia) serait ignoble, apparaît ici (in Africa) saine et « permise » (p. 152).

[4] *Revue de la jeunesse*, t. IX, 600.

« elle », ait Vallery-Radot, de opere romantico loquens, « un « Baudelaire, un Verlaine pourront retrouver la tradition « du moyen-âge mystique et redonner aux impuretés de la « chair, en place des fards d'Aphrodite, les couleurs soufrées « du péché. *Sagesse* restitue l'âme et le corps au Dieu de « la Cène et du Calvaire. Puis Claudel, Jammes, Le Car- « donnel, Peguy, [1] entonneront le cantique des cantiques ». [2]

Ad libidinosas suas audacias excusandas, aut imo tuendas, isti provocant ad Sacras Scripturas. Sed e contra Sacrae Scripturae, quando, instructionis causa, facta scandalosa narrant, magna utuntur cautione, ne lector scandalum inde patiatur. Ut gemino exemplo utar: in narratione adulterii David cum uxore Uriae, et libidinis seniorum Suzannam opprimere conantium, nulla prorsus adest pictura quae passionis stimulos excitet, quales isti morbida complacentia accumulassent. - Provocant modeste ad Augustinum. Imo unus ex eis uti novus Augustinus fuit salutatus. Sed quid, quaeso, commune inter obscenum realismum istorum pseudo-mysticorum, et modum humilem simul ac sobrium quo magnus Doctor errores suos evocat, ut inde in mirabiles Dei laudes prorumpat? - Citant in sui defensionem S. Agnetem, quae et ipsa lupanaris turpitudines illaesa vidit. Ideone tu, qui ante dictam tuam conversionem tot huiusmodi loca frequentasti, ius habes eo adducendi lectores, qui haec pudenda felicius ex toto ignorarent? [3] Alia exempla taceo eadem

[1] Iste auctor neque doctrina neque stylo catholicis scriptoribus est adnumerandus, neque in Ecclesiae sinu obiit. Bene de eo Mgr Battifol: « La conversion de « Péguy était un commencement de conversion, et sa foi, une aube de foi » (*Autour de Péguy. Croix,* 7 mai 1915).

[2] *Anthologie de la poésie catholique* (Crès, 1916. Préf., p. x). Similibus laudibus vere scandalosis iuventus catholica huius regionis inducitur ad legenda horum auctorum opera blasphemiis et impuritatibus plena. Nil mirum, Vallery-Radot tali criterio ductum, potuisse ad impium scriptorem Marcel Boulanger, immoralitate suorum operum nimis notum, haec inter alia scribere: « Voyez-vous, mon cher con- « frère, je suis sûr que nous pensons de même sur beaucoup de points, sur la morale, « ou du moins sur quelques points de cette science, si mal comprise, puisque j'abhorre « également comme vous ceux qui l'exploitent ». Nonne Manichaeos intendit illos, contra quos alibi invehit?

[3] Hinc immensum discrimen quod interest, v. gr. inter artem Renati Bazin et scriptorum huic scholae addictorum. Nihil in pulcherrimis libris Bazin christianum pudorem offendit. Et quod dictum est de moribus, valet etiam de expositione falsarum et impiarum doctrinarum. In aliis plerisque auctoribus istae theoriae tam

levitate adducta. [1] Intolerabilis est haec nova « esthétique « délicate », cuius lugendum consequens sensum moralem tantopere depressit, ut iam a catholicis criticis defendatur quod paucis abhinc annis neque ab aliis fuisset toleratum. [2] Quantopere isti recedunt a gravi monitu S. Pauli dicentis, huiusmodi turpitudines inter Christianos nec esse nominandas! [3] Quanto minus sunt publice ac veluti photograhice, ne dicam libidinose, describendae.

6) Restat vitium in hac schola passim latens, at in quibusdam scholae patronis apertissimum: Paracletismus scilicet, quo, post regnum Christi nimis dure carnem deprimentis, expectatur Spiritus Sancti regnum, ad quod per anticipationem pertinent quotquot luxuriae blanditiis detinentur. Inter hos scriptores eminet Leo Bloy, quem non unus uti parentem salutat. En quo modo demonstrat, hoc Paracleti regnum a sancto Paulo fuisse prophetice annuntiatum: « Non est « regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium

crudo modo exprimuntur, ut lectores inde non raro detrimentum accipiant. Ita, in libro Pauli Bourget, cui titulus *Le sens de la mort,* blasphemiae a materialistico medico Ortègue prolatae, tanto vigore sunt expositae, ut nihil ex altera parte sat efficaciter eis opponatur. Est quippe virginitas quaedam mentis et cordis, quae per huiusmodi libros gravi naufragio periclitatur.

[1] Audiatur Vallery-Radot: « La vision catholique pénètre aussi bien dans les « enfers que dans le paradis. Elle n'a peur de rien. Le rayonnement de sa pureté « transfigure tout. La vision catholique entre partout, proférant les paroles de vie, « avec Paphnuce dans la chambre de Thaïs, avec Agnès dans le lupanar, avec Daniel « au milieu de l'orgie de Balthazar, elle dénombre avec Angèle de Foligno, pour « les brûler au fer rouge de la honte, tous les tristes péchés de la convoitise charnelle; avec Ezéchiel elle évoque les prostituées sous les thérébinthes et au carre- « four des rues, elle flétrit les fornications d'Oola et d'Ooliba. Encore une fois, elle « brave tout, parce qu'elle est pure et sait voir purement ». * Et sequitur laus carnis superius allata.

[2] Unde François Laurentie affirmat: « Le catholicisme permet tout, pourvu que « l'art ne fasse pas du bien le mal et du mal le bien ». ** Et Batty, ulterius progrediens, ait partes critici non esse « de critiquer en elles-mêmes la doctrine ou la moralité d'une Œuvre, mais seulement de préciser combien cette hérésie ou cette « immoralité diminuent sa valeur esthétique ». Quum in theatrali opere Henrici Bataille, cui titulus *Phalène,* in fine heroina Thyrn Marliew se in scena exhiberet nudam, Batty hanc audaciam non damnat in se, sed unice addit, quod catholicus dramaturga, « pour rendre poignante cette scène », procacem hanc exhibitionem mystico contrastu temperasset.

[3] Ephes., v, 3.

* *Déclaration. Cahiers,* 1914, Janv. n. 1, pp. 4, 5.

** *Sur Barbey d'Aurvilly, Etudes et fragments,* p. 38.

« in Spiritu Sancto ». [1] « Dans l'Absolu *Esca* et *Potus* ne « peuvent signifier que les Espèces eucharistiques. Saint Paul « parle donc ici en Prophète, le Règne de Dieu ne devant « être réalisé que par la *Troisième Personne* ». [2] Huius regni adventum nos rogare docet Christus: « Adveniat regnum « tuum ». [3] Ecce autem huius regni indolem: « Les adora- « teurs du Père me semblent dévolus aux péchés d'Orgueil, « de Colère et de Paresse. Ceux du Fils aux péchés d'Ava- « rice, de Gourmandise. Ceux de Saint-Esprit, au seul péché « de luxure. C'est parmi les luxurieux que le Paraclet ramas- « sera son troupeau ». [4]

Hoc regnum figuratur per filii prodigi parabolam, in qua pater repraesentat Iehovah, filius maior natu Christum, prodigus Spiritum Sanctum: « L'Esprit Créateur, dont le souffle « est vagabond [5] et dont la fonction divine paraît être, en vé- « rité, depuis six mille ans, de nourrir les cochons chrétiens, « après avoir pâturé les pourceaux de la Synagogue ». [6]

Eiusdem regni exspectatio scriptori Baumann hanc interrogationem inspiravit: « Où le Verbe rendra-t-il à la terre « épurée par le feu son natif Paradis? » [7] Millenarismo enim antiquo addicti, terrenum quemdam paradisum isti videntur expectare ita instauratum, ut Mahumedanae voluptates non nimis rigorose ab eo excludantur: etenim, redintegrata carne tamdiu sub iugo Crucis depressa, regnum erit se libere expandentis amoris.

Rom., xiv, 17.

[2] *Le pèlerin de l'Absolu*, p. 37.

[3] *Vie de Mélanie*. Introd., p. xxix. Hinc Leo Bloy devotionem ad B. V. de Salette tantopere exaltat, quia in hac apparitione nuntium agnoscit proximi regni Spiritus Sancti. Hinc tam emphatice scribit de Napoleone, utpote in quo hoc regnum videt praefiguratum (*Ame de Napoléon*). Hinc specialis eius benevolentia erga Hebraeos: « Israël est investi, par privilège, de la représentation, et d'on ne sait quelle « très occulte protection de ce Paraclet errant dont il fut l'habitacle et le recéleur ». (*Le salut par les Juifs*, p. 114).

[4] *Mendiant ingrat*, p. 127.

[5] Cf. librum Ritté cui titulus: *L'Esprit qui souffle*.

[6] *Le salut par les Juifs*, p. 100. - Habet heic lector egregium specimen styli vere porcini huius auctoris, qui tamen in pornographiam vehementer invehit. Qui ideam cupit habere ad quem vulgaritatis gradum conducere possit « l'esthétique « délicate » istorum auctorum « de foi profonde », legat inter opera Leonis Bloy, *Contes désobligeants* et inter scripta Francisci Jammes, *Existences*.

[7] *Amitié de France*, mai-juin-juill. 1915, p. 116.

Ex dictis hucusque patet, non multum excedere, si tamen excedat, Raymundum Hubert, quando hanc pseudomysticam scholam ita describit: « Le groupe s'est donné pour « mission de greffer sur le christianisme l'impudicité païenne, « à la manière des gnostiques. Une fois de plus, l'histoire « est encore un recommencement, suivant la légendaire for- « mule de Vico, et elle s'affirme telle par les résultats iden- « tiques de ce sacrilège amalgame, à dix-huit siècles d'inter- « valle. Aujourd'hui, tout comme aux temps de la primitive « Eglise, l'association du mysticisme à la luxure aggrave « encore singulièrement l'ignomie de celle-ci, et de même « que les chrétiens qui se prétendaient des gnostiques scan- « dalisaient les païens eux-mêmes par leur dépravation, de « même le Groupe stupéfie les libres penseurs [1] par son « mépris de la morale chrétienne, et ce sont ceux-ci qui, « à l'occasion, leur apprennent le catéchisme ». [2]

Quod autem his ipsis excessibus aliqualiter magis deplorandum videtur, est benevolentia quo istos scriptores recipiunt critici catholici, quin et sacerdotes et religiosi institutis optimae famae adscripti, – nomina ex charitate taceo, – idque in diariis et ephemeridibus catholico populo, imo catholicae iuventuti, destinatis.

Equidem non ignoro, erga neophytos ad fidem conversos magnam adhibendam esse benevolentiam; nec recuso monitum cl. Lesêtre: « Au lieu de chercher surtout dans les hom- « mes et dans leurs œuvres ce qu'il y a de defectueux, elle (la « charité) s'arrête volontiers à ce qu'il y a de meilleur, le met « en lumière, ne craint pas de le louer, et n'en est ensuite que « plus autorisée à formuler les restrictions nécessaires ». [3]

[1] Ita *Le Grix* mysticismum huius scholae vocat falsum et indecentem « faux et « indécent » (*Revue hebdomadaire*, 6 déc. 1913, p. 101).

[2] Op. cit., *Introd récapit.*, t. I, p. 4. Sane isti scriptores uti prope innocuas describunt sensuales libertates quas doctrina catholica condemnat uti graves; ita loquuntur quasi hac in re gravitas materiae incipiat ab adulterio. Imo continentiam iudicant moraliter impossibilem. V. gr. Eduardus Montier, allato iudicio cuiusdam medici « libre penseur », qui physicam possibilitatem continentiae propugnat, addit: « Les plus sévères moralistes catholiques oseraient à peine signer ces lignes, tant « elles sont en désaccord avec les idées courantes » (*Education du sentiment*). Inde indulgens compassio qua loqui solent de prostitutione et meretricibus; inde libertas qua lupanaris scenas describunt.

[3] *Vérité et charité.* – *Revue du clergé français*, 1er avr. 1912, p. 37.

Dummodo istae debitae restrictiones fiant; in quo illi critici plerumque deficiunt. Sane si benigne excipiendi et iuvandi sunt errorum et vitiorum victimae, quae ad fidem et morum puritatem pervenerunt aut pervenire cupiunt; intolerabile est, similes, antequam ad nostros vere et plene pertineant, [1] munus sibi arrogare ipsam Ecclesiam regendi et suaque placita tamquam generosiorem [2] et sublimiorem doctrinam propagandi. Tam magnum periculum libere manifestare et omni conatu depellere, munus est charitatis altioris, quae unice nobis hanc appendicem inspiravit.

ARTICULUS IV.

UTRUM PECCATUM ORIGINALE SIT AEQUALITER IN OMNIBUS.

De ipsa Quaestione. - 1) In articulo secundo huius Quaestionis vidimus, habitum peccati originalis esse unum, tum ex parte causae, tum ex parte essentiae peccati originalis. Idem argumentum servit ad praesens quaesitum solvendum.

[1] Quo tempore Ferdinandus Brunetière, - cuius apologetica methodus erat valde deficiens, * - magna iam apud Galliae fideles gaudebat auctoritate, nondum tamen ipse ad plenam fidei et humilem religionis praxim conversus, catholicus quidam ex illa regione apud Pium X, ven. mem., praestigias eiusdem exaltabat, quasi esset novus quidam Ecclesiae pater. Cui subridens Pontifex lepide respondit: « Ecclesiae « pater? At nondum eius est filius! ». Ita ex hisce scriptoribus tamquam securi doctores et duci extolluntur, qui nondum sunt nec unquam fuerunt genuini discipuli.

[2] Moris est novatorum, imprimis modernistarum, suam extollere doctrinam quasi temporibus novis melius aptatam, utpote minus angustam. Paucis abhinc annis, sacerdos quidam Italus, ad illa castra pertinens, et alios, imprimis iuvenes, facili sua facundia trahens, hanc profundam ab eodem Pontifice responsionem accepit: « Fili, donis qua a Deo accepisti, nedum utaris in fidelium provectum, e « contra in eorum damnum abuteris ». - Cui ille: « Sed, Pater Sancte, Ecclesiae por- « tam conor dilatare, quo plures per eam ingrediantur ». Ad quae severe Pius X: « Tu portam dilatare praesumis, quam ipse Christus declaravit esse angustam? Per « hanc portam tuam multi, qui sunt intus, egredientur; ingredietur autem nemo, « quia non est porta Christi! ». - Simili modo, per huius scholae scripta, - quanta-

* Cf. Ed. Janssens (l. *Apologétique de M. Brunetière* in *Revue néo-scholastique*, 1908, t. x, p. 264 sqq.). De huiusmodi neo-apologistis - inter quos eminet Ollé-Laprune (*La certitude morale*, 1880), - cf. Gisler (*Der Modernismus*, Einsieldeln, 1912, p. 251 sqq.). Bene eos ita describit cl. Ios. Van der Meersch in egregio suo opere cui titulus: *Tractatus de Deo uno et trino:* « Neo-apologistae vocantur illi auctores « qui, praesertim in Gallia, apologeticam traditionalem vel ut insufficientem habent « vel ut invalidam, contenduntque munus apologistae magis consistere in excitanda « voluntate ad credendum, quam in demonstranda *intellectui* veritate: quidam viden- « tur intellectui voluntatem substituere » (Brugis, Car. Beyaert, 1917, p. 89).

Etenim si inaequaliter inesset peccatum originale in variis hominibus, hoc esset vel ex parte causae vel ex parte essentiae. Utrumque autem repugnat.

2) Primum quidem admitti nequit, quia eadem in omnibus est ratio proportionis, propter eamdem derivationem ab Adamo. Sed hic duplex oritur solvenda difficultas. Esto eamdem esse cum Adamo relationem. Sed nonne considerandа occurrit proportio ex traductione immediata? Scilicet quum *a*) libido, inseparabilis ab actu generandi, possit esse maior vel minor, et concupiscentia per generationem traducatur, videtur per consequens maior vel minor traducenda concupiscentia, et proinde ipsum peccatum originale maius vel minus. Insuper *b*) complexio physica per generationem traducitur. Atqui dantur complexiones plus vel minus in pravam concupiscentiam pronae. Ergo hac rursus ratione peccatum originale ex parte originis patitur gradus.

3) Utrique argumento respondetur: *a*) Neutrum valet pro illis qui non ponunt concupiscentiam uti partem ipsius peccati originalis, neque tenent per illam formaliter ut talem peccatum originale traduci. – *b*) Sed nec pro illis valet qui admittunt, in sensu S. Thomae vel S. Bonaventurae, concupiscentiam esse materiale peccati originalis, illiusque esse, formaliter uti talem, traductionis instrumentum. Quod sic ostenditur.

Non valet primum. Nam in generante non est considerandа libido actualis, sed habitualis; quemadmodum dicit S. Thomas in resp. ad 3^{m}; et II Dist. XXXII, q. 1 a 3 ad 1^{m}, ubi difficultatem paulo aliter proponit.[1] – Neque valet alterum. Nam complexio physica magis vel minus ad concupiscentiam inclinans, non est pars concupiscentiae quatenus concupiscentia peccatum originale ingreditur, uti mox patebit.

4) Repugnat igitur inaequalitas peccati originalis a parte ipsius *originis*, seu causae. Sed et pariter repugnat ex parte

cumque sit auctorum peritia artis et imo recta coram Deo intentio, - multi iuvenes utriusque sexus mente et corde pervertentur, ad veram autem christianam vitam, - nisi aliunde suppleat gratia, - adduc.tur nemo.

[1] Conclusio enim ibi sonat: « Cum ergo quanto magis homo a primo generante « distat, tanto plures tales actus inficientes inveniantur, videtur quod semper in « prole inveniatur maior infectio fomitis quam in parente ».

essentiae. Etenim, sive dicas peccatum originale esse simpliciter privationem iustitiae originalis, gratiae scilicet iustificantis inesse debitae;[1] sive dicas illud insuper esse privationem integritatis originalis pariter inesse debitae, semper habes privationem, eamque totalem. Iam vero talis privatio non patitur magis vel minus. – *Instabis* iterum. Sed quid de maiori vel minori conversione ad sensibilia propter complexionem magis vel minus temperantiae repugnantem? *Resp.* Distinguendum est in concupiscentia id quod est naturae specificae, et illud quod est naturae individualis. Primum pertinet ad peccatum originale, quod est peccatum naturae; alterum vero, quum afficiat personam, non ad peccatum originale pertinet, nisi remote, quatenus scilicet peccatum originale est removens prohibens, id est harmoniam dico primordialem, qua vires inferiores cohibebantur ne contra superiores rebellarent.[2]

5) Apparet proin, in concupiscentia, quemadmodum et in morte, duplicem esse respectum, alterum privativum, naturalem speciei, id est amissionem integritatis (immortalitatis); alterum positivum, naturalem individuo, pronitatem maiorem vel minorem in concupiscibilia (maiorem, minorem dispositionem ad celerem vel talem mortis formam). Prior respectus in omnibus est aequalis, et pertinet ad peccatum originale directe; alter est inaequalis, at nonnisi indirecte ad peccatum originale pertinet.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* negligit dicta n. 4.

2ª Obi. Non attendit ad conclusionem n. 5.

3ª Obi. Praetermittit considerationes expositas n. 3.

Sed contra est. Confirmatur huius argumenti maior[3] per omnes Scripturae locutiones quibus peccatum originale ad naturam pertinere ostenditur, v. gr.: « Eramus natura filii « irae », vel tamquam aliquid unum singulare monstratur;

[1] Abstrahimus hic a quaestione de modo quo iuxta Scotum iustitia originalis se habet ad charitatem. * Haec remittimus ad tractatum *De Gratia.*

[2] Cf. de hoc argumento S. Th. II, Dist. XXXII, q. 1, a. 3.

[3] Eodem principio S. Thomas (loc. cit.) inducit argumentum. « Cum corruptio « fomitis sit per se infectio humanae naturae, oportet idem esse iudicium de inten- « tione eius et de intentione humanae naturae ».

* In II, Dist. XXIX, q. 1, § *Potest dici.* Cf. VASQUEZ, op. cit., loc. cit.

v. gr.: « Ecce qui tollit peccatum mundi ». - Pariter confirmatur ex unico sacramentali lavacro, quo pari ritu omnes regenerantur.

In Corpore. Argumentum est limpidissimum. Adverte quomodo vicissim defectus originalis iustitiae influat in relationem, et relatio in defectum. - Observa pariter, originalem iustitiam in hoc argumento complecti tum elementum formale, tum elementum materiale, iuxta doctrinam praecedentis articuli.

Corollarium. - Ex doctrina in hoc articulo exposita et ex modo qua obiectiones solvimus, apparet quid in transmissione peccati originalis influat concupiscentia actualis in generante.

Concupiscentia in generante potest triplici veluti gradu concipi: *a*) prout dicit absentiam doni integritatis organica via transmittenda; *b*) prout maxime in ipso acto generationis apparet; *c*) prout in singulis generantibus, dum generant, est talis vel talis gradus.

Certo tenendum est, primum gradum influere, et tertium non influere, etiamsi influere posset in complexionem generandi. Dubium potest moveri de secundo. Nobis affirmative videtur respondendum, ita tamen ut excludatur tertium. Unde non censemus fundatam obiectionem quae contra hunc modum concipiendi viam traductionis peccati originalis movetur, ex melius hodie cognito processu generationis. Putamus enim hunc secundum gradum esse consequentem primi gradus, praecise quia defectus integritatis, qui transfunditur, maxime in generationis actu apparet. Nec credimus S. Augustinum aliter esse locutum. Secus in ipsa peccati originalis transfusione gradus admisisset.[1]

[1] Censemus proin aliqualiter excedere cl. Laminne quando scribit: « Il est vrai « que l'évêque d'Hippone insiste sur les mouvements de la concupiscence, qui se « produisent dans l'union des sexes, pour expliquer que la concupiscence se transmet « au fruit de cette union. Cette idée, qui est évidemment dénuée de tout fondement, « doit s'attribuer à la connaissance très imparfaite que l'on avait à cette époque sur « la nature et les conditions de l'acte générateur. Nous savons aujourd'hui que le « rapprochement des sexes a uniquement pour but de rendre possible la fusion des « cellules reproductrices, et n'exerce aucune influence sur la constitution de ces cel- « lules qui contiennent en germe les caractères organiques de l'enfant ». *

* Op. cit., ch. IV, p. 115 sq.

Quaestioni de essentia peccati originalis, adnectitur quaestio de *vulneribus* originalis peccati. Quam quaestionem ad quartum paragraphum huius Capitis remittimus.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Vere habitus est peccatum originale, non quidem *potentiam ad operationem* afficiens, sed, rupto harmoniae vinculo, *totam* hominis *naturam male* disponens. Haec nihilominus totius dispositio in operationem influit (a. 1). – Hoc peccatum est unum, *proportione* in omnibus et singulis; pariter in omnibus et singulis *specie;* licet multiplicetur in variis individuis, non in singulis, *numero*. Est proin habitus unus (a. 2). – In hoc autem habitu, inspecta originali iustitia, cui per privationem contrariatur, duplex considerandum est elementum: alterum formale, privatio gratiae, alterum materiale, privatio integritatis, id est concupiscentia, utique cum relatione ad peccatum Adami. Quare concupiscentia cum reatu suo peccatum est. Cessat autem esse peccatum, cessante reatu; licet remaneat peccatum lato sensu, quatenus est a peccato et ad peccatum (a. 3). – Non solum originale peccatum est unum, sed insuper omnibus inest *aequale*, quum in omnibus eadem sit ad Adamum relatio, eademque iustitiae originalis privatio. Etenim relatio et privatio non patiuntur plus vel minus. Quae autem in individuis maior vel minor invenitur vel concupiscentiae actualis intentio in generando, vel ad prava concupiscibilia pronitas in complexione, non afficit peccatum originale, quum hoc respiciat individuum, non naturam (a. 4).

CAPUT III.

DE SUBIECTO ORIGINALIS PECCATI.

(Quaestio LXXXIII).

De ordine Quaestionis. – Per gradus valde logicos S. Thomas, uti de more, argumentum disponit. Primo distinguit in homine *elementa compositi*, et quaerit utrum originalis peccati subiectum sit prius caro quam anima. Posito autem

quod subiectum peccati originalis sit anima, iam distinguit in anima *essentiam et potentias*, et quaerit utrum subiectum sit per prius in essentia quam in potentiis. Quo affirmato, iam distinguit *ordinem inter potentias;* vel rationem specialem qua aliquae prae aliis inficiuntur.

Praesens Quaestio maximi est momenti. Plura quae brevius hucusque tetigimus, iam heic penitius investiganda occurrunt.

ARTICULUS I.

UTRUM ORIGINALE PECCATUM SIT MAGIS IN CARNE QUAM IN ANIMA.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Sensus huius quaesiti potest esse triplex: *a*) Utrum prius tempore corpus sit peccati subiectum quam anima. – *b*) Utrum in composito anima sit magis subiectum quam corpus. – *c*) Utrum in animae infusione infectio sit magis a parte corporis quam ab anima. Haec autem tertia quaesiti forma iam confundit causam cum subiecto.

2) Inde distinctio inter esse in aliquo ut in *causa* et ut in *subiecto* continet in germine solutionem argumenti. Imo distinguendum est inter causam principalem et instrumentalem. Hoc posito, tota doctrina hisce continetur: causa principalis peccati originalis est peccatum Adami; causa instrumentalis est caro seminali via traducta; subiectum autem est anima, non caro.

3) Haec ultima conclusio patet solum pro iis qui secundum catholicam doctrinam tenent voluntarium, esse de essentia cuiusvis peccati, et proin nullibi posse dari peccatum verum ubi nondum sit voluntas.

4) Sed haec ipsa solutio nondum exhaurit argumentum. Remanet enim investigandum: *a*) quomodo oriatur illud peccatum in anima; *b*) cur Deus animam tali creet conditione ex qua sequatur peccatum; *c*) quousque, admisso quod peccatum per prius sit in anima ut subiecto, illud subiectum possit extendi ad totum compositum humanum; *d*) utrum generatio sit traducendi peccati originalis instrumentum speciali ratione quatenus inficitur concupiscentia. Singula breviter percurramus.

5) *a*) Uti certum omnino tenendum est, nihil quod originalis peccati est in anima, esse a Deo. Ad cuius evidentiam distingue cum S. Thoma[1] culpam et poenam. Quod in peccato originali culpa est, totum est a voluntario Adami, unde non magis Deo tribuenda est haec culpa quam ipsum hoc voluntarium. Poena autem considerari potest dupliciter: vel α) uti dicit privationem perfectionis, vel β) uti contrarium infligit vel corrumpit. Priori modo est quidem a Deo, non autem ut a causa agente, sed ut a causa non conferente perfectionem; aliis verbis est a Deo, sed negative, non autem positive. Altero modo est simpliciter a Deo, quum poena a Deo inflicta habeat rationem ordinis, et proin sit bona. Hoc posito apparet, peccatum originale, in quantum dicit culpam, provenire ex voluntario Adami, non a Deo; in quantum dicit poenam, esse a Deo, sive negative sive simpliciter.

Ut autem melius intelligatur quomodo in anima oriatur culpa, distinguendum est inter creationem et infusionem. Licet enim haec duo tempore concordent, logice tamen procedit creatio.[2] Unde quando dico: anima *creatione* maculatur, sensus obvius est falsus; obliquus autem sensus, scilicet anima eodem quo creatur tempore, maculatur, est verus. Quando autem dico: anima *infusione* maculatur, verius dico, quia non solum dum infunditur maculatur, sed etiam per infusionem maculatur; non quidem a parte Dei infundentis, sed a parte corporis cui infunditur. Conclude ergo: a corpore via seminali ab Adamo traducto oriri in anima culpam; non quidem quatenus in corpore culpa iam fuerit, sed quatenus per corpus homo descendit ab Adamo, et voluntarium Adami participat. Cf. dicenda n. 8, ubi haec doctrina completur.

6) *b*) Esto, inquies, Deum non esse peccati originalis causa in anima. Saltem causa est infusionis animae in corpus. Quomodo ergo cum sapientia Dei componitur talis actus ex quo necessario sequitur peccatum? - *Resp.* Nexus inter infusionem et peccatum originale non est a Deo, sed a voluntario Adami. Quare praesens quaestio redundat in

[1] II, Dist. XXXII, q. 2, a. 1.

[2] Trita locutio Augustini: « anima dum creatur infunditur ». Cf. quae de hoc argumento fuse in praecedenti nostro volumine disputavimus.

quaestionem superius solutam de permissione peccatorum.[1] Posito autem hoc nexu Sapientia Dei in infusione animarum optime vindicatur, si bonum magnum ex hac infusione sequatur. Iam vero ita est. Etenim sequentia inde bona fluunt: 1) multiplicatur humanum genus iuxta leges ab initio statutas et in se optimas; 2) servantur bona naturae, etiam sub privatione ordinis supranaturalis; 3) producuntur homines, quibus melius est sic esse quam non esse; 4) eo vel magis quod ordo reparationis damna originalis labis superabunde in multis compensat; 5) demum in illis, qui fructum reparationis non percipiunt, per exclusionem a regno manifestatur Dei iustitia. Cf. mox dicenda de doctrina S. Bonaventurae.

7) *c*) Bonum igitur est infundi animas corporibus ab Adamo traductis, licet in instanti infusionis anima solidaritatis lege maculetur. Haec autem macula non solum afficit animam, sed totum compositum. Non quasi culpae macula sit quoque in corpore formaliter ut corpus est: nam, si hoc dari posset, iam adfuisset ante infusionem animae, et articulus praesens modo inverso esset solvendus. Sed culpae macula sese extendit quoque ad corpus, ut. est pars compositi. Talis macula est reatus concupiscentiae, in sensu ab Augustino intento.

8) *d*) Quae macula concupiscentiae, etsi repugnaret, ante infusionem animae prout est macula, praeexistebat tamen quatenus est languor, vel materia maculae propter modum traductionis per seminalem rationem, a qua irreparabilis est morbida qualitas, sive infectio, quae fuit in statu Adami pars naturae lapsae, et quae proin est instrumentum, quo transfunditur idem status, et per eumdem statum relatio ad causam huius status, scilicet ad voluntarium Adami. Apparet

[1] Huc partim faciunt verba S. Augustini: « Ad iram quippe Dei pertinet iustam, « quidquid coeca et indomita concupiscentia faciunt libenter mali, et quidquid mani- « festis apertisque poenis patiuntur inviti: non sane Creatoris desistente bonitate, et « malis angelis subministrare vitam vivacemque potentiam (quae subministratio si « auferatur, interibunt), et hominum, quamvis de propagine vitiata damnataque « nascentium, formare semina et animare et ordinare membra per temporum aetates, « per locorum spatia vegetare sensus, alimenta donare. Melius enim iudicavit de malis « bene facere, quam nulla mala esse permittere ».*

* *Enchir.*, c. 27.

ergo concupiscentiam per generationem esse vehiculum originalis labis, non solum prouti vis activa est naturalis traductionis humanae speciei ab Adamo, sed prouti ex Adami peccato est vitiata et infecta.

9) Dubitavit utique Augustinus utrum et anima ab anima, an solum corpus a corpore inficerentur;[1] infici autem corpus diserte affirmavit. « Ut ergo et anima et caro pariter utrum-« que puniatur, nisi quod nascitur renascendo emendetur, « profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut « alterum in altero tamquam in vitiato vase corrumpitur, « ubi occulta iustitia divinae legis includitur. Quid autem « horum sit verum, libentius disco quam dico, ne audeam « docere, quod nescio ».[2] Et alibi: « De anima vero, utrum « et ipsa eodem modo (ut caro) propagata reatu, qui ei « dimittitur, obstricta sit..., an etiam non propagata, eo ipso « quo carni peccato aggravanda miscetur, iam ipsius pec-« cati remissione opus habeat... magna quaestio est ».[3]

Quo Augustini dubio post ipsum soluto, iam communis apud posteros theologos facta est altera solutio quam suggerit, nempe animam, uti liquorem mundum, ab immundo vase cui infunditur, maculari. « Sicut ex vase corrupto liquor « infusus corrumpitur, et pollutum contingens ex ipso con-« tactu polluitur: sic ex contagio corporis anima corrumpi-« tur et foedatur ».[4]

Eamdem doctrinam, sed a nimia cruditate liberam, S. Thomas ita exponit: « Anima non inficitur per infectionem cor-« poris, quasi corpore agente in animam, sed per quamdam « *collimitationem unius ad alterum,* quia forma recipitur in « materia secundum conditionem ipsius materiae, cum omne « quod est in altero, sit in eo per modum recipientis. Et ideo « ex hoc ipso, quod corpus illa virtute privatur, qua perfecte « erat subiectibile animae, sequitur etiam quod anima illa « virtute careat, qua perfecte corpus subiectum regat ».[5] Et paulo ante: « Peccatum originale non traducitur per tra-

[1] De mente Augustini in praecedenti nostro volumine, data opera, disputavimus.
[2] *Ctr. Iul.*, l. v, c. 4.
[3] *De pecc. mer.*, l. II, c. ult.
[4] INNOCENTIUS III, *In Ps. 50,* 7; cf URBANUS IV, ibid.
[5] II, Dist. XXX, q. 1, a. 2, ad 5[m].

« ductionem sui subiecti, quod est anima rationalis, sed per « traductionem seminis, quia ex quo anima patris per pec- « catum infecta fuit, sequitur etiam inordinatio in corpore, « subtracto illo ordine, quem natura instituta prius acce- « perat, et ita etiam ex semine illo generatur corpus tali « ordine destitutum. Unde et anima, quae tali corpori infun- « ditur, deordinatione culpae contrahit ex hoc ipso, quod « huiusmodi corporis forma efficitur, *cum oporteat perfectio- « nem perfectibili proportionatam esse;* sicut propter ali- « quam corruptionem seminis contingit non tantum defectus « in corpore prolis ex illo semine generatae, ut lepra, poda- « gra, vel aliqua huiusmodi infirmitas, sed etiam defectus in « anima, ut patet ex his qui a nativitate naturaliter sunt « stolidi ».[1] Haec est ipsa doctrina quam pluribus in locis iam brevius exposuimus, tamquam illam cui prae aliis adhaerendum putamus ».[2]

Nec differt haec opinio ab illa Augustini, quoad rem; sed solum quoad formam. Dum S. Augustinus concupiscen-

[1] Ibid., ad 3m. Cave ne hunc locum uti 1° art., Q. LXXXI contrariantem intelligas. Aliud est quod comparatio aliqua adducatur ad rem illustrandam; aliud quod negetur, rem per illam plene illustrari (cf. dicta p. 305).

[2] Iuxta hanc S. Thomae doctrinam, bene scribit Laminne: « Outre qu'elle est la « quasi-matière du péché originel, la concupiscence joue un rôle essentiel dans sa « transmission. La génération est un acte organique: l'hérédité ne concerne donc « directement que les caractères organiques. La philosophie spiritualiste, d'accord avec « la Révélation, enseigne que l'homme possède, outre le vie matérielle, des facultés « dont l'activité ne s'exerce pas par les organes du corps. Ce sont les facultés spiri- « tuelles: l'intelligence et la volonté, qui sont également le siège des dons surnaturels « de la grâce. Quoique ces facultés soient, ainsi que nous venons de le dire, intrinsè- « quement indépendantes de l'organisme, néanmoins, dans l'état d'union de l'âme avec « le corps, leur activité est conditionnée par la matière d'une manière trés étroite, « quoique indirecte, à cause des relations qui existent entre l'intelligence et la vo- « lonté d'une part, et d'autre part les fonctions de la sensibilité. La conséquence « en est que les caractères purement psychiques se transmettent par hérédité tout « comme les particularités organiques, à cause de leur relation avec ces dernières.

« Pour comprendre comment la grâce sanctifiante ou sa privation peuvent se « transmettre par hérédité, il faudra donc les concevoir comme étant en connexion « avec un caractère organique ».*

Et paulo superius dixerat: « Le péché originel a dû être causé par un acte « libre contraire à la volonté de Dieu, par un péché actuel. C'est la désobéissance « d'Adam. Les effets de cette faute, et tout d'abord l'état de péché qui en résultait, « se sont produits chez celui qui l'a commise et se sont ensuite transmis à ses « descendants. Et comme les caractères d'ordre spirituel ne se transmettent hérédi-

* Op. cit., ch. IV, p. 105.

tiam magis considerat uti vitium inficiens carnem; S. Thomas potius illam considerat uti vitium carnem perfectione destituens; non ideo tamen hic excludit infectionem, nec ille negat infectionem per perfectionis privationem.

De doctrina S. Anselmi et S. Bonaventurae in appendice agemus post expositionem textus.

II. **Ad Textum.** - *1ª Obi.* Procedit a « lege membrorum », de qua loquitur Apostolus. Solutio quam suggerit S. Thomas parum concordat cum interpretatione quam huius capitis S. Pauli dedimus. Vitium princeps huius obiectionis est in hoc, quod in peccato originali non considerat principale, sed secundarium; - quod tamen et ipsum non habet rationem culpae, seu reatum nisi ex coniunctione corporis cum anima, et quatenus corpus cum anima unum efformat subiectum: individuum scilicet humanum ex Adamo oriundum.

2ª Obi. Confundit causam efficientem cum causa instrumentali.

3ª Obi. Confundit principium effectivum cum principio dispositivo.

4ª Obi. Non attendit ad dicta n. 5.

5ª Obi. Negligit exposita n. 6.

Sed contra est. Distingue sedulo principium hic positum et auctoritatem cui innititur. Principium est solidum prorsus; auctoritas autem infirma. Etenim quod bonum praedicetur in carne non esse, hoc potest provenire non solum ex hoc quod caro non est subiectum boni, sed etiam ex hoc quod, etsi per se posset esse subiectum boni vel mali, de facto tamen est subiectum mali. Et re vera, verba versiculi praecedentis praedicant habitare peccatum in carne: « Nunc « autem iam non ego operor illud, sed *quod habitat in me*

« tairement que grâce à quelque caractère organique avec lequel ils sont en connexion, il doit exister une base matérielle de la transmission du péché originel: c'est « la concupiscence ».*

Censemus tamen Aquinatem concupiscentiae, formaliter tali, in ipsa generationis via plus tribuere quam Laminne, uti ex textu superius allato constat; quatenus, - praeter dubium Augustini de origine animarum, - inter doctrinam Hipponensis et Aquinatis, quoad influxum concupiscentiae in transmissionem peccati originalis, non datur tantum discrimen quantum clmo auctori videtur.

* Op. cit., ch. IV, p. 70 sq.

« *peccatum* », cuius sententiae versiculus, a S. Thoma citatus, non est nisi confirmatio per negationem oppositi. Quare verba: « hoc est in carne mea », referenda sunt tam bene ad 17 quam ad 18. Affirmat proin Apostolus habitare in carne sua non bonum, sed peccatum. Nedum igitur hic locus, uti iacet, thesim articuli probet, potius difficultatem parit; utique facile solvendam ex dictis superius, sed tamen solvendam.

In Corpore. En schema huius argumenti:

- Peccati originalis
  - *A) causa* est
    - 1) principalis – ipse Adam;
    - 2) instrumentalis – traductio carnis seminali via.
  - *B) subiectum*
    - anima
      - secundum quod ad ipsam derivatur voluntas primi hominis;
    - non
    - caro
      - quia eadem voluntas ad ipsam carnem non derivatur.

Duo adverte: 1) in hoc argumento non considerari vim generativam quatenus et ipsa est peccato infecta; 2) carnem considerari per se, non autem formaliter uti partem compositi. Quare hoc argumentum nullo modo pugnat cum doctrina superius exposita, sed per illam completur.

Appendix.

De doctrina S. Anselmi et S. Bonaventurae.

I. De doctrina **S. Anselmi,** circa naturam et subiectum originalis peccati, sufficit sequentia excerpere, in quibus totum comprehendi videtur.

1) Peccatum originale est verum, proprium peccatum. « Si dicitur originale peccatum non esse absolute dicendum « peccatum, sed cum additamento originale peccatum, sicut « pictus homo non est verus homo, sed vere est homo pictus; « profecto sequitur quia infans qui nullum habet peccatum « nisi originale, mundus est a peccato: nec fuit solus inter « homines filius Virginis in utero matris et nascens de matre, « sine peccato, et aut non damnatur infans qui moritur sine « baptismo, nullum habens peccatum praeter originale; aut « sine peccato damnatur. Sed nihil horum accipimus ».[1]

[1] *De Conc. Virg.*, c. XII.

2) Multum tamen differt a peccato actuali Adami; est enim peccatum naturae, seu originis, non personae.[1]

3) Imo minus est peccato Adami, ideoque minori poena puniendum.[2]

4) Est tamen peccatum singulis proprium. « Considerandum est diligenter, quia non portant infantes peccatum « Adae, sed suum. Nam aliud fuit peccatum Adae, aliud est « peccatum infantium; illud enim fuit causa, illud effectus. « Adam caruit debita iustitia, non quia alius, sed quia ipse « deseruit; infantes carent ipsa, non qua ipsi, sed quoniam « alius derelinquit. Non est ergo idem peccatum Adae et « infantium. Et cum dicit Apostolus: " Quia mors regnavit « ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae „, sicut « significat infantium minus esse quam Adae peccatum, ita « aperte monstrat, aliud esse. Quapropter quum damnatur « infans pro peccato originali; damnatur non pro peccato « Adae, sed pro suo. Nam si ipse non haberet peccatum « suum, non damnaretur. Iam ergo non portat peccatum « Adae, sed suum, quamvis ideo dicatur portare, quia iniquitas illius peccati fuit causa istius ».[3]

5) Iam vero hoc peccatum nequit esse nisi in anima, et proin nequit esse antequam caro animetur. « Puto nullatenus (originale peccatum) posse asseri esse in infante ante« quam habeat animam rationalem; sicut nec in Adam fuisse « iustitiam, priusquam fieret homo rationalis... ».[4]

6) Imo est in anima quatenus habet voluntatem rationalem. « Sciendum quoque est quia iustitia non potest esse « nisi in voluntate, si iustitia est rectitudo voluntatis propter « se servata: quare nec iniustitia ».[5]

7) Transfunditur peccatum originale per seminalem viam. « De immundo semine in iniquitatibus et in peccatis concipi « potest homo intelligi, non quod in semine sit immunditia « peccati, aut peccatum sive iniquitas; sed quia ab ipso

[1] Ibid., c. 23.
[2] Ibid., c. 22 sq.
[3] Ibid., c. 26.
[4] C. 3.
[5] Ibid. Cf. dicenda de hoc in art. seq.

« semine et ipsa conceptione, ex quo incipit homo esse, « accipit necessitatem ut, cum habebit animam rationalem, « habeat peccati immunditiam, quae non est aliud quam pec- « catum et iniquitas ».[1]

8) Ratio autem huius necessitatis est tum solidaritas cum Adamo, secundum quam infans nascitur cum debito iustitiae amissae ab Adamo, tum ipsa gravedo corporis, qua impeditur intelligere iustitiam ac posse illam servare.[2]

9) Ratio autem huius solidaritatis petitur ab hoc quod Adam erat tota natura, et quod acceperat a Deo potestatem servandi suis iustitiae dona, quin esset capax ea recuperandi nec sibi nec suis, si culpa sua libere ea amisisset. « Quoniam « vero Adam subditus esse noluit Dei voluntati; ipsa natura « propagandi quamvis remaneret, non fuit subdita eius volun- « tati, sicut esset, si non peccasset: et gratiam, quam de se « propagandis servare poterat, perdidit; atque omnes, qui « operante natura quam acceperat, propagantur, eius adstricti « debito nascuntur. Quamobrem, quoniam humana natura « (quae erat in Adam tota, ut nihil de illa extra illum esset), « peccando sine omni necessitate, Deum exhonoravit, unde « per se satisfacere non potuit; gratiam, quam acceptam « propagandis de se semper potuit servare, perdidit; et pec- « catum secum comitante poena peccati, quantumcumque « per datam propagandi naturam propagatur, trahit ».[3]

10) Habetur proin ordo inversus inter Adamum et posteros. In Adamo persona corrupit naturam; in posteris natura corrumpit personas.[4]

11) Haec naturae corruptio in omnibus est aequalis; est quippe « facta per inobedientiam Adae iustitiae debitae nudi- « tas, per quam omnes filii sunt irae, quoniam et naturam « accusat spontanea, quam fecit in Adam, iustitiae desertio; « nec personas excusat recuperandi impotentia, quam comi- « tatur beatitudinis quoque nuditas, ut, sicut sunt sine omni « iustitia, ita sint absque omni beatitudine: per quas duas « nuditates in huius vitae exsilio expositi sunt, et patentes

[1] Ibid., c. 7.
[2] Ibid., c. 8 et passim.
[3] Ibid., c. 10 et 23.
[4] Ibid., c. 23, quod esset ex integro citandum.

« peccatis et miseriis incessanter ubique occurrentibus, et « undique irruentibus, nisi quantum divina defenduntur dispo- « sitione ». [1]

12) Haec doctrina concordat cum doctrina S. Thomae, nisi forte quis contendat S. Anselmum in traductione peccati originalis minus tribuere concupiscentiae. [2] Sed penitius rem intuenti apparet etiam in hoc conspiratio. S. Anselmus negat concupiscentiam afficere carnem, ita ut ante infusionem animae iam in carne sit peccatum. Affirmat autem ex hac corruptione carnis oriri *immunditiam*, ab instanti quo anima infunditur. Affirmat indecentiam modi quo in statu lapso fit naturae traductio (c. 14). Affirmat membrorum corruptionem ante animationem (c. 27). Affirmat animam gravari dum corpori corruptibili infunditur (c. 17). Affirmat debitum iustitiae complecti simul integritatis et gratiae nuditatem (c. 2); priorem autem baptizatis infantibus non amplius imputari, quia amisit rationem debiti et culpae (c. 29). Ex quibus omnibus apparet, iustitiam in mente Anselmi complecti tum gratiam seu dona supernaturalia, tum integritatem seu dona praeternaturalia. Verbo: S. Anselmus eam exponit doctrinam, quam superius exposuimus, [3] cuique in statu Quaestionis huius articuli adhaesimus. Concedimus tamen Anselmum magis insistere elemento gratiae: unde mirum non est theologos, qui sequuntur doctrinam ibidem secundo loco *b*) positam, ad auctoritatem S. Anselmi provocare.

13) In modo autem quo culpae rationem in peccato originali explicat, S. Anselmus in hoc forte a S. Thoma aliquantulum discrepat, quod S. Thomas magis insistit in voluntatem Adami ad omnes ex se orituros motu generativo extendendam; Anselmus autem magis insistit in debitum

[1] C. 27.

[2] Cave ne urgeas comparationem in medio c. 7 allatam. Qui nimis probat, nihil probat; nec praetermittenda sunt verba, quae immediate praecedunt et sequuntur: « Vitiosa concupiscentia » ... « in semine (infantes trahunt) peccandi necessitatem ». Ex quibus, cum dictis hoc eodem n. 12, patet quid Anselmus de concupiscentia in traductione cogitet, licet ipsi carni per eam traductae ante animationem, – quam non in instanti conceptionis fieri vehementissime contendebat (c. 7), - peccatum iam inesse negaret.

[3] In dissertatiuncula ante art. 3 praec. Quaest.

reparandae iustitiae a posteris participandum. Uterque tamen ponit solidaritatem uti fundamentum traductionis culpae, et quidem talem solidaritatem quae faciat posteros esse non solum materialiter ab Adamo, sed etiam moraliter per influxum eiusdem voluntatis. Iam vero ex his fluunt hinc transmissio voluntatis, illinc haereditas debiti reparandi illud quod fuit per voluntatem amissum. Nec aliter intelligendum est istud debitum, quam ipsa iustitiae nuditas, cum sua relatione ad pravam voluntatem, qua producta est. Quare, licet verba aliquantulum differant, eadem ab utroque Doctore quoad rem doctrina propugnatur.

Nullibi autem S. Anselmus insinuat voluntates nostras in voluntate Adae fuisse inclusas, quatenus, uti ait Billuart, Deus, in cuius potestate sunt voluntates omnium, magis quam in potestate singulorum, nostras Adae voluntati voluntates alligaverit.[1]

S. Bonaventurae quoque de traductione et subiecto peccati originalis iuvat paucis comprehendere doctrinam; quam II, Dist. XXXI et XXXII, fuse exponit.

Reiecto (a. 1, q. 1), quod anima ab anima traducatur, S. Doctor probat (q. 2) peccatum originale incipere a parte sensitiva quatenus est vitium, et ascendere ad partem rationalem, in qua unice reperitur prout est culpa; dein (q. 3) ostendit cur huius vitii infectio maior sit in potentia generativa quam in quavis alia. (De quo in fine huius Quaestionis).

Hoc posito, iam in art. 2 S. Bonaventura quaerit de modo quo mediante carne peccatum originale transfundatur. Affirmat (q. 1) animam a carne infici; sed longiori discussione duas rationes uti imperfectas, reiicit, tertiam probat. Non admittit scilicet rationem Hugonis, qui traductionis originalis culpae a passibilitate corporis seu carnis mortalis repetit; contra quam adducit exemplum de Christo cum carne

[1] De hac sententia nervose Van Noort: « Sed primo quidem talis inclusio voluntatum, actu nondum existentium, a Deo facta, si daretur, ad minus esset mysterium altissimum. Praeterea inclusio voluntatum peccatum originale nullatenus explicat. Si enim in toto hoc negotio inveniretur aliquod peccatum, dicendum esset, non voluntates inclusas, sed ipsum includentem includendo peccasse ».*

* Op. cit., n. 251.

passibili, et nihilominus absque originali labe nato. (Referimus discussionem, non illam instauramus). Reiicit quoque explicationem, quam tribuit S. Anselmo, iuxta quam caro originalem culpam traduceret prout est obstaculum debitae iustitiae, a qua tunc debitae iustitiae absentia oriretur peccatum. Quam explicationem recusat, quia est quidem efficax ad rationem reddendam privationis iustitiae, non autem talis privationis quae sit culpa. Unde solutionem aliam suggerit, hoc modo. In carne Adami propter peccatum consideranda est passibilitas et foeditas. Ex passibilitate anima contrahit poenam, ex foeditate culpam. Et re quidem vera foeditas carnis facit eam rebellare contra spiritum, unde anima ipsi unita ad imum trahitur, quin viribus suis illam regere valeat. Et ita per carnem rebellem anima incurvatur, pervertitur, iniustitiam incurrit.

Hanc suam doctrinam illustrat tribus exemplis, ex quibus apparet posse in ipso instanti infusionis animae in ipsa anima aliquid produci, v. gr. dolorem, passionem, morbum, si uniretur corpori iuxta eadem praevie disposita. Quare si in talibus effectibus hoc dari potest, cur in instanti animationis non oriri posset culpa ex praedispositione vitiosa carnis?

Nec satis: ulterius (q. 2) quaerit Seraphicus quo sensu illa infectio possit dici producta mediante appetitu animae ad corpus. Et respondet nullo modo hoc intelligi posse de appetitu animae libere deliberantis antequam uniatur corpori infecto (quod haereticum esset); nec probabiliter hoc intelligi posse de appetitu, peccatum originale efficiente tamquam causa, sed de appetitu naturali animae ad corpus tamquam causa sine qua non.

Concludit demum expresse (q. 3), carnem infici (et proin animam mediante carne), non per propaginem solam, sed per propaginem concupiscentia, scilicet libidine vitiatam; libidinem autem demonstrat intelligendam hic esse, non in sensu improbae voluntatis, quae saepissime abest; nec immoderatae delectationis, quae vix deficit; sed corruptionis vitiosae, quae deest numquam.[1]

[1] Cf. de eodem argumento integrum textum Dist. xxxi Lombardi, ubi S. Augustini sententia evolvitur. – Cf. dicta in art. 4 quaest. praeced.

Hanc autem maculam, quam anima contrahit a carne, decet Deum animae imputare. Hoc enim decet altitudinem potentiae divinae, quia ita nati homines nequeunt debite honorare Deum, cuius primordialem imaginem non amplius gerunt; pulchritudinem sapientiae, quae per ordinem poenae reparat laesionem ordinis speciei; rectitudinem demum iustitiae, quia iuste a creatura repetitur quod illi primitus collatum, culpabiliter fuit amissum.[1]

Infundi animas carni peccati, decet iustitiam divinam. Si enim sumitur iustitia in sensu bonitatis condescendentiae, decet creatorem satisfacere appetitum corporis ad animam sibi uniendam; decet conservatorem per multiplicationem individuorum servare speciem; decet provisorem seu gubernatorem regere mundum iuxta vires a se ipsis inditas.[2] Si sumitur iustitia in sensu exigentiae meritorum, nullum meritum est in anima antequam infundatur corpori; demeritum autem in Adamo, ex quo iuste fit ut, vix corpori infusa, anima frustretur bonis primordialibus, propter protoparentis culpam[3] (q. 2).

ARTICULUS II.

UTRUM PECCATUM ORIGINALE SIT PER PRIUS IN ESSENTIA ANIMAE QUAM IN POTENTIIS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Ordo inversus, quem Anselmus dicit esse inter peccatum Adami et peccatum originale, quatenus in illo persona corrupit naturam, in hoc natura corrumpit personam, praesentis quaesiti solutionem in germine continet. Etenim, propter hanc ordinis oppositionem peccatum in Adamo et in posteris se habet ordine inverso quantum ad essentiam et potentiam.

2) In peccato Adami, per prius fuit peccatum in potentia, scil. in voluntate, dein in essentia, quam denudavit. In poste-

[1] Dist. XXXII, a. 3, q. 1.

[2] Dubitare quis posset, utrum exemplum hic allatum sufficiat undequaque ad demonstrandum intentum.

[3] Exemplum hic ab Anselmo desumptum (*De Conc. Virg.*, c. 27) egregie concludit.

ris e contra per prius est in essentia animae, quam denudat; dein in potentiis, quas afficit. Quod respondet ex aequo denominationi peccati naturae, in oppositione ad peccatum personae. Nam quum peccatum personae debeat ab actu eiusdem procedere, natura autem agat mediantibus potentiis, apparet tum potentias habere respectum magis personalem, tum peccatum personae per prius esse in potentia. Ex opposito, peccatum naturae, quum natura magis respiciat essentiam, erit per prius in essentia.

3) Nec deest inde peccato originali ratio veri peccati. Nam voluntarium huius peccati non est voluntarium personale in unoquoque contrahente illud, sed unum ac idem Adami voluntarium, ratione solidaritatis rite imputatum. Proinde, quoad voluntarium nihil refert, utrum peccatum originale prius dicatur esse in essentia quam in potentia, an e converso. (Cf. n. 5).

4) Corroboratur haec doctrina per relationem oppositionis quae existit inter peccatum originale et iustitiam originalem. Quemadmodum enim iustitia originalis, habitualiter considerata, erat per prius in anima, dein in potentiis, ita privatio iustitiae originalis, quatenus dicit habitum, per prius est in anima. Quare illi theologi qui hoc negarunt, inde decepti sunt, quod non satis distinxerunt inter iustitiam actualem et habitualem, et per consequens inter peccatum habituale et actuale (cf. dicenda post explicationem textus de S. Bonaventura et S. Anselmo).

5) Si quis insistat, dicendo peccatum originale, licet naturae, debere tamen afficere posterorum voluntatem ut proprium uniuscuiusque esse possit, iuxta doctrinam Anselmi superius relatam (n. 4); respondetur: non negatur culpam originalis peccati afficere voluntatem, imo hoc proclamatur, et in articulo sequenti ex professo demonstrabitur; sed propter rationes allatas, affirmatur originale peccatum per prius esse in essentia animae, uti in subiecto. (Cf. dicenda infra de subiecto concupiscentiae).

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non attendit ad ordinem oppositum inter peccatum personae et peccatum naturae.

2ª Obi. Falsum ordinem supponit in iustitia originali.

3ª Obi. Confundit ordinem quo anima se habet ad corpus, et quo potentiae se habent ad essentiam. Ordo posterioritatis utique concordat; non autem ordo perfectionis.

4ª Obi. Vide dicenda in fine articuli.

Sed contra est. Confirmatur hoc argumentum saltem suasive per textum S. Pauli superius allatum: « Eramus natura « filii irae ».[1]

In Corpore. Argumentum huius *Corporis* in idem recidit. Ideo enim in natura per prius consideratur essentia, quia generationis opus per prius tendit ad illam, uti ad terminum proprium. Aliter dicendum esset, si anima ut forma uniretur corpori per potentias.

Simili prorsus modo S. Thomas eamdem doctrinam exponit in commentario Magistri: « Unio formae et materiae non « est per aliquod vinculum medium; immo per se unum « alteri unitur: alias non esset unio essentialis, sed accidentalis. Anima autem forma corporis est: unde oportet ut « ipsa anima uniatur per essentiam suam immediate corpori, ut ex ea et corpore efficiatur unum, sicut etiam ex « cera et sigillo. Et quia originale causatur in anima ex « coniunctione eius ad tale corpus, prout forma est (sic enim « ex utrisque coniunctis talis natura resultat), oportet quod « in essentia animae sit primo et principaliter sicut in subiecto originali; in potentiis autem per consequens, sicut « supra dictum est ».[2]

Appendix de mente S. Bonaventurae.

Sanctus Bonaventura aliter de re praesenti iudicavit. Cuius expositionem heic integram reproducere non piget ob argumenti momentum tantique Doctoris auctoritatem. « Aliqui dicere voluerunt, - ita Seraphicus, - originale pec- « catum sic traduci et contrahi ab anima, ut primo insit « animae ratione substantiae suae, quae primo carni coniun- « gitur, et consequenter mediante substantia ab ipso poten- « tiae afficiuntur, pro eo quod non uniuntur potentiae carni

[1] Ephes., I, 3.

[2] II Dist. XXXI, q. 2, a. 1.

« infectae, nisi per unionem substantiae: et sicut una est « gratia quae reformat animam et eius potentias, quae, « inquam, dicitur una quia primo respicit animae substan- « tiam, ut dicunt, sic est unum originale, quod omnes poten- « tias animae inficit et deordinat ». Hucusque, uti apparet, S. Bonaventura exponit doctrinam S. Thomae et quibus fulcitur rationes, mox post expositionem propriae sententiae in obiectionibus confutandas. Iam incipit eiusdem doctrinae improbatio. « Sed si istud quis ita intelligeret, quod per ori- « ginale peccatum primo haberet infici substantia, quam « potentia, ita quod originale insit animae non ratione poten- « tiae, sed ratione ipsius substantiae unitae, hoc non videtur « intelligibile: tum quia originale est carentia debitae iusti- « tiae; iustitia autem, cum sit rectitudo voluntatis est primo « in voluntate; tum etiam quia originale est concupiscentia, « concupiscere autem non est actus substantiae, nisi ratione « potentiae; tum etiam quia in originali est deordinatio « ipsius animae, deordinatio autem non est in anima nisi « ratione potentiae, quia per ipsam solum potest ordinari et « deordinari. Unde, sicut supra dictum est de gratia, quod « ipsa respicit substantiam, non quia possit esse in animae « substantia circumscripta potentia, sed quia est in potentiis « animae, secundum quod continuantur ad unam substan- « tiam: sic et in proposito intelligendum est, ut originale « peccatum dicatur substantiam animae respicere, quia inest « potentiis, non ex actibus propriis, sed prout continuari « habent in una substantia prout est unita carni infectae, « ita tamen quod primo insit ipsa deordinatio potentiae, « quam substantiae. Non enim dicitur substantia ordinata, « vel deordinata nisi ratione potentiae ». Et concludit quod « originale inest animae primo ratione potentiae ».[1]

Post ea quae superius exposuimus, breviter iudicium nostrum de hac argumentatione ferre possumus. S. Bonaventura non satis percepisse videtur peccatum originale esse peccatum naturae, proin peccatum habituale in quo potentiae nonnisi habitualiter afficiuntur ex solidaritate peccati primi parentis. Quidquid enim praeter hoc in potentia

[1] II, Dist. XXXI, a. 1, q. 2.

animae ex originali culpa est, non nisi inclinatio, vel mala dispositio est; et quidem consequenter, quemadmodum vidimus, ubi de peccati originalis habitu, qui est ut in natura, non ut in potentia.

Proinde vox deordinatio potest sumi in sensu activo, actuali, et in sensu passivo, habituali. S. Bonaventurae argumentatio procedit iuxta sensum activum, actualem; qui in peccato originali ad voluntarium Adami referendus est. S. Thomas arguit, et recte, iuxta sensum passivum, habitualem.

Quod modo diximus de deordinatione, pariter valet et de concupiscentia, imo de ipsa iustitia; et ita tota argumentatio S. Bonaventurae, - cui Scotus aliique adhaerent, - solido caret fundamento. Imo et ipse S. Anselmus, ubi iustitiam et iniustitiam definit, videtur non semper satis prae oculis habuisse elementum habituale; quod in peccato originali, cum relatione ad actum Adami continet totum.

De *concupiscentiae subiecto,* de quo S. Thomas agit in resp. ad 4[m], iuvat compendiose exhibere S. Bonaventurae doctrinam. [1] Misso sensu latiori concupiscentiae, scilicet cuiusvis desiderii immoderati, concupiscentia proprie dicta, scilicet sensualis, est in carne, in rationali parte et in sensualitate. In carne causaliter; in rationali parte formaliter, per actum qui proprie est animae; in sensualitate utroque modo, nam in concupiscentia totum compositum agitur et agit.

Quae doctrina, sane optima, rursus magis respicit concupiscentiam in ordine ad actum, quam concupiscentiam uti est pars peccati originalis. Dicendum proin concupiscentiam uti partem peccati originalis esse quidem in composito, causaliter a carne, formaliter ab anima; consistere autem in duplici carentia, scilicet dispositionis in carne ad integritatis dotes, et virtutis in anima corpus perfecte regendi. Quae carentia fundamentaliter, primario essentiam uti subiectum afficit; secundario autem, sive consequenter, ipsas potentias, directe quidem appetitivas inferiores, indirecte superiores, et quidem hoc ordine: voluntatem et intellectum, voluntatem, quam ad carnalia concupiscenda trahit; intellectum,

[1] Ibid., a. 2, q. 1.

quem gravedine sua a spiritualibus percipiendis removet, et quasi denso fumo obnubilat.

Confirmatur proin doctrina huius articuli per analysim concupiscentiae, non minus quam privationis gratiae; et patet, originale peccatum, quantum ad suum formale et quantum ad suum materiale, per prius inesse in animae essentia.

ARTICULUS III.

UTRUM PECCATUM ORIGINALE PER PRIUS INFICIAT VOLUNTATEM QUAM ALIAS POTENTIAS.

I. **De ipsa Questione.** – 1) Ad intellectionem et solutionem aequam huius quaesiti duo attente consideranda sunt: *a*) ordinem generationis differre ab ordine perfectionis; *b*) agi hic de peccato. De utroque pauca.

2) Si idem esset ordo generationis et ordo perfectionis, quo potentiae propinquiores sunt carni, quae prior generatur, eo per prius etiam originali peccato afficerentur. Nunc autem, quum ordo perfectionis sit inversus, et substantiae seu essentiae animae propinquiores sint illae potentiae quae a carne sunt remotiores, peccatum originale, etsi per carnem traductum, per prius est in potentiis superioribus animae quam in inferioribus.

3) Nec contra hanc doctrinam subsumas: atqui potentia animae proxima essentiae est intellectus, non voluntas. Etenim non agitur hic de quavis qualitate afficiente potentias, sed de peccato. Iam vero, licet intellectus ministret voluntati obiectum circa quod sese exercet; mala inclinatio, a qua peccatum procedit, est in voluntate. Ergo peccatum, ut tale, prius afficit voluntatem.

4) Adverte sedulo hic agi de inclinatione, non de actu. Peccatum enim originale non ponit actum malum, sed solum male disponit ad agendum bonum. Neque directe tamquam habitus ordinatur ad operationem, uti vitia proprie dicta; sed indirecte seu consequenter, quemadmodum vidimus ubi de peccati originalis habitu.

Ad Textum. - Ordo obiectionum patet. Prima et secunda procedunt iuxta ordinem generationis; tertia iuxta ordinem perfectionis.

1ª Obi. Confundit potentiam generativam in generante et in genito.

2ª Obi. Non attendit ad dicta n. 2.

3ª Obi. Negligit dicta n. 3. Haec duae obiectiones se habent ad invicem sicut superius exposita n. 2 et 3.

Sed contra est. En verba S. Anselmi, ad quae S. Thomas alludit. Probato quod originale peccatum sit iniustitia, pergit: « Quod si ita est, et iniustitia non est aliud quam absen« tia debitae iustitiae; - non enim videtur esse iniustitia, nisi « in natura, quae, cum debet habere, iustitiam non habet; - « utique originale peccatum clauditur sub eadem definitione « iniustitiae. At si iustitia est *rectitudo voluntatis propter « se servata,* nec ista rectitudo potest esse nisi in rationali « natura: ergo non est ulla natura debitrix iustitiae, nisi « rationalis; sicut nulla natura susceptibilis est iustitiae prae« ter rationalem. Quare quoniam iniustitia non potest esse « nisi ubi iustitia debet esse, originale peccatum, quod est « iniustitia, non est nisi in natura rationali..... Sciendum « quoque est quia iustitia non potest esse nisi in voluntate, « si iustitia est rectitudo voluntatis propter se servata: quare « nec iniustitia. Non enim vocatur absentia iustitiae, iniu« stitia, nisi ubi debet esse iustitia. Nihil itaque praeter « ipsam iustitiam vel iniustitiam dicitur iustum vel iniustum, « nisi voluntas, aut propter voluntatem iustam vel iniu« stam ». Quae omnia dicuntur egregie, si intelligantur aliquo modo aliter et aliter de iustitia personali et de iustitia naturae seu originali, et per consequens de iniustitia personali et de iniustitia originali, iuxta ea quae in praec. art. exposuimus.

In Corpore. Vides ex hoc *Corpore* quanto iure superius dixerimus habitum peccati originalis esse quidem ut in natura, habere tamen respectum consequentem ad operationem. Proin quam vocat hic S. Thomas « inclinationem pec« cati originalis ad actum », de hoc respectu consequente intelligenda est.

ARTICULUS IV.

UTRUM PRAEFATAE POTENTIAE SINT MAGIS INFECTAE QUAM ALIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Praefatae potentiae sunt illae de quibus agitur in duabus primis obiectionibus, art. praecedentis et quae expresse nominantur in capite quaestionis: generativa, concupiscibilis, sensus, tactus.

2) Notandum porro est, infectionem sensu duplici sumi posse: latiori et strictiori. Latiori sensu valet de quovis effectu peccati originalis quo inficitur tota natura. Strictiori autem valet speciali modo de his potentiis quae ad transfusionem naturae et peccati vel concurrunt vel eadem transfusione foedantur. Hoc altero sensu movetur quaestio.

3) Ubi etiam nota, ad peccatum originale pertinere quidquid in generato quoad has potentias afficitur; non autem in generante necessario actuale peccatum esse, quoad has potentias affici: finis enim rectus generationis, a Deo institutus, liberat a peccato actuali; modus autem generationis, etiam in regenerato, conservat intrinsecam suam inordinationem, unde transfundit originale peccatum. Hoc praeclare exponit Augustinus in opere *De nuptiis et concupiscentia.* Descripta membrorum inobedientia, quam Adam et Eva non nisi post commissum peccatum in se experti sunt, veloque pudicitiae tegendam curaverunt, pergit: « Quia ergo nec « isto adiuncto malo perire potuit nuptiarum bonum, putant « imprudentes hoc non esse malum, sed pertinere ad illud « bonum. Discernitur autem non solum ratione subtili, verum « etiam vulgatissimo iudicio naturali, quod et in illis appa- « ruit hominibus primis, hodieque tenetur ab hominibus « coniugatis. Quod enim illi postea propagatione fecerunt, « hoc est connubii bonum; quod vero prius confusione texe- « runt, hoc est concupiscentiae malum, quod vitat ubique « conspectum, et quaerit pudendo secretum. Proinde nuptiae « quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur; « quia sine illo fieri non potest, erubescunt. Tamquam si « quispiam pede vitiato ad aliquod bonum etiam claudi- « cando perveniat, nec propter claudicationis malum mala

« est illa perventio, nec propter illius perventionis bonum « bona est claudicatio: ita nec propter libidinis malum nu- « ptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum libidinem « laudare debemus ».[1] Et infra: « Haec bona nuptialia (pro- « lem, fidem, sacramentum) laudet in nuptiis, qui laudare « vult nuptias. Carnis autem concupiscentia non est nuptiis « imputanda, sed toleranda. Non est enim ex naturali con- « nubio veniens bonum; sed ex antiquo peccato accidens « malum ».[2]

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Confundit respectum peccati originalis ad peccata actualia cum respectu ad traductionem prolis et ipsius originalis peccati. Vides ex modo quo S. Thomas obiectioni respondet, articulum praecedentem esse intelligendum, uti diximus, de modo quo peccatum originale disponit ad actualia.

2ª Obi. Haec obiectio confundit infectionem actualis culpae et infectionem originalis culpae. Illa requirit moveri voluntate peccantis; haec non requirit nisi traduci ex voluntate primi parentis. Quomodo? Per generationem. Ergo nedum potentia generativa ab hac infectione excipiatur, eo magis ea inficitur, quo minus potest a voluntate regi. Quare obiectio non solum solvitur, sed efficacissime retorquetur.

3ª Obi. Confundit concursum dispositivum causalem cum concursu formali. Qui insuper concursus causalis dispositivus per visum, non requiritur uti necessarius; dum e contra delectatio tactus ab actu abesse non possit.

Sed contra est. Observa cum Augustino, inobedientiam membrorum, de qua hic sermo, non solum in hoc consistere, quod contra voluntatem reluctantem rebellant; sed quod, nec ad bonum casti coniugii finem, quis iis uti potest, quin se illis, modo ut ita dicam animali, vincendum subdat. In quo maxime apparet simul pudenda inordinatio in legitimo usu, damnanda turpitudo in pravo abusu, semper iusta rebellantis in Deum voluntatis punitio.

In Corpore. Processus est clarus. Determinato sensu strictiore infectionis, concluditur infectionem maxime ad actum

[1] L. I, c. 7.
[2] Ibid., c. 17.

generationis pertinere; unde per partes applicatur ad potentias de quibus quaestio proponebatur.

Praeter rationem inhonestatis originali integritati oppositam, in concupiscentia a generationis actu inseparabili considerandа insuper est ratio naturalis et ratio providentialis, iuxta quas, semota quavis inhonestate, id est rebellione, maior in originali statu[1] fuisset de eodem actu delectatio, sed undequaque pura (cf. dicta p. 152 sq.).

Si iam quaeras de aliis sensibus, respondendum est: Post tactum, qui magis sentientem obiecto coniungit operique generationis participat, gustus maxime fuit ex originali labe infectus. Nec ad hoc probandum desunt rationes. Gustus enim post tactum magis materialis seu animalis est, nutriendae carni concupiscenti directius inservit, nec est sine relatione ad peccatum Evae, ligni vetiti suavitate allectae. Post gustum venit olfactus, cuius delectatio magis carnalis est, magisque materialis unio cum obiecto. Utrum autem auditus magis afficiatur visu, an visus auditu, disputari potest. Etenim si materialitatem sensus per se inspicis, magis materialis est auditus quam visus, ratione contactus magis sensibilis, necnon minoris determinationis idearum, quas evocat. Si autem inspicis nexum cum concupiscentia, visus concupiscenda fortius concupiscibili offert quam auditus.[2]

Brevissima totius quaestionis Synopsis.

Si in peccato originali consideratur causa, principalis est ipse Adam; instrumentalis, caro seminali via traducta. Si autem consideratur subiectum, culpa nequit esse nisi in illa parte hominis ad quam potest pervenire participatio voluntarii Adami. Ergo peccatum originale est in anima uti in subiecto culpae, in carne nonnisi uti poena (a. 1). - Quum autem in peccato originali, utpote naturae, sit ordo inversus ac in peccato Adami, utpote personae, peccatum originale per prius afficit essentiam animae; eo vel magis quod anima

[1] Cf. superius Q. XCVIII, art. 2.

[2] Cf. de hoc argomento S. Bonav., II, dist. XXXI, a. 1, q. 3, necnon S. Thomas, II-II, q. 141, 5.

est terminus generationis, per quam originale peccatum traducitur (a. 2). – Ex animae potentiis directius inficitur voluntas: iniustitia enim peccati originalis, quatenus ad actum inclinat, opponitur iustitiae, quae per voluntatem in bonum inclinatam erat servanda (a. 3). – Si iam infectio sumitur strictiori sensu, maxime inficiuntur peccato originali illae potentiae per quas traducitur, id est: generativa, vis concupiscibilis et sensus tactus (a. 4).

Tabella synthetica praecipuarum sententiarum de peccato originali.

Iuvat hanc expositionem claudere exhibendo tabellam ex qua praecipuae de peccato originali sententiae ordine gradationis ita disponuntur, ut primae per defectum, ultimae per excessum peccent, reliquae inter ambitum liberae disputationis contineantur.

1) Peccatum Adae non transit in posteros neque reatu neque poena, sed solummodo imitatione. (Pelagius, Sociniani, Ariminiani, Albigenses, anabaptistae, rationalistae, liberales, modernistae audaciores.)

2) Transit non reatu culpae, sed poenae mortalitatis et concupiscentiae. (Aliqui Pelagiani cum Iuliano, Abaelardus, Zwinglius, Beguini, Neopelagiani in Anglia, Hermes, Günther et multi protestantes in Germania, modernistae mitiores).

Hae duae sententiae sunt expresse damnatae.

3) Transit ut peccatum, sed nonnisi improprie dictum. (Durandus). Haec sententia non fuit expresse damnata, sed in hac forma, sine additamento explicativo, non amplius hodie sustineri posset.

4) Est actuale Adami peccatum posteris imputatum. (Pighius, Catherinus.)[1] Monente S. Sede haec falsa sententia fuit ex eorum operibus expuncta.[2]

[1] Uti Dominicus Soto bene monet, haec sententia esset simpliciter haeretica, quippe aperte offendens in doctrinam S. Pauli, si directe in peccato originali negaret culpam; sed quum auctores huius sententiae hoc non egerint, idem theologus eam impugnat utique, sed mitius iudicat.

[2] Cf. Heinrich, op. cit., VI, p. 778.

5) Est peccatum cuius essentia est reatus ad poenam. Haec modificata sententia Catherini nimis appropinquat ad sententiam Durandi, quam tamen impugnabat.

6) Est iustitiae originalis privatio, cuius reatus contrahitur nascendo. (Perrone.) Pariter nimis appropinquat ad eamdem sententiam, quia fundamentum voluntarii in hoc reatu vix explicat.

7) Est status habitualis peccati Adae in posteros moraliter perseverans. (Salmeron, Toletus, etc.) Deficit adhuc in ratione volontarii.

8) Est peccatum verum, singulis proprium, sed peccatum naturae, voluntarium voluntate Adami capitis totius generis humani, ratione solidaritatis ad singulos eius posteros transfusum. [1] Cuius peccati essentia est privatio iustitiae originalis. (Dominicus Soto, Bellarminus, Palmieri, recentiores multi).

9) Essentia huius peccati naturae est quidem privatio iustitiae originalis, ita tamen ut in hac privatione, privatio gratiae originalis sit elementum formale, concupiscentia vero se habeat ad modum elementi materialis. (S. Augustinus, S. Thomas, Card. Billot, schola Augustiniana et Thomistica, passim, cui sententiae subscribimus.)

10) Voluntarium peccati originalis est voluntarium voluntate Adami non solum uti capitis naturalis, sed et iuridici, ratione pacti positivi a Deo cum Adamo initi. (Pighius, Catherinus et nonnulli recentiores.) Est additio non solum inutilis, sed et periculosa.

11) Nec satis: est voluntarium in singulis, quia Deus praevidit, omnes homines id acturos fuisse quod egit Adamus. - Deus numquam imputat in peccatum actus mere hoc modo praevisos, nisi quatenus re vera ponuntur. Confundit haec sententia peccatum naturae cum peccato personae.

12) Est singulis posteris voluntarium, quia voluntates omnium in voluntate Adami continebantur. (Billuart.) Si ratione continentiae naturalis in capite naturae, redundat in 8

[1] Id egregie expressit Augustinus hac lapidaria sententia: «In Adam omnes «tunc peccarunt, quando... omnes in illo unus fuerunt». *

* *De pecc. merit. et remiss.*, III, c. 7, n. 14. - *P. L.*, t. XLIV, col. 199.

et 9. Secus, ponit aliquid inintelligibile, nisi urgeatur usque ad sententiam sequentem.

13) Est voluntarium quia omnes animae ab anima Adami procedunt ac proin in ea continebantur. [1] Est dubium Augustini, quod posteriori Ecclesiae declaratione fuit solutum. Quare haec sententia non potest amplius a catholico sustineri.

14) Peccatum originale est pronitas in malum ex concupiscentia et ignorantia ab Adami peccato derivata. (Lombardus, Hugo Victorinus.) Haec sententia, si tollat verum reatum, ac proin verum voluntarium, appropinquat ad sententiam 2. Si autem malitiam concupiscentiae et ignorantiae urget, viam sternit ad sententiam sequentem.

15) Peccatum originale est concupiscentia, quatenus ipsa concupiscentia est peccatum. (Baius, Iansenius.) [2]

16) Peccatum originale est totalis naturae corruptio (Lutherus, Calvinus.

17) Est substantia positiva mala ab Adamo ad singulos derivata. (Flaccus Illyricus.)

18) Est substitutio daemonis in locum animae caelestis, quae in Adamo emortua est, unde lapsi homines sunt daemoni substantialiter uniti. (Massaliani.)

Istae quatuor ultimae sententiae sunt, sicuti duae primae expresse damnatae.

Vides, proin sententiam quae maxima defecit et quae maxime excedit esse utramque antiquissimam.

Sententia, quae hodiedum a catholicis theologis passim admittitur, est ea quam n. 8 et 9 expressimus; aliis priori formae, aliis alteri calculum dantibus; sed utraque forma substantialiter eamdem sententiam exhibet.

[1] Omitto hic sententiam Origenis de peccatis in anteacta vita commissis. Hic reatus, qui etiam vocari potest originalis, est extraneus dogmati praesenti, quod iuxta plures Origenes non negavit (cf. dicta p. 555).

[2] Hinc sententiae recentiores quidam theologi Russi plus minusve subscribunt, uti in proxima Appendice apparebit.

CAPUT IV.

DE PECCATI ORIGINALIS POENA.

Ordo tractationis. – Materia praesentis paragraphi nobis a sess. V, Conc. Trid. superius citata suggeritnr. Tria enim ibi, praesertim in can. 1, 2, 3, 4, exhibentur tamquam poena peccati originalis: 1) *mors aliique defectus corporis et animi;* nam proclamat concilium can. 1: « totum Adam per illam « praevaricationis offensam secundum corpus et animam in « deterius mutatum fuisse », et in can. 2 totam progeniem hanc immutationem participasse; – 2) *captivitas daemonis;* nam eodem can. 1 idem Concilium asserit, Adamum incurrisse... « cum morte captivitatem sub eius potestate qui mor- « tis deinde habuit imperium, hoc est diaboli »; et in sequentibus exhibetur tota posteritas per gratiam Christi de hoc iugo liberanda; – 3) *reatus damnationis aeternae;* hunc enim supponunt « ira et indignatio Dei » (can. 1) quas incurrit Adam, et cum ipso tota posteritas, unde omnes, etiam parvuli recentes nati, indigent nomine in quo salventur (can. 2, 4).

Amissio autem gratiae non tam habenda est uti poena quam uti effectus peccati actualis Adami et formale peccati habitualis originalis in posteris, iuxta ea quae loco suo de morte animae diximus. Magis tamen habet in originali culpa rationem poenae pro theologis illis qui concipiunt iustitiam originalem aliquo modo uti radicem gratiae. E converso, amissio integritatis magis rationem habet poenae pro illis theologis, qui rectius, cum S. Thoma, concipiunt gratiam supernaturalem uti radicem totius iustitiae originalis.

Sit igitur ordo huius tractationis: 1° de vulneribus naturae per originale peccatum illatis; 2° de captivitate daemonis inde orta; 3° de aeterna damnatione eidem peccato debita. Locos S. Thomae quos de more uti tesseram adhibebimus, in principio cuiusvis membri assignabimus.

A) De vulneribus naturae per originale peccatum illatis.

Ratio Quaestionis et methodus. – Interiecta Quaestione LXXXIV de *causa* peccati secundum quod unum peccatum est alterius peccati causa, ubi agit de cupiditate, de superbia et de vitiis capitalibus, S. Thomas accedit ad inquirendum de *effectibus* peccati. Quam inquisitionem in tres partes dividit, quaerens 1) de corruptione boni naturae (Q. LXXXV), 2) de macula animae (Q. LXXXVI), 3) de reatu poenae (Q. LXXXVII). Quum autem haec omnia inquirat modo generali, agendo simul, pro argumenti natura, de peccato actuali et de peccato originali, satis nobis erit ex hac tractatione ea excerpere quae, praesertim in Q. LXXXV, argumento nostro speciali ratione inserviunt. Sit igitur.

De effectibus peccati (originalis) quoad corruptionem naturae.

(Quaestio LXXXV).

Ordo Quaestionis. – Parenthesis titulo inserta scopum nobis intentum determinat. Duplici parte haec Quaestio constat. In priore, duos primos articulos complectente, S. Thomas quaerit utrum et quousque peccatum minuat bonum naturae. Posito quod minuat bonum naturae (a. 1), quin tamen illud umquam ex toto corrumpat (a. 2), iam in secunda parte transit ad varios modos quibus potest haec boni imminutio seu corruptio considerari: scilicet quoad totum hominem in corpore et anima, per modum vulnerum (a. 3), aut infirmitatis (a. 4); vel quoad defectus corporales (a. 5 et 6). Articulis 3 et 4 magis insistendum erit quam aliis; sed nullus est praetermittendus.

ARTICULUS I.

UTRUM PECCATUM DIMINUAT BONUM NATURAE.

I. **De ipsa Quaestione**) – 1) Solutio huius quaesiti a duobus pendet: scilicet a determinatione tum *naturae*, tum *boni*.

a) *Natura* sumitur, vel α) magis proprie, in sensu philosophico, complexus elementorum quae rem in suis principiis et in qualitatibus inde causatis constituunt; vel β) minus proprie, in sensu historico, perfectio cum qua ens ab initio conditum est. [1]

b) *Bonum* autem consideratur vel α) quoad rem in seipsam, vel β) quoad finem in quem tendere debet.

2) His positis et collatis, obtinemus tres principales significationes *boni naturae humanae: a*) Constituentia naturam humanam in seipsa; *b*) constituentia naturam humanam qualem Deus illam originaliter condidit; *c*) inclinationem qua homo in finem suum, virtutis mercedem, vi innata tendit. Inspectis his tribus significationibus, patet iam per se et ex hucusque explicatis, primum esse immutabile, quamdiu homo manet homo; alterum fuisse ex integro amissum per peccatum Adami, tum in ipso Adamo, tum in eius posteris. Remanet proin ut, si bonum naturae in homine minuitur, hoc valeat de innata homini inclinatione ad virtutem.

3) Ut autem haec imminutio recte intelligatur, recolenda sunt quae superius diximus de generatione habituum. Si enim datur inclinatio innata ad bonum, quo magis actus malus influit in inclinationem oppositam, sive positive sive negative, eo magis minuitur inclinatio ad bonum, non quasi ipsa radix tollatur, sed quia eiusdem explicatio impeditur, vel obstaculis obruitur.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Confundit sensum *c*) cum *a*) (cf. dicta n. 2).

2ª Obi. Abstrahit ab inclinatione naturae ad actionem voluntariam. Peccat exaggerando distinctionem inter naturam et potentiam, et per consequens inter naturam et activitatem potentiae. Utique accidens est talis vel talis actio; sed actio ex toto vix potest accidens vocari, quum de natura sit hominis ut potentiis ad agendum non solum instruatur, sed et illis utatur.

3ª Obi. Non attendit ad dicta n. 3. Negligit habitudinem potentiarum ad invicem; imo in eisdem potentiis habituum ad invicem.

[1] Cf. dissertationem praeviam de triplici ordine.

4ª Obi. Confundit inordinationem agentis cum inordinatione actus. Inordinatio actus se habet tamquam accidens, quod agit in subiectum, non effective sed formaliter. Inordinatio autem agentis est quidem effective agens; non autem ut accidens in proprium subiectum, sed ut obiectum in potentiam, etc.

Sed contra est. Vides ex hoc argumento nexum inter hunc art. 1m et art. 3m. – Cf. can. 1, sess. V Conc. Trid.

In Corpore. Processus est simplex. Distincto triplici sensu boni naturae, S. Thomas concludit, diminutionem boni per peccatum non convenire nisi sensui quem tertio loco (n. 3) posuimus, quem autem S. Thomas secundo loco ponit, quia est bonum cum naturae constitutivis maxime connexum. Affirmato quod de hoc bono naturae valeat imminutio, S. Doctor rationem ostendit ex doctrina quam supra exposuit de generatione et imminutione habituum. Quum enim actibus malis generentur; vitia et vitia opponantur virtutibus; consequens est quod per peccata inclinationem in virtutem minuit. Haec autem inclinatio est bonum naturae de quo quaeritur. Quae magis de actualibus peccatis heic dicta, in art. 3º efficaciter argumento nostro inservient.

ARTICULUS II.

UTRUM TOTUM BONUM HUMANAE NATURAE POSSIT AUFERRI PER PECCATUM.

I. De ipsa Quaestione. – 1) Vidimus, bonum in sensu *b*) (n. 2) ex toto auferri; bonum autem *a*) ex toto servari; quare praesens quaestio unice intelligenda est de bono *c*).

2) Iam vero in supradictis praeoccupavimus solutionem quaesiti. Etenim quum inclinatio in bonum non minuatur in homine in quantum pertinet ad naturam (in sensu *a*), in qua radicatur, sed in quantum per inclinationem oppositam impeditur ne se evolvat et terminum suum attingat; patet, cum ipsa natura manere radicitus inclinationem ad bonum. Proinde in crescente imminutione inclinationis bonae, periculum nullum est quominus unquam totum bonum tollatur.

3) Servanda ergo est in hac imminutione lex naturae, quae vult inclinationem ad bonum minui iuxta gravitatem actus mali. Quare, nedum in tali imminutione fingenda sit proportio decrescens, cuius fundamentum et mensura omnino gratuito poneretur; dicendum est fundamentum huius imminutionis eiusdemque mensuram esse gravitatem peccati, non quidem absolute, sed relative ad statum imminutionis iam per praecedentes actus inductae.

4) Crassiores autem fictiones, quae inde procedunt, quasi partes totius uniformis, accedentibus novis peccatis, successive auferendae essent, vel ex ipsa finitate naturae, successiva ablatione, ad totalem consumptionem esset perveniendum; vix indigent ut solvantur. Confundunt enim terminum cum principio.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Procedit ac si auferretur radix inclinationis ad bonum.

2ª Obi. Non considerat, inclinationem naturalem habet duplicem respectum ad principium et ad terminum.

3ª Obi. Falso supponit, in damnatis principium inclinationis tolli. Quare obiectio non solum solvitur, sed et egregie retorquetur.

Sed contra est. Adverte vim argumenti. Non solum ex remanente bonitate naturae (in sensu *a*) negat imminutionem in sensu *c*) ad boni totalem destructionem pervenire posse. (Hic non esset nisi verborum ludus). Sed ex ipso virtutis bono, quod est quasi, per oppositionem, subiectum vitii, arguit ad non totalem destructionem ipsius boni in sensu *b*).

In Corpore. En paucis processum huius pulchri argumenti.

1) Primo S. Thomas *factum* demonstrat, nempe bonum non ex toto destrui posse per peccatum. Demonstratur autem ex ipso fundamento virtutis, quod redundat in bonum naturae in sensu *a*). Nec satis. Demonstratur insuper ex ipso peccato, quod indirecte illud bonum radicale exigit, quia illud supponit.

Hoc posito, iam 2) *explicationem* facti quaerit. Et primo quidem adducit explicationem falsam, dein aliam affert bonam.

a) Falsa explicatio consistit in recurrendo ad diminutionem per proportionem quae vocatur relativa, in oppositione ad proportionem absolutam. Ponamus numerum 100. Iuxta hanc alteram proportionem, decrescit numerus 99, 98, 97, etc.; unde patet centesima imminutione totum sublatum iri. Iuxta priorem v. gr. 50, 25, 12.5, licet initio longe plus auferat, numquam tamen totum tolletur. - Sed haec explicatio improbatur, quia est arbitraria, et peccat contra legem naturalem augmenti habituum. - Igitur quaerenda est alia explicatio. Et invenitur in hoc quod in una inclinatione bona datur duplex respectus: alter ad radicem, alter ad terminum. Hoc posito, patet solutio; quoad priorem respectum inclinatio non minuitur; quoad alterum, in infinitum minui potest, quin unquam inde ipsa inclinatio, ut radix, pereat.

Quae rursus a S. Thoma ponuntur magis cum respectu ad peccatum actuale. Habent tamen suum momentum pro peccato originali, uti mox constabit. Haec autem corruptio boni naturae per peccatum est simul effectus a peccato inseparabilis et poena peccati. Effectus in actualiter peccante, poena simul et effectus in originali labe infecto.

Ex doctrina horum articulorum iam apparet, quam absurde pseudo-reformatores talem ex peccato in homine corruptionem secutam affirmarint, qua primordialis imago Dei omnisque capacitas ad quodvis bonum ex toto destruerentur. De quibus, necnon de excessibus huic errori vicinis, in sequenti articulo plura dicemus.

Interim, circa resp. ad 3^{m} observa, de peccato originali, sicut nec poenitentiam, ita neque remorsum dari: haec enim essentialiter supponunt reatum culpae personalis. Datur tamen, imo laudabilissime, spiritus austeritatis, quo effectus originalis culpae praesertim concupiscentia in singulis minuantur, necnon uberiores gratiae efflagitentur, quibus de eisdem triumphetur, et reparationis fructus ad plures perveniat.

ARTICULUS III.

UTRUM CONVENIENTER PONANTUR VULNERA NATURAE EX PECCATO CONSEQUENTIA: INFIRMITAS, IGNORANTIA, MALITIA ET CONCUPISCENTIA.

I. **De ipsa quaestione.** – 1) Hucusque vidimus quodnam et quousque bonum naturae corrumpi possit. Iam quaerendum est de modo quo corruptum sit per originale peccatum. In quo cavendum erit a duplici excessu: Pelagii nimirum et novatorum.

2) Pelagius negabat, hominis libertatem ad bonum ex peccato originali detrimentum ullum passam esse. Contra quem errorem statuit Concilium Arausicanum II, canone 1: « Si « quis per offensam praevaricationis Adae *non totum*, id est « secundum corpus et animam, in deterius dicit hominem « commutatum, sed animae libertate illaesa durante, corpus « tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore « deceptus adversatur Scripturae dicenti: " Anima, quae « peccaverit, ipsa morietur „. Et: " nescitis, quoniam, cum « exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius, cui « obeditis? „. Et: " A quo quis superatur, eius et servus « addicitur „ ».[1]

3) Ex opposito novatores protestantes, urgentes Concilii Arausicani verba, non ea intellexerunt quemadmodum intelligi debent, de impossibilitate scil. originalis iustitiae propter amissam integritatem, et de pronitate in malum propter irruentem concupiscentiam; sed de intriseca laesione libertatis, imo de destructione libertatis ad bonum. Inde factum est quod Concilium Tridentinum, contra novatorum errores imprimis congregatum, ex una parte in canone 1, Sess. V (qui 1 canonem Arausicanum quasi ad verba reproducit), incisum de laesione libertatis omiserit, et ex altera parte in sess. VI, can. 5, liberum arbitrium vindicaverit: « Si quis liberum « hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extin- « ctum dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum

[1] DENZIGER, *Enchirid.*, n. 144.

« sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, A. S. ».[1]

4) Concordantia autem inter Tridentinum canonem et canonem Arausicanum haud aegre apparet. Hic affirmat, liberum arbitrium non remansisse integrum; ille affirmat liberum arbitrium non fuisse amissum, nec extinctum. Media quippe doctrina est vera: liberum scil. arbitrium quoad essentiam integrum mansisse,[2] quatenus in non mutata natura radicatur; quoad exercitium autem fuisse laesum, quia caret abhinc auxilio quo ab origine fulciebatur, et iam per concupiscentiam aliaque vulnera naturae incurvatur.

5) Hanc Arausicani canonis mentem esse, ostendunt verba eiusdem Concilii. Quam enim in can. 1, vocat *laesionem* libertatis, et in can. 8, *vitiationem* liberi arbitrii, iam in epilogo: *attenuationem, inclinationem* liberi arbitrii appellat: « Praedicare debemus, ita ibi, et credere, quod per peccatum primi hominis ita *inclinatum* et *attenuatum* fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum et misericordia divina praevenerit ».[3] In quibus verbis, uti recte observat Scheeben,[4] laesio libertatis consideratur uti impossibilitas supernaturaliter operandi.

Nec obiicias, in can. 13 liberum arbitrium dici ex S. Augustino *amissum:* « Arbitrium hominis in primo homine *infirmatum* nisi per gratiam baptismi non potest *reparari;* quod *amissum,* nisi a quo potuit dari, non potest reddi ».[5] Illud enim *quod amissum,* non putamus intelligendum esse *liberum arbitrium amissum* (quemadmodum intelligit Scheeben, utique in sensu liberi arbitrii supernaturaliter perfecti), sed perfectionem *amissam,* qua liberum arbitrium gaudebat. Sumitur scilicet *amissum,* non adiective, sed substantive, seu praedicative, subaudiendo *est.* Ita evanescit difficultas.

[1] Ibid., n. 697.

[2] Unde ipse Harnack fatetur Augustinum, etsi strenuum Pelagiani erroris hostem, humanam tamen libertatem vindicasse. *

[3] Ibid., n. 168.

[4] Op. cit., § 197, n. 221.

[5] Ibid., n. 156.

* *Dogmengesch.*, t. III, p. 196.

Confirmatur haec interpretatio ex locutione Caelestini dicentis: « In praevaricatione Adae omnes homines natu-« ralem (originalem) possibilitatem et innocentiam perdidisse, « et neminem de profundo illius ruinae per liberum arbi-« trium posse consurgere, nisi eum gratia Dei liberantis ere-« xerit ».[1]

6) Patet ex dictis, reiiciendum esse excessum sententiae novatorum.[2] Nec solum. Iansenii[3] quoque excessus removendus est, quo, praeter amissam gratiam integritatemque (quae duo utique confundit), Adamum contendit tanta vehementia sese in egoismum proiecisse, ut possibilitatem operandi bonum atque resistendi concupiscentiae prorsus amiserit. In hac enim sententia, gratuita quidem, respectus originalis culpae ad habitum malum nimis urgetur.

7) Ideone ille respectus est totaliter negandus? Absit. Imo quia existit, homo dicitur vulneratus; et quia existit ad mortem spiritualem, dicitur vulneratus « lethaliter ». Audi ex iam allato Sacramentario Leoniano aliam orationem pro Natali Domini: « Deus, qui humanum genus, a suo principe « *lethaliter sauciatum*, Christi tui nativitate salvare digna-« ris; praesta, quaesumus, ut non haereamus in perditionis « auctore, sed ad Redemptoris nostri consortium transfe-« ramus ».[4]

Rursus quia iste respectus existit, homo dicitur habere « languorem, morbum, tabem, foeditatem » naturae. De quo

[1] *Ep. ad Gallos*, c. 1.

[2] Lutherus, errorem Wiclef* et Hüss in Concilio Constantiensi damnatum amplexus, scripsit ad Erasmum de *Servo arbitrio*.** Iuxta Lutherum homo ex sese, etiam in conditione originali, non habebat nisi libertatem peccandi seseque damnandi. *** Iuxta Calvinum homo ante peccatum liber, per peccatum libertatem amisit, etiam quoad opera indifferentia. Gratia non reddit libertatem, dat autem facultatem agendi bonum gratiae cooperando; sufficit enim voluntarium ad bonum sicuti ad malum. **** Mitius Melanchton, quem multi protestantes nunc sequuntur. Admittit synergismum, facultatem scilicet cooperandi libere gratiae. *****

[3] Systema Iansenii reducitur ad fatalismum quemdam pessimisticum, de quo dicemus in tractatu *De gratia*.

[4] Op. cit., p. 297.

* Scheeben (*Hand. d. Kathol. Dogm.*, t. III, p. 786) censet Wiclefum suum errorem a Thoma Bradwardino, Cancell. Oxon., derivasse.

** Edit. Weimar, 1908, t. XVIII, p. 615.

*** Ibid., p. 773.

**** *Instit.*, I, XV, 8, II, III, 1, 2, II, IV, 6; III, III, 6.

***** Cf. Bavinck, *Gereform. Dogmatik.*, III, p. 83, 151.

languore agemus potius in articulo sequenti; de vulneribus in praesenti.

8) Porro catholica sententia de hoc argumento sequenti formula comprehenditur: per peccatum originale homo est *gratuitis spoliatus,* in *naturalibus vulneratus;* quae formula, uti patet, utrumque respectum exprimit. Ne autem haec formula merus pleonasmus videatur, adverte ea quae iam haud semel diximus, quaeque in fine huius Quaestionis recurrent: in ipsa scilicet hominis natura, propter summam inaequalitatem inter utrumque elementum eam constituens, esse non quidem expressum, sed latentem appetitum ad elevationem illam, quae vocatur integritas, quatenus sine illa rationalis motus in finem regimine suo et proin ipso fine perfecte attingendo frustratur. Quare per huius integritatis amissionem ipsum bonum naturae passum est detrimentum. Ex quibus apparet, in primo membro formulae supra citatae, per « gratuita » non solum intendi presso sensu supernaturalia, sed et etiam praeternaturalia; in altero membro intendi effectum amissionis praeternaturalium potius quam supernaturalium. Etenim, uti in prima parte vidimus, interest inter praeternaturale et supernaturale, quod hoc elevat naturam undequaque supra seipsam, dum illud eam potius in seipsa, licet modo non ipsi debito, perficit. Unde absentia praeternaturalium magis quam supernaturalium naturam vulnerare potest.

9) Ex dictis iam patet, ita esse hominem in naturalibus vulneratum, ut tamen « post peccatum naturalia integra maneant ». In componendo utroque asserto consistit doctrina catholica. Compositio autem inde petitur, quod in primo asserto consideratur natura uti in seipsa, in quantum est rationalis, per integritatem perficienda; in altero autem consideratur uti, in quantum est animalis, eamdem perfectionem non exigens.

10) Hanc doctrinam Bellarminus plastice expressit dicendo, quoad naturalia hominem lapsum se habere ad hominem in statu naturae purae, sicuti nudatum ad nudum.[1] Quam sententiam etiam amplectitur et illustrat Suarez;[2] eidemque,

[1] Cf. superius, p. 30.

[2] Textui Bellarmini hac de re superius allato placet adiungere verba Suarezii: « Homo in statu purae naturae eamdem carentiam indumenti iustitiae, quam habet

uti S. Thomae mentem exprimenti, adhaeret Caietanus. « Post peccatum primi parentis, ait Angelicus, omnes absque « originali iustitia sunt exorti. Nec hoc est contra ordinem « iustitiae, quasi Deo puniente in filiis quod primus homo « deliquit, quia ista poena *non est nisi* substractio eorum, « quae supernaturaliter primo homini sunt concessa, per « ipsum in alios derivata ».[1]

11) Sunt tamen theologi qui putent, lapsam naturam nonnihil deteriorem factam esse in naturalibus.[2] Quae mutatio si intelligatur mere extrinseca, uti sunt v. gr. diabolica tyrannia, aversio a Deo uti fine naturali, auxiliorum substractio, vix potest recusari; cautius est exponenda, si intelligatur de mutatione intrinseca. Sed non ideo neganda est ex toto, quum natura patiatur gradus inter simpliciter esse et optime esse.[3]

II. **Ad Textum.** - Processus obiectionum est planus valde. Prima et ultima oppugnant ipsam enumerationem: prima quasi ex toto falsam propter vitium intrinsecum; altera quasi

« nunc homo lapsus, haberet, ac subinde eamdem nuditatem; quia vero in statu « purae naturae illam semper habuisset, non diceretur nudatus, sed nudus, nunc « autem dicitur nudatus, quia fuit aliquando vestitus. Et similiter nunc dicitur pri- « vatus, tum propter eamdem rationem, tum etiam quia censetur habere proximam « capacitatem illius iustitiae iuxta divinae providentiae institutionem: in pura vero « natura solum dici posset carere, vel non habere iustitiam, quasi per simplicem « negationem, et remotam capacitatem. Sic etiam tunc eamdem dissolutionem seu « divisionem inter appetitus haberet; illa vero non habuisset rationem vulneris, quia « nunquam habuit contrariam unionem et quasi copulationem; vulnus autem dicit « proprie relationem ad praecedentem unionem. Nam significat terminum vulnera- « tionis, vulneratio autem non fit nisi per actionem qua dissolvuntur quae prius « unita fuerunt. Et eadem est ratio de metaphora semivivi ... ». *

[1] *Compend. theol.*, 195.

[2] Huic sententiae inter alios adhaerent Thomas de Lemos, Contenson, Sylvius, Gazzaniga (*Praelect. theol.*, t. IV, diss. III, s. 3, c. 6), Fr. Schmid (*Quaest. select.*, Paderborn, 1891, pp. 255, 297, 321), M. Motais (*Le péché originel. Revue du clergé français*, t. XXXVIII, 1903, p. 30-41).

[3] Imo tota natura, iuxta S. Paulum, repercussionem ex hominis lapsu est experta. Quod ita evolvit Franciscus Jammes: « Au moment que Dieu la créa, la matière « n'était si belle que pour servir de support à la vie sans péché. Dès que celui-ci « se fut introduit dans l'âme, la chair en pâtit jusqu'à la maladie et la mort, et « cette déchéance retentit au-delà de l'homme, dans les animaux, les végétaux et « les minéraux ». **

* Suarez, *Prolegom. ad Tr. de gratia*, c. 8, n. 20.

** *Réflexion sur la matière. Feuilles dans le vent*, p. 251.

saltem in aliquo membro deficientem, ex argumento extrinseco auctoritatis. Reliquae obiectiones directe moventur contra unum ex vulneribus in titulo expressis.

1ª Obi. Procedit ac si peccati effectus non posset simul esse peccati causa, non quidem eiusdem peccati, sed alterius inde secuti.

2ª Obi. Movetur contra malitiam. Confundit actum cum habitu. Quod valet insuper de praecedenti obiectione.

3ª Obi. Movetur contra concupiscentiam. Non distinguit inter concupiscentiam rationi subditam et rebellem.

4ª Obi. Movetur contra infirmitatem, utpote a concupiscentia non distinctam. Confundit sensum latum et strictum infirmitatis.

5ª Obi. Opponit aliam enumerationem ex S. Augustino. Cf. dicenda in fine expositionis.

Sed contra est. Auctoritate Scripturarum doctrina haec fulciri potest ex ipsa narratione *Geneseos,* c. III. Vixdum commissa culpa Adam ignorantia ostendit se vulneratum, quum a facie Dei putavit se abscondi posse; malitia, quum respondit procaciter Deo ipsum interroganti; infirmitate, quum a facie Domini timuit; concupiscentia, quum de agnita nuditate erubuit.

Adverte Bedam (loc. cit.) affirmare quidem vulneratam esse naturam per peccatum originale, non autem vulnera enumerare. Despoliationem illius « a Ierusalem in Iericho » descendentis intelligit de « gloria immortalitatis » et « innocentiae veste »; plagas impositas, de peccatis, « quibus natu« rae humanae integritatem violando, seminarium quoddam « augendae mortis, fessis indidere visceribus ».[1]

In Corpore. S. Thomas tria facit: 1) Demonstrat quomodo amissio iustitiae et integritatis ordinem in homine turba-

[1] *In Lucam,* c. x. Praeter hanc parabolam, et aliae peccato originali applicari possunt. De muliere drachmam amissam inquirente bene scribit Illmus D. de la Porte: « L'humanité peut être comparée à une pièce de monnaie sur laquelle est gravée « l'effigie du souverain: " Vous avez, dit le psaume, * marqué sur nous la lumière « de votre face ". Tout front de l'homme resplendit de cette clarté. Toute nature « humaine a été formée à l'image et à la ressemblance de Dieu.

« Cette souveraine dignité de notre nature a été tellement oblitérée par le péché « originel d'abord, et par tous les déréglements qui, dans la suite des siècles en

* Ps. IV, 7.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

verit, ac proin vulneraverit naturam. Ubi adverte locutionem « quo *naturaliter* ordinantur ad virtutem », non esse intelligendam de naturali exigentia; hanc enim interpretationem S. Thomas excludit per temperamentum *quodammodo*, quod paulo superius apposuit. Nec mere intelligenda est de ordinatione primordiali, originali, in sensu historico; haec enim interpretatio redderet argumentum imbelle. Sed, secundum doctrinam superius expositam, de habitudine praeternaturalium ad naturam humanam in se perficiendam, et de proportione inter naturam humanam et actus virtutis. 2) S. Thomas evolvit harmoniam doctrinae de quatuor vulneribus, ostendendo pulcherrime quomodo haec vulnera afficiant quatuor potentias: intellectum, voluntatem, irascibilem et concupiscibilem, et quomodo per oppositionem haec vulnera respondeant quatuor virtutibus cardinalibus: ignorantia prudentiae, malitia iustitiae, infirmitas fortitudini, concupiscentia temperantiae. 3) Complet argumentum ostendendo quomodo haec vulnera peccati originalis (quemadmodum de habitibus dictum est) per actualia peccata augeantur.

Si iam quaeris de ordine inter haec quatuor vulnera, aliter et aliter iudicandum est secundum quod habitus considerantur uti in natura et uti in potentia.

Paulo aliter Augustinus: « Relinquitur ut haec poena « iusta de damnatione hominis veniat. Nec mirandum est « quod vel *ignorando* non habeat liberum arbitrium volun- « tatis ad eligendum quod recte faciat; vel resistente *car- « nali consuetudine*, quae violentia mortalis successionis « quodam modo naturaliter inolevit, videat quid recte facien- « dum sit, et velit, nec possit implere. Illa enim est peccati « poena iustissima, ut amittat quisque quo bene uti noluit, « cum sine ulla posset difficultate, si vellet; id est autem, « ut qui sciens recte, non facit, amittat scire quid rectum

« ont été la conséquence, que nous avons peine à la reconnaître: ainsi en est-il d'un « pièce, jadis brillante, que la poussière du temps a salie, et sur laquelle on ne dis- « tingue plus les traits du souverain.

« O divine Sagesse, venez, comme la femme de l'Evangile, faire de nouveau « briller à mes regards votre chaste lumière ». *

* *L'Evangile tous les jours. 4e Sem. apr. la Pentecôte, Vendredi.*

« sit; et qui recte facere cum posset, noluit, amittat posse « cum velit.

« Nam sunt re vera, omni peccanti animae duo ista poe- « nalia, *ignorantia* et *difficultas*. Ex ignorantia dehonestat « *error;* ex difficultate *cruciatus* affligit. Sed approbare falsa « pro veris, ut erret invitus, et resistente atque torquente « dolore carnalis vinculi non posse a libidinosis operibus « temperare, non est natura instituti hominis, sed poena « damnati. Cum autem de libera voluntate recte faciendi « loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est, loquimur ».[1]

Ex quo loco non solum habes, quomodo Augustinus vulnera peccati originalis ad ignorantiam et concupiscentiam reducenda intellexerit; sed quomodo difficultatem inde a concupiscentia, et impossibilitatem ab ignorantia ortam in liberum arbitrium induxerit.[2]

Tres plagas principales per originale peccatum naturae illatas, superbiam, curiositatem et concupiscentiam sensualem, iam in ipsa tentatione veluti in causa reperiri egregie ostendit Bossuetius: « Voilà donc, par un seul coup, trois grandes « plaies: l'orgueil entra avec ces paroles: *Vous serez comme « des dieux*. Celles-ci: *Vous saurez le bien et le mal* excitè- « rent la curiosité. Et ces regards attentifs sur l'agrément « et sur le bon goût de ce beau fruit, firent entrer, jusque « dans la moelle des os, l'amour du plaisir des sens ».[3] Et applicat his tribus plagis verba Ioannis[4] de mundo posito in concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae.

ARTICULUS IV.

UTRUM PRIVATIO MODI, SPECIEI ET ORDINIS SIT EFFECTUS PECCATI.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) In unaquaque re tria considerare debemus: *a*) illud quod est absolute in se; *b*) illud quod est in comparatione ad alia; *c*) illud quod est in ordine ad

[1] *De nat. et grat.*, c. 67, n. 81; cf. Retract., c. 9 a medio.

[2] Vide utrum Scheeben (l. c., n. 231) omnino fideliter Augustinum hoc loco sit interpretatus.

[3] Op. cit., VI *Sém.*, 4e *Elév.*

[4] I IOANN., II, 16.

alia. *a*) Illud quod est in se, constituit *speciem,* quae simul continet esse et bonum ab esse inseparabile; producitur autem per formam in se consideratam. – *b*) Illud quod est in comparatione ad alia, seu relative, constituit *modum,* seu mensuram in bono et esse, quae plus vel minus a rebus, iuxta formalem suam perfectionem, participantur. – Demum *c*) illud in quod unumquodque tendit, constituit eiusdem *ordinem.* Quae tria radicantur in bono radicali, quod cum ipsa entitate rei convertitur.

2) Iam vero, quemadmodum in art. 1 huius Quaestionis vidimus, triplex dari in homine bonum: unum, naturale, inamissibile; alterum, supernaturale, per peccatum ex toto sublatum; tertium, inclinationis in virtutem, per peccatum imminutum; ita quoque unicuique ex istis bonis respondet illa trilogia speciei, modi, ordinis.

3) Nec satis. Etenim illud bonum, cui respondet trilogia praedicta, potest considerari vel in peccato uti est causa, vel in peccato uti est actus; actus enim in quantum est ens et bonum, hac trilogia carere nequit. Quaestio proin praesens solvenda est et de effectu peccati et de actu peccati. Inde iam patet solutio.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Confundit bonum naturae cum bono actus; insuper in bono naturae, ipsum bonum substantiale, seu naturae proprie dictae cum reliquis bonis, de quibus in art. 1.

2ª Obi. Confundit bonum naturae, uti habitus, cum bono actus.

3ª Obi. Non considerat dicta n. 1 de nexu intimo inter tria trilogiae membra.

Sed contra est. Ex hoc argumento vides, in articulo praesenti peccatum originale magis considerari uti morbidam qualitatem et languorem naturae. Confirmatur autem articuli doctrina per verba *Sapientiae:* « Omnia in mensura, et « numero et pondere disposuisti ».[1] Peccatum est enim oppositum operi Dei.

In Corpore. Argumentum duplici parte constat. In prima S. Th. determinat sensum trilogiae. In secunda illam trilo-

[1] C. XI, 21.

giam applicat ad triplex bonum, naturae scilicet, inclinationis et gratiae; quorum primum manet, secundum minuitur, tertium tollitur per mortale peccatum, non autem per veniale. Insuper illam applicat ad bonum actus, cui opponitur peccatum, utpote praecise in huius trilogiae privatione consistens; nam actus peccati, in quantum est peccatum, sive mortale sive veniale, consistit in negatione.

ARTICULUS V.

UTRUM MORS ET ALII CORPORALES DEFECTUS SINT EFFECTUS PECCATI.

1. **De ipsa Quaestione.** – 1. Hucusque de poenis peccati originalis egimus quoad animam eiusque potentias, seu quoad totum hominem. Nunc magis agendum de defectibus quoad corpus. Magis, inquam; nam sicuti concupiscentia totum afficit compositum, ita integritatis dotes, inter quas praecipue excellebat immortalitas, nonnihil in ipsa anima ponebat, iuxta ea quae superius ex ipso S. Thoma vidimus.

2) Etenim solvendum remanet aliquod dilemma. Quum dictum sit superius, peccatum non destruere bonum naturae in se consideratae, ita arguitur: aut peccatum non fuit causa mortis aliorumque defectuum corporalium; aut mors aliique defectus corporales non erant homini naturales. Subtilitas est in altero membro. Igitur in praesenti articulo S. Thomas negat primum membrum dilemmatis. In sequenti vero distinguet in altero membro.

3) Solutio praesentis articuli, post superius exposita, patet, modo sequentia prae oculis habeantur: *a*) Immortalem fuisse hominem per privilegium removens prohibens, non autem per propriam virtutem; *b*) aliud esse, causare per se, et causare per accidens; *c*) nexum inter duo ad invicem relata non exigere reciprocitatem quando relatio ea connectens est descendens; quare ex eo quod remota iustitia removetur integritas, non sequitur quod reddita iustitia reddenda sit integritas; *d*) eo vel magis quod in ipsa hominis reparatione datur duplex stadium: alterum inchoationis in hac vita, alterum consummationis in futura; *e*) gratiam

demum et peccatum non omnino eodem modo opponi nunc ac in statu originali; etenim tunc gratia complectebatur integritatem; nunc autem usque ad terminum ea caret.

II. **Ad Textum.** – *1ª Obi.* Non attendit ad 3), *a*), *b*).

2ª Obi. Negligit dicta 3), *c*), *d*).

3ª Obi. Praetermittit expositam rationem 3), *e*).

Sed contra est. Recole hic textus citatos, ubi de morte tamquam poena peccati Adami diximus.

In Corpore. Argumentum triplici parte constat. 1) In prima parte S. Thomas exponit quid intersit inter causam per se, quae ab agente intenditur, et causam per accidens, quae solum connectitur cum re quae est causa per se. 2) In altera parte hanc praemissam doctrinam applicat quaesito. Adverte in hac parte originalem iustitiam, uti saepe apud Angelicum, sumi in sensu non solum gratiae supernaturalis, sed et integritatis praeternaturalis. 3) Demum ex hac doctrina concludit, amissionem immortalitatis esse non solum effectum peccati, sed et poenam eiusdem, quatenus, licet a peccante non intendatur per se, a Deo autem puniente ordinatur. Ubi adverte; verba « sicut etiam « substractio gratiae » non ita intelligenda esse, quasi aeque substractio gratiae poena vocaretur ac substractio originalis integritatis. Quo enim intimior est oppositio inter rem et actum peccati, eo minus eiusdem rei per peccatum substractio habet rationem poenae eiusdem peccati, sed eo magis habet rationem effectus. Recolantur hic quae supra diximus de nexu inter peccatum mortale et mortem animae. Verbo: mors corporalis magis habet rationem poenae quam mors spiritualis; haec enim magis directe uti effectum peccatum sequitur, quum grave peccatum essentialiter contrarietur charitati.

Resp. ad 2ᵐ. Ex dictis patet dupliciter huic obiectioni responderi posse, iuxta dicta 3), *c*) et *d*), quod per applicationem comparationis *in Corpore* et in resp. ad 1ᵐ illustratur. Non enim per hoc quod columna priori loco restituitur, restituuntur etiam lapides eidem antea superpositi.

ARTICULUS VI.

UTRUM MORS, ET ALII DEFECTUS CORPORIS SINT NATURALES HOMINI.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Negato itaque primo membro dilemmatis (art. 5, 2), iam distinguendum est in altero. Quod fiet iuxta principia superius statuta, scilicet distinguendo in homine naturale secundum compositum ratione materiae, et secundum formam immortalem. Etenim quum inter omnia entia homo sit solus in quo forma immortalis uniatur, uti forma, materiae corruptibili, quaestio mortalitatis habet in eo respectum omnino singularem ad utrumque elementum quo constituitur.[1]

De quo respectu iam alibi fuse disseruimus tum agentes de dote immortalitatis, innocenti Adamo concessa, tum de poena mortis in praevaricatorem inflicta.[2]

II. **Ad Textum.** – Processus obiectionum iam ostendit, tum in negativa, tum in affirmativa solutione partem veritatis haberi.

Affirmantes obiectiones hoc nexu se tenent: 1) arguitur ex ratione universali, 2) arguitur ex ratione speciali homini, 3) insistitur eidem rationi. Procedunt autem omnes, uti infra ait S. Thomas, a parte materiae. Et sunt quidem concedendae in quantum affirmant; distinguendae autem in quantum concludunt, propter rationes a parte formae petitas.

Porro obiectiones *negantes* ita procedunt: 1) Arguit ex Scriptura.[3] Sed conclusio nimis late patet. Nam abstrahit a primordiali perfectione qua ipse Deus, quod deerat virtuti materiae, gratuito dono supplevit; 2) procedit ex articulo praecedente, vi dilemmatis; eodem vitio laborat ac 1). Etenim haec primordialis evectio, si fidelitati subordinetur, iam amissa per culpam, poenam facit esse illud ipsum quod,

[1] Cf. dicta superius, p. 220 sqq.

[2] P. 433 sqq.

[3] Modus quo S. Thomas heic ex auctoritate arguit, ostendit, theologice re considerata, veritatem magis stare pro parte negativa, quatenus mors aliique defectus corporales, sunt poena peccati.

seclusa eadem evectione, mere fuisset naturalis effectus; 3) procedit ex ipso fine hominis. Arguit ac si mortalitas, quae vinculum materiae cum forma rumpit, ipsam quoque formam a fine attingendo arceret; quod excessive dicitur. Anima quippe, uti immortalis, iam per se fini proportionatur. Proinde essentia proportionis adest, independenter a corporis incorruptibilitate.

In Corpore. En huius argumenti processus.

Primo S. Thomas distinguit inter corruptibile secundum naturam universalem et secundum naturam particularem: secundum primam corruptio numquam est naturalis, secundum alteram vero est naturalis, a parte inclinationis materiae, in illis omnibus per quorum corruptionem, propter bonum universi a Deo intentum et ordinatum, generari nata sunt alia.

Hoc posito S. Doctor, ad hominem accedens, ostendit qua ratione eius forma magis quam quaevis alia forma postulet a materia non separari, quum prae omni alia sit forma incorruptibilis. Unde concludit per distinctionem, quae continet in germine solutionem difficultatum quae in utramque partem obiiciuntur.

Remanet nihilominus ostendendum quomodo talis materia tali formae proportionata dici possit. De quo non amplius agendum ducimus, postquam fuse illud argumentum, et quidem hoc ipso allegato loco, in art. 1, Q. XCVII evolvimus; ubi non pauca testimonia ex Scripturis attulimus. Uterque respectus solutionis potest inveniri in gemino textu *Sapientiae:* « Deus creavit hominem inexterminabilem »,[1] « Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus »;[2] dummodo hisce textibus ad praesens quaesitum solvendum nonnisi vis suasiva tribuatur. Prior enim directe ponit originalem integritatem, alter ponit statum post eiusdem integritatis amissionem; ita tamen ut per integritatem Deus compleverit perfectionem naturae; et eiusdem amissio naturam nudis suis viribus reliquerit. Item dic de canone Concilii Milevitani ibidem citato.

[1] Sap., II, 23.
[2] Ibid., VII, 7.

Appendix

De doctrina Ecclesiae orthodoxae circa originale peccatum.

Quemadmodum superius egimus de originali iustitia, [1] ita et de originali peccato placet exhibere doctrinam Ecclesiae dictae « orthodoxae » ac imprimis Russae. [2] Ubi rursus distinguenda est schola modernior a schola aetatis remotioris. Photius enim ipse hac in re traditionali doctrinae adhaesit. [3]

Et primo quidem distinguunt cum Macario inter peccatum, quod per baptisma deletur, et peccati consequentia. Distinguendum insuper est ipsum personale Adami peccatum a macula (προγονικὸν, προπατορικὸν, ἁμάρτημα) quae ad omnes pertransiit. Cuius universalem transmissionem passim admittunt. Plerique B. M. Virginem ab ea eximunt, non quidem quoad ipsum onus, [4] sed quoad fructus, sive quoad leviores culpas (πλημμελήματα).

Itaque Adami peccatum, iuxta Petrum Mogilam, fuit inobedientia, iuxta Macarium et Sylvestrum, superbia. Androustos distinguit actum inobedientiae, ab eius ratione movente, quae fuit egoismus (ἡ φιλαυτία). Svietlov censet inobedientiam Adami fuisse magna ex parte excusabilem ob ignorantiam, unde iuxta eum, Deus ab exordio in clementiam pronus, severus factus est ob delinquentis pertinaciam et impoenitentiam. [5]

Porro in peccati originalis analysi Photius insistebat in amissione charismatum et donorum supernaturalium. [6] Quam doctrinam pariter exprimebant orthodoxae fidei confessio-

[1] In fine cap. I, sect. I.

[2] Cf. D. Placidum de Meester, op. cit. *Le péché originel.* – *Revue bénédictine,* t. XXVI, 1909.

[3] A Pelagianismi nota eum absolvit Card. Hergenröther (t. III, p. 464 sq.).

[4] Attamen Elias Méniotis, episcopus Cepholinicus († 1714), de Imm. Conc. pulchre scripsit.

[5] Cf. Matulewicz, op. cit., p. 149, nota.

[6] *Serm. in Nativ. Mariae.* - *P. G.,* t. CII, col. 557.

nes.[1] Moderniores istum conceptum plus minusve obnubilarunt.

Iuxta Mésoloram, peccatum originale est « peccatrix « naturae conditio, quacum nascimur, et vi cuius homo ori- « ginalium perfectionum expers et a primo innocentiae statu « delapsus, potius in malum inclinatur et trahitur ».[2]

Effectus huius status Nicolaus Damalas ita distinguit: 1) Relate ad Deum, est amissio gratiae et communionis. 2) Relate ad hominem: *a*) rupta harmonia inter corpus et spiritum, unde et mors; *b*) alteratio, non autem destructio imaginis. Parumper aliter Macarius:[3] 1) Relate ad animam est: *a*) ruptum foedus cum Deo, amissa gratia, mors spiritualis; *b*) obscurata mens, *c*) amissa innocentia, voluntas depravata, ad malum magis quam ad bonum prona; *d*) alterata Dei imago. – 2) Relate ad corpus: *a*) morbi, dolores, debilitatio, *b*) mors.[4] – 3) Relate ad externa vitae: *a*) expulsio e Paradiso, *b*) amissum seu imminutum imperium in animalia, *c*) maledictio terrae.

Orthodoxi urgent effectus a peccato originali productos in hominis cognitionem, affectum sive cor, et voluntatem.[5] Iuxta Illmum Lebedev, Adamus paulatim amisit quidquid in via ad similitudinem Dei acquisierat.

Ex dictis iam patet, orthodoxos in oeconomia peccati originalis urgere concupiscentiam (ἐπιθυμία τῆς σαρκός), quae est depravatio voluntatis.[6] Chr. Androutsos fatetur hac in re variationes accidisse, et improperat Nicolao Damalas doctrinam suam nimis occidentalem, quia contendit concupiscentiam non esse peccatum.

[1] Cf. Petrus Mogilas, 16, q. 22, 23, 24, 26; Dorithei, *Defin.*, 6 et 14.

[2] Συμβολική, 2, v. p. 170.

[3] Iste Macarius, monachus, Parisiis in Univ. Sorbonae studiis incubuit, postea anno 1632, metropolitanus Kievensis renuntiatus. Princeps eius opus est Συμβολική τής ὀρθοδόξου ἀνατολικής Ἐκκλησίας, (Athen, 1911).

[4] Iuxta Macarium mors est necessario sequela lapsus protoparentum: ex una parte, qua peccatum in eorum corpus introduxit destructivum principium morborum et vitae debilitationis; ex altera, quia Deus post peccatum eos detinuit ab arbore vitae, cuius fructus potuisset eos semper in vitam servare (cf. Pl. de Meester, op. cit., p. 87). Iuxta Lebedev mors et dolores sunt nova lex a Deo promulgata, ut ruptam per peccatum originale harmoniam restitueret.

[5] Cf. P. Alexis Burgov, p. 117.

[6] Unde ad conceptum Baianum accedunt, ne dicam Lutheranum.

Philarète enim tenet, eum verum esse peccatum. Iuxta Al. Burgov, essentia peccati originalis est concupiscentia, quae producit statum laesionis profundae, non solum simplicis debilitationis. Quam doctrinam vocat regalem et mediam viam Scripturae (τὴν μέσην καὶ βασιλικὴν τῆς ἁγίας Γραφῆς ὁδόν). Unde Sylvester et Lebedev catholicis theologis improperant, quod peccatum originale limitent ad amissionis originalis iustitiae. Ioannes Perov catholicis improperat circulum vitiosum, quatenus lapsam naturam dicunt ex una parte integram, et tamen ex altera parte concupiscentiae obnoxiam. Imo catholicam Ecclesiam Pelagianismi aut Semipelagianismi insimulant. Iuxta N. Rodnikov, Augustinus est auctor Latinismi et protestantismi; dum Christos Androutsos in Petrum Lombardum potius et in S. Thomam invehit.

J. E. Mésoloras media via, uti ait, incedit inter doctrinam Ecclesiae latinae et protestantismi. Peccatum originale est mali macula (λυμνη, ῥύπος, μόλυσμα), a primo hominis peccato derivata, et quae per activitatem et operationes hominis excrescere potest usque ad corruptionem totalem, vel a regione evanescere paulatim, mediante gratia Dei praemotiva et praeveniente. [1] Quantopere autem haec sententia sit confusa totumque pervertat, nemo non videt.

In peccato originali Al. Burgov et Chr. Androustos distinguunt materiale et formale. Materiale est ipsa concupiscentia, formale eius culpabilitas, seu responsabilitas (εὐθύνη, ἐνοχή). Quae sententia continet aliquid optimi, uti ex superius dictis apparet; at longe differt a sententia S. Augustini et S. Thomae, quam loco suo exposuimus.

Restat ut videamus quomodo peccatum originale ab ipso Adamo ad omnes eius posteros derivetur.

Convenit Eug. Boulgaris cum catholicis theologis in asserendo quod, si sola Eva peccasset, eius peccatum non fuisset in posteros transfusum.

In praecedenti periodo theologi orthodoxi catholice sentiunt, affirmando peccatum originale transfundi per genera-

[1] Hanc doctrinam protestans scriptor W. Gass, cum Semipelagianismo conferens ait, esse magis explicitam Semipelagianismo, uti ait, Latinorum et Concilii Tridentini. *

* *Symbolik der griech. Kirche,* Berolini, 1872, n.

tionem, ac ita mediante corpore attingere animam. Scilicet, ut verbis utar confessionis Petri Mogilas: « in quantum « totum humanum genus erat in Adamo in statu innocentiae, « ipso peccante, totum genus peccavit, et omnes in peccati « statum ingressi sunt ». [1] Non quasi per corpus transfundatur in animam, ait Koursoulas, sed ab anima contrahitur contactu corporis.

Chr. Androutros tres sententias enumerat atque recusat. Sunt autem sequentes: 1) Peccatum originale est in solo Adamo, sed a Deo omnibus hominibus extrinsece imputatur, quam sententiam falso ait esse theologiae Occidentalis inde a saeculo XVI.[2] – 2) Omnes homines in Adamo repraesentabantur tamquam effectus in causa. Quam sententiam « phy- « siologicam », a realismo S. Augustini inductam, penitius debuisset scrutari, quam modo crassiori expositam recusare. – 3) Omnes homines dicuntur inclusi in Adamo, sicut omnes redempti includuntur in Christo. Quam sententiam, uti in falso parallelismo fundatam,[3] iure reiicit. Unde concludit ad mysterium inscrutabile.

Alii tamen ad explicandam transmissionem peccati originalis recurrunt ad quemdam instauratum generationismum. In eius systematis favorem Burgov adducit tres rationes: *a*) peccatum originale; *b*) modum quo Christus a B. Virgine, corpus et animam recipit; *c*) sententiam Scripturae, iuxta quam Deus die septimo ab operibus quievit.

Scilicet, iuxta hanc sententiam, ab Hegeliano conceptu non alienam, per generationem transfunditur natura humana corpore et anima constans; per creationem autem producitur persona, τὸ Ego. Peccatum itaque originale est peccatum naturae. Persona maculatur modo reflexo. Natura corrumpitur immediate; persona autem mediate. Unde quum persona uti debeat natura ad agendum, omnes eius actiones originali labe maculantur.

Ex dictis apparet, – quod et ex eius genesi pariter fluit, – doctrinam theologorum orthodoxae Ecclesiae, utpote e protestanticis castris magna ex parte haustam, et praeiudiciis

[1] I, 24.

[2] Est sententia superius n. 4 expressam.

[3] Excedit enim a parte inclusionis in Christo.

antilatinis nutritam, medium aliqualiter locum tenere inter doctrinam catholicam et protestanticam. Quod cl. Placidus de Meester, quem imprimis in hoc argumento sequimur, hisce verbis expressit:

« Les catholiques enseignent que, seule, la partie corpo-« relle et sensitive de l'homme sert, par la concupiscence « et autres imperfections, à transmettre le péché originel, « qui n'existera formellement que dans le composé humain, « où l'âme, quoique indirectement contaminée, en sera « néanmoins le principal siège.

« Pour les protestants Luthériens, tout l'homme, corps, « âme et personne, sont également souillés de la tache ori-« ginelle.

« La théologie orthodoxe professe une contamination « directe et immédiate pour la partie corporelle et spirituelle, « qui compose la nature de l'homme, indirecte et médiate « pour les principes constitutifs de la personne ». [1]

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Bonum naturae, ad substantiam pertinens, per peccatum non minuitur; bonum inclinationis in virtutem minuitur, sed non tollitur; bonum originalis iustitiae per peccatum originale tollitur (a. 1). – Haec autem imminutio boni medii numquam ad totalem substractionem pervenire potest, quum secus ipsum peccatum impossibile redderetur, et destrueretur conscientia; sed quantumcumque quoad explicationem et motum in finem magis et magis impediatur, remanet tamen semper radix inclinationis in virtutem, quippe quae ad substantiam naturae quasi pertinet (a. 2). – Rupto ordine quo inferiores vires superioribus, superiores Deo perfecte parebant, iam tota natura humana vulnerata dicenda est in ratione per ignorantiam oppositam prudentiae, in voluntate per malitiam oppositam iustitiae, in irascibili per infirmitatem oppositam fortitudini, in concupiscibili per concupiscentiam oppositam temperantiae (a. 3). – Haec vulnera indu-

[1] Op. cit., p. 92.

cunt languorem, quo minuuntur species, ordo et numerus, quae respondent bono inclinationis in virtutem; imo, si peccatum sit grave, remanente trilogia quae bono naturae stricte dictae respondet, ex toto tollitur bonum gratiae. Insuper actus bonum et trilogiam eidem bono respondentem tollit ipse actus peccati (a. 4). - Porro mors et corporales defectus dicendi sunt ex una parte effectus peccati, non per se, sed per accidens, quatenus est removens prohibens; nec effectus solum sed et poena (a. 5). - Ex altera autem parte mors et corporales defectus dicenda sunt naturales quidem homini, quantum ad materiam compositi; non autem simpliciter, quantum ad formam incorruptibile, quae huic materiae substantialiter unitur.

Appendix de lege peccati.

Doctrinae in hac Quaestione expositae consequens est illa captivatio animae sub lege peccati, sub lege membrorum, tam eloquenter descripta a S. Paulo in capite superius exposito epist. ad Romanos. Hanc legem egregie explicat S. Thomas in Quaest. XCI eiusdem partis, cui titulus *de legum diversitate*. Exposita doctrina de lege aeterna, naturali, humana, divina, quaerit S. Doctor in ultimo articulo: *utrum sit aliqua lex fomitis*.

Doctrina *Corporis* huius articuli ita paucis comprehendi potest. Lex dicitur essentialiter in regulante, participative in regulato. Porro a legislatore potest dupliciter inveniri inclinatio in his quae subduntur legi: directe et indirecte. *Directe*, quando directe inclinat subditos ad ea quae conditioni cuidam conveniunt, v. gr. militiae, mercaturae; *indirecte*, quando destituens aliquem ab una conditione, puta militiae, facit illum transire ad aliam conditionem seu legem, puta mercaturae. Ita a Deo variis creaturis varia est lex directe indita: v. gr. cani lex furoris, agno mansuetudinis; homini autem lex rationalis rectitudinis. Sed postquam per peccatum homo legem rationis excussit, transiit sub legem sensualitatis, iuxta verba Psalmistae: « Homo, cum in ho- « nore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insi-

« pientibus, et similis factus est illis ».[1] Haec sensualitatis inclinatio, seu fomes, est brutis lex directe indita, in homine autem legi directe inditae opponitur. Fit tamen lex, in quantum indirecte Deus, in poenam delicti, hominem sensualitatis inclinationi tradit.

Vocatur proin fomes lex peccati, a parte Dei indirecte hominem in poenam eidem fomiti tradentis; quae lex proin non implicat hominem non peccare, si fomiti cedat. Quosque autem haec peccati lex necessitatem moralem inducat originalem labem actualibus peccatis quasi gravandi, in tractatu *De Gratia* inquiremus.

Sed et alia servitus consideranda occurrit, daemonis quippe, principatum mundi per lapsum protoparentum adepti. Sit igitur.

B) De captivitate daemonis a peccato originali orta. (III Q. XLIX, a 2).

I. *Factum* captivitatis daemonis a peccato originali ortae tum Scriptura, tum catholica traditio uno ore testantur.

A) Scripturae non solum 1) diserte loquuntur de daemonis potestate et de eius imperio, sed et 2) huius imperii describunt originem et indolem.

1) S. Paulus in epist. ad Colossenses haec habet: « Qui « (Deus) *eripuit nos de potestate tenebrarum* et transtulit in « regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus *redemptio-* « *nem*, remissionem peccatorum ».[2] Ubi potestas tenebrarum intelligenda est principis tenebrarum. Et confirmatur ex vocabulo *redemptionis*.

Et paulo inferius: « Delens (Deus, seu Christus) quod ad- « versus nos erat chirographum decreti, et ipsum tulit de « medio affigens illud Cruci, et *expolians principatus et* « *potestates traduxit confidenter, palam triumphans eos in* « *semetipso* ».[3] Inde ipse Christus salutem consummaturus dixit: « Nunc iudicium est mundi; nunc *princeps huius*

[1] Ps. XLVIII, 13.
[2] Col., I, 13.
[3] Ibid., II, 14, 15.

« *mundi eiicietur foras;* et ego, si exaltatus fuero a terra, « omnia traham ad me ipsum ».[1] Et magis presse: « Venit « *princeps huius mundi,* et in me non habet quidquam ».[2] Imperium autem huius principis idem Paulus ita describit: « Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et « ipse similiter participavit iisdem, ut per mortem destrueret « *eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum* ».[3]

2) Dum his quinque locis directe princeps mundi eiusque imperium exhibentur; alia testimonia exhibent eiusdem imperii sive *originem,* sive *indolem,* tum ante, tum post Christi victoriam.

a) *Originem* asserunt hi duo loci: « Pelliciunt in desi- « deriis carnis luxuriae eos, qui paululum effugiunt,... liber- « tatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis: « *a quo enim quis superatus est, huius et servus est* ».[4] Quod licet hoc loco directe de concupiscentia dicatur, valet, ex principio posito, de ipso daemonis imperio. - Pariter: « Nescitis, « quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi « estis eius cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obe- « ditionis ad iustitiam? ».[5] De quo loco eadem valet animadversio.

b) *Indolem* porro huius servitutis, sive pacificam sive violentam, iuxta adiuncta, habes in sequentibus locis indicatam.

Primo quidem in parabola de forti armato. « Cum fortis « armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae pos- « sidet; si autem fortior eo superveniens vicerit eum, uni- « versa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia « eius distribuet ». Ecce dominium pacificum ante Christi adventum. Audi iam violentiam qua daemon utitur ut amissam tyrannidem recuperet; quae quidem violentia indirecte redundat in primam tyrannidis causam, de qua agimus. « Cum « immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca « inaquosa, quaerens requiem: et non inveniens dicit: Rever- « tar in domum meam unde exivi. Et cum venerit, invenit

[1] Ioann., xii, 31, 32.
[2] Ibid., xiv, 30.
[3] Hebr., ii, 14.
[4] II Petr., 18 sq.
[5] Rom., vi, 11.

« eam scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit, et assumit « septem alios spiritus, nequiores se, et ingressi habitant « ibi. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus ».[1] Cf. paulo superius dicta de daemone eiecto.[2]

Idem docet Petrus: « Sobrii estote et vigilate, quia adver- « sarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quae- « rens quem devoret; cui resistite fortes in fide ».[3] Et Paulus: « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insi- « dias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus « carnem et sanguinem (unice); sed adversus principes et « potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, « contra spiritualia nequitiae, in caelestibus ».[4]

Quae tota doctrina confirmatur per ultima verba Orationis Dominicae: « Sed libera nos a malo », id est a diabolo in mundo regnante. Item per verba Ioannis: « Mundus « totus in maligno positus est ».[5] Demum per descensum Christi ad inferos, unde « captivam duxit captivitatem ».[6] Et haec sufficiant de Scripturae testimoniis.

B) *Traditio* catholica de captivitate diabolica ab originali orta peccato est per saeculorum decursum manifesta. Ne nimii simus, selecti pauci textus sufficiant.

S. Caelestinus haec habet:[7] « Illud etiam quod circa bapti- « zandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, « non otioso contemplamur intuitu. Cum sive parvuli, sive « iuvenes, ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius « fontem vitae adeunt, quam exorcismis et exsufflationibus « clericorum spiritus ab eis immundus abigatur: ut tunc vere « appareat, quomodo " princeps mundi huius mittatur foras „ „[8] « et quomodo " prius alligatur fortis „ „[9] et deinceps " vasa « eius diripiantur „ „[10] in possessionem translata victoris; qui

[1] Luc., xi, 21-26.
[2] Cf. Matth., ix; Marc., iii.
[3] 1 Petr., v, 8, 9.
[4] Eph., vi, 11, 12.
[5] 1 Ioann., v, 19.
[6] Eph., iv, 8.
[7] *Ep. ad Gallos*, c. 12.
[8] Ioann., xii, 31.
[9] Matth., xii, 29.
[10] Marc., iii, 27.

« "captivam duxit captivitatem „,[1] et "dedit dona homi-
« nibus „ ».[2]

Ven. Beda, explicans parabolam de forti armato, ait: « Fortem, diabolum; atrium vero illius, mundum "qui in « maligno positus est „,[3] appellat, in quo usque ad Salva-« toris adventum male pacato potiebatur imperio, quia in « cordibus infidelium sine ulla contradictione quiescebat. « Unde et alibi "princeps mundi „ vocatur, dicente Domino: « "Venit enim princeps mundi, et in me nihil inveniet „.[4] « Et iterum: "Nunc princeps mundi eiicietur foras „,[5] de « qua et hic eiectione subiungitur ». Et paulo inferius conferens inter se opus Beelzebub et opus Christi, ait: « Ille « cupit animas hominum tenere captivas, Dominus liberare; « ille praedicat idola, hic unius Dei notitiam; ille trahit ad « vitia, hic ad virtutem revocat ».[6]

Pulchre Gregorius Naz.[7] confert regnum daemonis ab originali culpa in mundum inductum, cum ipsa specie serpentina, qua Satanas ad decipiendos protoparentes usus est. Regnum diaboli est ille serpens, quatenus omnes homines intrinsecus invadit et iugiter vivit in omnibus ac singulis. Cuius caput est separatio a Deo per peccatum habituale vel actuale; corpus, concupiscentia; cauda, mors. Inde opus iustificationis incipit a frangendo serpentis capite; remanet autem concupiscentia, quae caput instaurare conatur; donec per caudam corpus ingressa, ipsa concupiscentia cum morte trucidatur.[8]

Tempore medii aevi, quando Abaelardus doctrinam de daemonis imperio infrangere ausus est, Bernardus viriliter ipsi restitit.[9] Abaelardus autem hanc doctrinam imprimis impugnabat propter erroneum et defectivum modum, quo ipsum originale peccatum concipiebat. Etenim, rationalismum

[1] Eph., iv, 8.
[2] Ps. lxvii, 19.
[3] 1 Ioann., v, 19.
[4] Ioann., xiv, 30.
[5] Ioann., xii, 31.
[6] In Luc., xi.
[7] *Serm. in Christi natalem.*
[8] Cf. Scheeben, op. cit., l. c., n. 394.
[9] Cf. Bern., *Ep. 190 ad Innoc. II,* sive *Tract. de erroribus Abaelardi,* c. 5–6.

sapiens, in media aetate Pelagianismi instaurator et moderni liberalismi veluti praecursor, negabat in peccato originali illud, quod proprie peccatum est, et damnationem meretur; unde missionem Christi ad doctrinae praedicationem et morum incitationem limitabat. Per consequens fundamentum daemonis imperio subtrahebat. Ad tegendum autem imum doctrinae suae virus, magis declamabat contra ius, quod diabolus per iniustam aggressionem in hominem acquisiisset. De quo mox.

Theologi Scholae passim de daemonis imperio, non ubi de peccato originali, sed, et quidem obiter, ubi de opere Redemptoris tractabant. Ita S. Thomas, III, Q. XLVIII, a. 4, et Q. XLIX, a. 2; et III. Dist. XIX, a. 2.[1]

Post aevum Scholae, Conc. Trid., sess. V, can. 1, iam non semel citato, imperium daemonis a peccato Adami ortum disertis verbis proclamavit.

II. Iam de *indole* huius imperii quaedam breviter dicenda supersunt.[2]

1) Falso contra diaboli imperium arguebat Abaelardus ex hoc quod originalis impugnatio iniqua et iniusta fuit. Sane iniustum est daemonis imperium, tyrannicum in titulo et in regimine, uti optime advertit Scheeben,[3] si imperium daemonis confertur relate ad Deum, et etiam relate ad hominem ante lapsum. Sed relate ad hominem post lapsum, licet remaneat iniustum a parte daemonis, iam a parte hominis iustum est, iuxta doctrinam a principibus Apostolorum affirmatam et iam supra citatam: « A quo quis superatus est (intellige « quum potuisset et debuisset non superari), huius (iam in « iustam peccati poenam) et servus est ».[4] « Nescitis, quo- « niam cui exhibetis, vos servos ad obediendum, servi estis « eius, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis

[1] Inter theologos qui de hac daemonis potestate fusius egerunt, eminent Driego (*De captiv. et redemp. gen. hum.*), Vega (*De iustif.*, l. 2, c. 12 sqq.), Stapleton (*De iust.*, l. 2), Thomassinus (*De inc.*, l. 1, c. 3), Theoph. Raynaud (*De attrib. Christ.*, sect. v, c. 10); cf. Scheeben, op. cit., § 205.

[2] Cf. tract. nostrum *De Deo-Homine;* et dicenda mox in tractatu *De gratia.*

[3] Op. cit., n. 38.

[4] II Petr., II, 19.

« ad iustitiam ».[1] Hanc doctrinam diserte exponit S. Thomas in locis citatis.

Et re vera, antiquorum populorum ius servituti damnabat tum in bello devictos, tum debitores solvendo debito impares, qui venumdabantur, iuxta illud Prophetae: « Gratis venumdati estis ».[2] Titulus autem Redemptoris ad utrumque servitutis titulum referri potest. Inde Paulus dicit: « Empti estis pretio magno », et « Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum ».[3] Et Petrus: « Scientes quod non corruptibilibus auro, « vel argento redempti estis de vana vestra conversatione « paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni « immaculati Christi, et incontaminati ».[4]

Fatendum quidem est, Patres interdum daemonis imperium in hominem fortius vindicasse, quin expresse distinguerent inter imperium iniustum a parte daemonis, sed iustum a parte hominis poenam servitutis merentis, et Dei illum eadem poena puniri sinentis. Ut autem pateat, hanc fuisse eorum mentem, quotiescumque distinctius argumentum tractarunt, satis sit duo testimonia afferre: Bernardi alterum, alterum Anselmi.

Abbas Claravallensis, contra Abaelardum disputans, ita habet: « Discat ergo (Ab.), diabolum non solum potestatem, « sed et iustam habuisse in hominem » (in quod insistere cogebatur ex modo ipso quo Ab. imperium diaboli, tamquam iniustissimum, impugnabat), « ut consequenter et hoc videat, « venisse utique in carne Dei Filium propter liberandos homi« nes ». (Cf. dicta superius). Hucusque habes meram affirmationem generalem, thesi nostrae minus faventem. Sed iam accipe distinctiones, secundum quod consideratur hoc imperium a parte daemonis exercentis, hominis merentis, Dei permittentis. « Caeterum etsi iustam dicimus diaboli potestatem, « non tamen et voluntatem. Unde non diabolus, qui invasit, « non homo qui meruit, sed iustus Dominus, qui exposuit. « Non enim a potestate, sed a voluntate iustus iniustusve « quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem ius »

[1] Rom., vi, 16.
[2] Is., lii, 3.
[3] 1 Cor., vi, 20; vii, 23.
[4] 1 Petr., 1, 18, 19.

(adverte illud " quoddam „), « etsi non iure acquisitum, sed « nequiter usurpatum, iuste tamen permissum. Sic itaque « homo iuste captivus detinebatur, ut tamen nec in homine, « nec in diabolo illa esset iustitia, sed in Deo ».[1]

Anselmus autem – sive Boso ab Anselmo probatus, quum non correcta proferat[2] – in tractatu *Cur Deus Homo*, fuse disserit de vario respectu dominii daemonis in hominem. Quo ex loco, qui integer citandus esset, sequentia excerpere sufficiat. Praemisso quod, si diabolus iuste possedisset hominem, Deus iniuste eum dominio suo frustrasset, probat diabolum simul et Adamum, illum suggerendo, hunc consentiendo, in communem Dominum Deum furtum commisisse. Tunc pergit: « Quamvis enim homo iuste a diabolo « torqueretur; ipse tamen illum iniuste torquebat. Homo « namque meruerat ut puniretur; nec ab ullo convenientius « quam ab illo cui consenserat ut peccaret. Diaboli vero « meritum nullum erat ut puniret; imo hoc tanto faciebat « iniustius, quanto non ad hoc amore iustitiae trahebatur; « sed instinctu malitiae impellebatur. Nam hoc non faciebat, « Deo iubente, sed incomprehensibili sapientia sua, qua mala « etiam bene ordinat, permittente ». Ecce triplicem respectum debita distinctione discretum. Nec omittenda sunt quae sequuntur, in quibus et origo confusionis indicatur, et data solutio plenius explicatur. « Et puto illos, qui diabolum ali- « quam opinantur habere in possidendo homine iustitiam, ad « hoc inde adduci, quia vident hominem diaboli vexationi « subiacere iuste, et Deum hoc iuste permittere: et idcirco « putant diabolum illam iuste inferre ». (Observa quam egregie tria in hac una sententia contineantur). « Contingit enim idem « aliquid diversis considerationibus esse iustum et iniustum; « et ob hoc a non diligenter intuentibus totum iustum aut « iniustum iudicari. Evenit enim ut aliquis innocentem per- « cutiat iniuste, unde ipse iuste percuti mereatur; si tamen « percussus vindicare se non debet et percutit percutientem, « iniuste hoc facit. Haec igitur percussio ex parte repercu- « tientis iniusta est, quia non debuit se vindicare; ex parte

[1] Loc. cit.
[2] L. I, c. VIII.

« vero percussi iuste, quia iniuste percutiens, iuste percuti « meruit.... Hoc itaque modo dicitur iuste vexare hominem: « quia Deus hoc iuste permittit, et homo hoc iuste patitur. « Sed et hoc quod homo iuste dicitur pati, non sua iustitia « iuste dicitur pati, sed quia punitur iusto iudicio Dei ».[1]

Imperium daemonis in hominem est:
- 1) a parte daemonis exercentis – iniustum;
- 2) a parte Dei permittentis – iustum;
- 3) a parte hominis merentis – iustum: iustitia ipsius Dei, non iustitia hominis.

Vides proin 3m) reduci in 2m). Nisi enim homo puniri meritus esset, Deus non posset iuste permittere servitutem, quam homo a diabolo patitur. Tribulari quidem a daemone hominem etiam innocentem, iuste permittere potest Deus; servum autem daemonis fieri innocentem, non potest.

2) Si iam quaeritur, in quo haec servitus consistat, ad sequentia reducenda videtur. *a*) Primario consistit in exclusione a regno Dei, qua fit ut damnati pertineant ad illum qui inferni est princeps; unde iam in praesenti vita serviunt illi, qui caput est damnatorum, et ipsorum futurus caput. – *b*) Secundario consistit in lege peccati, quae regit exclusos a lege charitatis. Concupiscentia quippe est velut catena, qua diabolus homines peccati servos humo incurvatos detinet. Inde ardor quo multiplicat luxuriae stragem; non quasi ipse erga turpia carnis ulla delectatione afficiatur:[2] ea quippe, purus spiritus, abhorret superbeque despicit; sed quia in stimulanda concupiscentia medium intuetur facillimum eos in aeternum perdendi, quorum ruinam ex odio Dei et impio zelo summe exoptat. « Diabolus, ait S. Thomas, « dicitur maxime gaudere de peccato luxuriae; quia est « maximae adhaerentiae, et difficile ab eo homo potest « eripi ».[3]

c) Tertio consistit in morte corporali, cuius imperium, dicente Scriptura, daemon exercet. Quicumque enim, ante

[1] Op. cit., l. I, c. 7.

[2] Hinc fundamento falsa est tragoedia Byron *Heaven and Earth,* in qua, iuxta falsam interpretationem Gen., VI, describuntur angeli cum filiabus hominum con gressi.

[3] I-II Q. LXXIII, a. 5 ad 2.

reparationis gratiam a Christo receptam, debitum mortis solvit, consummatur per mortem in aeterna ruina; quare mors est veluti gladius, quo daemon victimas suas, iam laethaliter sauciatas, mactat et perdit. Inde momentum summum triumphi, quem Christus moriendo de morte retulit.[1] Mors proin iusti et mors impii, licet externo oculo similes, toto caelo distant. Illa, inferni ianua, diaboli stimulo agitur; haec, ianua paradisi, cruce Domini munitur.

d) Quarto consistit in invasione diabolicae potentiae in mundum externum visibilem, quem inficit et latenter occupat.[2] Inde e converso regnum Christi irrationalem quoque penetrat creaturam, quotiescumque vel per exorcismos ex ea daemones pelluntur, vel portentosa Dei nomine in ea exercentur. Vi huius dominii in visibilia diabolus, qui Dominum in deserto tentavit, potuit illi omnem quam ostendit regionem tradendam polliceri;[3] etenim erat ipsius, quum *princeps* esset *huius mundi.*

e) Terminus autem huius dominii consistit in ipsa tyrannide, quam daemon post hanc vitam in damnatos exercet, tormenta eis immani rabie inferens, superbiamque eorum nefando sceptro calcans. Unde non fictio mere poetica sunt illa, quae *Divinae Comoediae* cantor in tartaro conspecta describit, quum fundamentum habeant vere dogmaticum. Quemadmodum enim sub Christo Rege beati ab angelicis ordinibus in ipsa luce caelesti recipiuntur, ita in infernali nocte a daemonum hierarchia sub capite Lucifero damnati patiuntur.

3) Modus autem quo haec tyrannis sese exercet, tum gradibus, tum stadiis mensuratur.

a) *Gradus* habet; etenim quo magis aliquis in peccatum demergitur, eo vehementius dominio diaboli subest. Proin iuxta omnia in numero praecedenti dicta, peior est conditio peccatoris obstinati, quam non obstinati; peior conditio actuali culpa gravi, quam sola originali labe ligati.

[1] Hinc pulchre canit Ecclesia in Paschatis triumpho:

Mors et vita duello - conflixere mirando;
Dux vitae mortuus – regnat vivus.

Cf. textus supra citatos.

[2] Matth., iv.

b) *Stadium* autem habet triplex, iuxta parabolam fortis armati. α) Stadium tranquillae possessionis erat tempus ante adventum Domini, quando cultus daemonum per polytheismum ubique regnabat, pessimaque vitia divinitatis specie fovebantur. – β) Stadium cladis a Christo acceptae, quando, « devicto mortis aculeo », debellato principe mundi, idola corruunt, vitia purgantur, et daemon, quod antea sordibus suis deturpabat, mundatum ornatumque Dei regnum invenit. – γ) Stadium instaurati regni diabolici, per haereses et schismata, per reditum ad ethnicos mores, per instauratum Satani cultum, non iam sub fallaci divinitatum specie, sed in agnita infernali malitia. Unde re vera verificatur in hoc stadio illa paraboli ultima sententia: « Et fiunt novis- « sima hominis illius peiora prioribus ». De quibus in peiorem servitutem relapsis Petrus, ignominiosam apostasiam praesentis aetatis quasi describens, ait: « Melius enim erat « illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem « retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto « mandato. Contingit enim eis illud veri proverbii: "Canis « reversus ad suum vomitum: et, Sus lota in volutabro luti ».[1]

Iam vero quae de triplici stadio historico dicta sunt quoad evolutionem regni Christi, valent adhuc directius de quavis anima, quam, per Christi sigillum a daemone liberatam, leo rugiens rursus invadere conatur, statum illius, si modo vincat eam, priore peiorem redditurus.[2]

4) Porro haec diaboli dominatio est vera interna occupatio, quemadmodum S. Gregorius Naz. in loco superius allato eam describit. Inde ritus baptismalis per exorcismos inducitur. S. Thomas, in P. III, Q. LXXI, art. 2, quaerens: « Utrum exorcismus debeat praecedere baptismum », ait: « Diabolus hostis est humanae salutis, quae homini per bapti- « smum acquiritur; et habet potestatem aliquam in homi- « nem ex hoc ipso, quod subditur originali peccato, vel « etiam actuali; unde convenienter ante baptismum expel- « luntur daemones per exorcismos, ne salutem hominis im- « pediant (in *Corpore*) ». Et ad 1^m ait, quod baptizandi « ener- « gumeni dicuntur, quasi interius laborantes ex extrinseca

[1] II PETR., II, 21, 22; PROV., XXVI, 11.
[2] Cf. I PETR., V, 8, 9.

« operatione diaboli; et quamvis non omnes accedentes ad « baptismum corporaliter ab eo vexentur; omnes tamen non « baptizati potestati daemonum subiiciuntur, saltem propter « originalis peccati reatum ». Omnes baptizandos interius laborare a daemone expresse fatetur in resp. ad 3m ubi ait, quod « energumeni dicuntur, quasi ab interius laborantes, « illi qui exorcizantur ».

Haec interna invasio est quasi formale obsessionis; cuius materiale est vexatio corporalis. Nil mirum proin, si apparente Christo multiplicata fuerint haec dominationis diabolicae signa. Finem quippe regni sui diabolus quasi praesentiens, vehementius exercuit imperium a quo depelli timebat. Eo vel magis, quod haec immanior tyranni potestas ad manifestius divinitatem Christi ostendendam a Providentia destinabatur.

Quum autem haec externa vexatio nonnisi materiale sit diabolicae dominationis, patet quod, quemadmodum concupiscentia remanere potest, remisso reatu originalis culpae, ita quoque interdum diabolus externe sinitur actualiter vel habitualiter vexare etiam illos in quos, propter charitatem, omni interno dominio destituitur. De quo fusius egimus in tractatu *De Angelis*.

C) De aeterna damnatione peccato originali debita.[1]

Praeter ea, quae S. Thomas passim habet circa hoc argumentum in tractatu *De Baptismo* (III, Q. LXVI-LXXII), elementa solutionis inveniuntur sparsa in I-II, Q. LXXXVII, ubi de reatu peccati, in III, Q. I, a. 4, ubi de regeneratione per Christum, et Q. LII, ubi de effectibus sacramentorum.

Sed in aliis scriptis S. Thomas ex professo tractat de poena originali peccato in altera vita debita. Sunt: II, Dist. XXXIII, Q. II, art. 1: « Utrum poena sensibilis debeatur peccato ori- « ginali secundum se »; art. 2: « Utrum pueri non baptizati

[1] De hoc argumento optime disserit Palmieri, qui ita formulat suam thesim: « Poena debita in altera vita peccati originali est quidem privatio beatitudinis super- « naturalis, non vero poena ignis » (op. cit., th. XVII, p. 191 sqq.). - Sed et cf. Bolgeni opus cui titulus: *Stato dei bambini morti senza battesimo.*

« sentiant in anima afflictionem spiritualem ». Et adhuc fusius in libro *De malo,* Q. V, ubi tribus consequentibus articulis quaerit: 1) « Utrum poena originalis peccati sit carentia divi- « nae visionis »; 2) « Utrum peccato originali debeatur poena « sensus »; 3) « Utrum patiantur afflictionem interioris dolo- « ris, qui cum solo originali discedunt ».

Hunc ultimum ordinem in praesenti tractatione sequemur, eodem opere prae oculis habito; ita ut triplici propositione argumentum complectamur.

I Propositio.

Peccato originali uti poena debetur carentia visionis beatificae.

Haec propositio est de fide. Fluit enim ex dictis superius de peccato originali, et de necessitate operis salvifici. Negare hanc propositionem, esset instaurare commentum Pelagii medium quid inducentis inter regnum caelorum et damnationem.

Argumentum, quo S. Thomas hanc veritatem demonstrat,[1] ad hoc reducitur. Visio beatifica est talis hominis finis ut sine gratiae auxilio homo illam attingere nequeat, iuxta illud Apostoli: *Gratia Dei, vita aeterna.*[2] Iam vero per peccatum protoparentes hanc gratiam, quam originaliter Deus homini concesserat, amiserunt, et per peccatum originale omnes posteri illa gratia destituuntur; ergo poena peccati originalis est exclusio a supernaturali fine divinae visionis.[3]

Ex variis obiectionibus, quas S. Thomas affert et repellit, sufficiat decimam tertiam excerpere; quae procedit ac si peccato originali non deberetur poena privationis visionis, quia per se visio beatifica non sequebatur uti debita iustitiam originalem. Quae obiectio, uti optime animadvertit S. Thomas, procedit ab opinione eorum, qui putant gratiam gratum facientem non includi in ratione iustitiae originalis;

[1] Loc. cit., *De malo.*
[2] Rom., VI, 23.
[3] Cf. II, Dist. XXXIII, q. II, a. 1.

quod S. Doctor putat erroneum. Sed neque hoc admisso conclusio sequeretur, quia saltem iustitia originalis erat, in mente ita sentientium, conditio sine qua non; quae conditio, negata originali iustitia, iam deest, ac proin deest et iustitiae finis, ipsa beatifica visio.

Iuvat hic afferre auctoritatem S. Anselmi, ad vindicandam in parvulorum damnatione divinam iustitiam. « Sunt « quorum animus infantes debere damnari, qui sine baptismo « moriuntur, ob solam iustitiam quam dixi, non vult acci- « pere: quoniam nullus homo iudicat eos reprehendendos de « peccato alienae personae, et quia nondum sunt iusti et « intelligentes in tali aetate, nec putant Deum districtius « innocentes debere iudicare, quam iudicent homines.

« Quibus dicendum est quod aliter Deus erga infantes « exigit quid debeant agere, aliter homo. Nam homo non « debet exigere a natura quod ipsa non dedit, et quod sibi « non debetur. Nec iuste redarguit homo hominem cum « culpa nasci, sine qua ipse non nascitur, et de qua non nisi « per alium sanatur. Deus vero recte exigit a natura quod « dedit ei, et quod sibi iuste debetur. Sed et hoc iudicium, « quo infantes damnantur, non est alienum multum, si con- « sideretur, ab hominum iudicio. Si quis enim vir et uxor « eius, ad magnam quamdam dignitatem et possessionem « nullo suo merito, sed gratia sola provecti, simul crimen « grave committunt, et pro eo iuste deiiciuntur, et in servi- « tutem rediguntur, quis dicet filios, quos post damnationem « generant, eidem non debere subiacere servituti, sed potius « ad bona quae parentes iuste perdiderunt, gratis oportere « restitui? Tales sunt primi parentes, et filii eorum, quos « iuste pro culpa sua de beatitudine in miseriam damnati, « in eodem generant exilio. De similibus itaque simile debet « esse iudicium, sed de illis tanto districtius quando deli- « ctum eorum probari potest improbabilius. – Denique omnis « homo, aut salvatur aut damnatur; omnis autem homo qui « salvatur, ad regnum caelorum admittitur; et omnis qui « damnatur, ab eo excluditur. Qui vero admittitur, provehitur « ad similitudinem Angelorum, in quibus nullum unquam « fuit aut erit peccatum: quod fieri nequit, quamdiu in eo « est aliqua macula peccati. Impossibile itaque est aliquem

« hominem cum aliquo, quamvis parvo, peccato salvari. « Quare si, quod dixi originale peccatum, est aliquod peccatum, necesse est omnem hominem in eo natum, illo non dimisso, damnari ».[1]

II Propositio.

Peccato originali probabilissime non debetur poena sensus.

Supponimus hic notam distinctionem inter poenam damni et poenam sensus. De qua vide I-II, Q. LXXXVII, 4; II-II, Q. LXXIX; III, Q. XLVI, 6, 3; III, Q. LII, 2, 2.

I. Praevia sint quaedam de historica evolutione huius doctrinae.

Ante litem Pelagianam nihil expresse invenitur de poena sensuum infantibus sine baptismo mortuis reservata. Apud Patres Graecos numquam talis opinio occurrit; imo, cum Scheeben[2] dicere possumus, universalem fuisse in his Ecclesiis doctrinam S. Gregorii Naz., qui horum infantium damnationem ad poenam damni limitat. Etenim de his infantibus acutus ille theologus affirmat se existimare quod « nec caelesti gloria nec suppliciis a iusto iudice afficiantur, utpote « qui, licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc iacturam passi potius fuerint, « quam fecerint. Neque enim quisquis supplicio dignus non « est, protinus honorem quoque meretur, quemadmodum « nec quisquis honore indignus est, statim etiam poenam pro« meretur ».[3] Quae sunt ipsissimae rationes quae hodie praevalent. In Ecclesia Latina propter Pelagianum commentum de loco medio inter regnum caelorum et damnationem, et ex urgente oratione Domini de ultimo iudicio, in quo nihil relinquitur medium inter ignem aeternum et vitam aeternam,[4] factum est ut plures Doctores de poena sensuum

[1] *De Conc. Virg.*, c. 28.

[2] Op. cit., n. 374.

[3] *Orat.* XL *in S. Lavacrum.*

[4] Gelasius ex hoc loco arguit contra commentum Pelagianum de loco medio, quin tamen de poena sensuum infantibus debita verbum habeat (*Ep. ad Episc. Picen.*).

infantibus debita dubitaverint. Anceps haeret Augustinus, nec tamen audet « dicere quod eis (parvulis), ut nulli essent, « quam ut ibi essent, potius expediret ».[1] Sed affirmat, ad illudendam difficultatem ex sententia ultimi iudicii petitam, non mirandum esse quod, ubi non adsunt merita nec demerita personalia, possit esse « sententia iudicis media inter praemium et supplicium ».[2]

Ne autem locutiones duriores, quae apud aliquos Patres occurrunt, ultra sensum ab auctoribus intentum urgeantur, attente considerandum est, eos plerumque agere contra Pelagianos, qui, distinguentes inter vitam aeternam et regnum caelorum, infantibus cum solo peccato originali discedentibus felicitatem saltem vitae aeternae pollicebantur. Contra quos non solum possunt, sed et debent isti parvuli praedicari a regno exclusi atque damnati; imo quum haec exclusio sit poena, eaque aeterna, aeterno supplicio addicti. Exemplo sint verba sequentia S. Augustini: « Potest proinde recte « dici, parvulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissime futuros. Multum autem fallit, vel « fallitur, qui eos in damnatione praedicat non futuros ».[3] Quodsi in quodam sermone[4] Augustinus eos damnat ad ignem aeternum, nondum ex hoc modo loquendi, veluti per transennam, intelligit poenam sensus. Quod et de aliis locis Patrum valet; uti S. Hieronymi,[5] Aviti Viennensis,[6] Isidori, S. Pudentii episc. Tricass.,[7] quin et S. Gregorii M.[8] Minus facile solvitur textus Fulgentii superius allatus. Sed et hic potest intelligi in sensu ab Augustino intento. Quare cum Palmieri[9] censemus, Card. Norisium ultra limites esse progressum quando, respondens quaestioni: « An S. Augustinus,

[1] *Ctr. Iul.*, l. c., 11.

[2] *De lib. arb.*, l. III, c. 23. Et re vera, uti ostendit Scheeben, iuxta Bellarminum, hic locus evangelicus non solum supponit homines proprii meriti vel demeriti per personales actus capaces, sed iam per fidem ad regnum Christi pertinentes, quum de agnito vel non agnito Christo in fratribus laudentur alii, alii increpentur.

[3] *De peccat. merit. et remiss.*, l. I, c. 16.

[4] *Serm.* CCXCIV (al. 14).

[5] *Dial. adv. Pelag.*, l. III.

[6] *Diff. ver.*, l. II, n. 26.

[7] *Lib. de praedestin.*

[8] *Moral.*, l. IX, c. 12.

[9] Op. cit., p. 200.

« asserens parvulos puniri mitissima poena sensus in inferis, « per excessum locutus sit », haec scribit: « Spero fore ut « deinceps, ubi haec nostra disputatio legetur, plures in « S. Augustini partes transeant, vel saltem a censuris absti- « neant, neque S. Doctorem excessus insimulent in ea sen- « tentia tradenda, quam unanimi consensu Pontifices, Synodi « ac Patres docuere, ut hucusque luculenter monstratum « est ».[1] Etenim nec certo constat, Augustinum de poena sensus esse locutum; quin imo affirmat, « se nescire qualis « et quanta sit » haec poena eis debita;[2] nec ullo modo constat hanc doctrinam fuisse ab Ecclesiae auctoritate sole- mniter sancitam. Nam, uti ait S. Thomas: « Nomen tor- « menti, supplicii, gehennae et cruciatus, vel si quid simile « in dictis Sanctorum inveniatur, est large accipiendum pro « poena, ut ponatur species pro genere ».[3] Item dic de loco: infernus enim intelligi potest omnis locus quo degunt ex- clusi a regno. Hoc sensu Anselmus decedentes cum solo peccato originali collocat in inferno.[4]

Sed ecce mitior Graecorum sententia semper magis inva- luit. Decretum Fidei Concilii Florentini ita loquitur: « Defini- « mus ... illorum animas, qui in actuali mortali peccato mo- « riuntur, vel solo originali discedunt, mox in infernum « descendere, poenis tamen disparibus puniendas ». Hanc disparitatem Innocentius III famoso suo decreto illustravit, tamquam axioma ponens sententiam: « poena originalis pec- « cati est carentia visionis, actualis vero peccati est gehennae « perpetuae cruciatus ».[5] Quasi unanimi consensu inde Do- ctores Scholae[6] eamdem doctrinam docuerunt. Ipse Grego- rius Ariminensis, « tortor infantium » appellatus,[7] duriorem suam sententiam non nisi uti probabilem tradidit.

[1] *Vindic. August.*, c. 3, § 5.

[2] *Ctr. Iul.*, I, c. 11.

[3] *De malo*, q. V, a. 1.

[4] *De Conc. Virg.*, c. 22.

[5] L. III Decret, t. 42, c. 3.

[6] Cf. S. Bonaventuram, II, Dist. XXXIII, art. 3, q. 1 et 2, ubi ait: « Hunc modum « dicendi magis approbant Magistri communiter ».

[7] Dominus Soto ait: « Augustinus plus iusto videtur torquere parvulos. Unde « qui eius sententiae subscribunt, perpauci sunt et tortores parvulorum nuncu- « pantur ».* Quod sane in Augustinum sonat durius dictum.

* *De nat. et grat.*, l. I, c. 4.

Protestantes autem et Iansenistae, ex falso conceptu peccati originalis (vide exposita superius), cogebantur parvulos eidem omnino supplicio damnare quo actualibus peccatis gravatos; quod post reprobatam prop. 49 Baii nullo iam catholico magistro tradere licet.

Non defuerunt tamen theologi, et quidem magni nominis, praeter iam allatum Gregorium, uti Darius, Sylvius, Driedo, Petavius, Norisius, Berti, quorum nonnulli Iansenianos nimio favore prosequebantur, qui sustinuerint, aliqualem poenam sensus parvulis quoque deberi. Imo nec defuerunt qui, ardore pugnae ultra limites acti, communissimam sententiam ipsis contrariam tamquam Pelagiani commentum instaurantem exploserint. Quam calumniam, a Synodo Pistoriensi adoptatam, Pius VI, scholasticae opinionis vindex, ita profligavit: « Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit « locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine « passim fideles designant), in quo animae decedentium cum « sola originali culpa poena damni citra poenam ignis pu- « niantur; perinde ac si hoc ipso, quod, qui poena ignis « removent, inducerent locum illum et statum medium exper- « tem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem « aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani: falsa, temeraria, « in scholas catholicas iniuriosa ».[1] « Ex qua authentica decla- « ratione Romanae Sedis, – ait cl. Palmieri, – habes 1) senten- « tiam asserentem infantes huiusmodi puniri poena damni « citra poenam ignis, esse sententiam scholarum catholica- « rum; 2) eam sententiam solemni decreto defendi contra « haereticorum calumnias ab Apostolica Sede; ideoque « 3) eam sententiam tuto teneri posse, nec valide contra « eam obiici doctrinam huius vel illius Patris, si forte oc- « currat ».[2] Nil mirum proin ab hac ipsa damnatione mitiorem sententiam magis magisque apud theologos invaluisse.

Et re quidem vera fundamentum habet solidissimum: non solum Dei bonitatem quemadmodum declamabant dogmatis adversarii, sed et imprimis ipsam Dei iustitiam.

[1] Bulla *Auctorem Fidei*, prop. 26.
[2] Op. cit., p. 193.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Quod ostendit S. Thomas splendida argumentatione, hisce paucis comprehensa.[1] In peccato originali S. Doctor tria considerat, ex quibus sequitur poenam sensus ei non deberi. *a*) Et primo quidem peccatum originale est peccatum naturae, non personae. Iam vero peccator peccato personae puniri potest non solum in his quae sunt supra naturam, sed et in his quae sunt naturae, qualis est poena sensus; peccator vero peccato naturae, qualis est decedens cum solo peccato originali, non potest puniri nisi in his quae supra naturam, uti est visio beatifica, qua per poenam damni caret. - *b*) Secundo peccatum originale est quidem aversio a Deo (in hoc enim consistit formale eius, quod anima supernaturali conversione in Deum destituatur); sed in eo non datur, saltem per se, conversio ad creaturam; ratio est quia ad primum sufficit negatio, status; ad alterum requiritur affirmatio, actus. Iam vero in damnatione, poena damni respondet aversioni a Deo; poena sensus, conversioni ad creaturas. - *c*) Tertio peccatum originale est habituale, non actuale. Iam vero poena sensus numquam in habitus fertur, nisi quando in actus proruperunt; quod non obtinuit in his qui rationis usum non sunt adepti.

Eodem prope modo, licet minus complete, S. Thomas, arguit in *Comm. Lomb.*, loc. cit. Quam argumentationem putamus esse omnino solidam.[2]

Ex dictis patet, de poena debita parvulis in originali peccato decedentibus, optimo iure Lacordaire, praemissa sententia a divino Iudice iuxta Matthaeum in damnatos proferenda, dixisse: « Tel n'est pas le sort que la doctrine « catholique assigne aux âmes qui meurent chargées de la « faute originelle. Saint Augustin, le plus dur des docteurs « en cette matière,[3] dit expressément que la peine du péché « de naissance est la moindre de toutes les peines, *laevis-* « *simam omnium poenam*. Et Saint Thomas d'Aquin, outre- « passant cette pensée déjà si bénigne, enseigne que les « enfants morts sans baptême, avant toute autre responsa-

[1] Loc. cit.
[2] Cf. dicenda in propositione sequente.
[3] Haec locutio nonnihil excedit. Durior enim Augustino est, v. gr., Fulgentius.

« bilité que celle qu'ils ont héritée d'Adam, ne souffrent ni « de la peine intelligible attachée à la privation de Dieu, ni « de la peine sensible qui est dans les damnés la compagne « inséparable de celle-là ».[1]

III Propositio.

Decedentes cum solo originali afflictionem interioris doloris probabiliter non sentiunt.

Prima propositio erat de fide. Secunda probabilissima. Hanc solum iudicamus probabilem, iuxta doctrinam S. Thomae et S. Bonaventurae. Qui quaestionem hoc modo inducit: « Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod « super hac quaestione nec expresse loquitur Scriptura, nec « expresse eam Sancti determinant. Ed ideo Doctores theo- « logiae hic opinantur in contrarium ».[2]

Quum dolor nequeat esse de ignoto, cognitio autem possit esse sine dolore, patet de praesenti argumento tres dari posse sententias, quarum de facto unaquaeque suos defensores habuit: etenim vel *a*) decedentes cum solo originali non cognoscunt se Deo beatifice intuendo privari, et proin de sorte sua non dolent; vel *b*) cognoscunt quidem et dolent; vel *c*) cognoscunt, quin tamen doleant. De singulis pauca.

a) Parum nobis probabile videtur, animas cun solo originali decedentes ignorare quod ad supernaturalem finem destinatae fuerint. Fatemur non omnino nos convincere modum quo S. Thomas arguit in *Comm. Lomb.* et in ipso opere *De malo.*[3] Item dicatur de S. Bonaventura.[4] Utique nulla ratio suadet, animas puerorum corporibus exutas, in naturalibus quoad intelligentiam puniri; contra hanc enim poenam valent omnes rationes quas in praecedente propositione evolvimus. Sed cognitio finis supernaturalis iam habet de supernaturali. - Neque movet multum alia ratio, in altero opere a S. Thoma allata, quod secus in meliori conditione

[1] LXV *Confér.*
[2] II Dist., XXXIII, art. 3, q. 2.
[3] Loc. cit.
[4] Loc. cit.

essent quoad intellectum damnati propter actualia, quam propter merum originale. Quae ratio valeret utique, si haec conditio in prioribus esset damnationis fructus. Nunc autem, quum praecesserit damnationem, vix concludit. Secus urgenda foret, et in his parvulis deberet admitti scientia de Deo et de supernaturalibus valde perfecta, quum talis in multis damnatis remaneat. - Nec ad rem videtur textus ex S. Augustino ibidem allatus: « Verum est, dolentem cum « sana mente praestare gaudenti at insano ». Sed insani non essent illi pueri, in quibus adesset quidem cognitio multorum, non tamen veritatum ad ordinem supernaturalem spectantium.

Quare solidior nobis videtur ratio ab ipsa damnatione puerorum petenda. Damnati enim sunt; propter praevaricationem primi parentis, iusto iudicio excluduntur a regno. Iamvero nonne sapientia divina exigit, ut talis iudicii illi ipsi, in quos fertur, non sint ignari? Credimus proin animas illorum qui cum solo originali decesserunt, in instanti quo in altera vita incipiunt cognoscere, - modo exposito in tractatu de anima separata, - scire se destinatas fuisse ad fruitionem Dei, hanc autem se non esse adeptas, quia ratione solidaritatis cum primo parente in hoc natae sunt statu, in quem ille per peccatum lapsus sit; quo statu, propter disproportionem, ad supernaturalem finem redduntur inhabiles.

Haec summa videtur eorum quae, modo utique exigentias naturales superante, animae illae de statu suo damnationis accipere debeant, ne ignorent se damnatas esse, ac proin, - quum poenam sensus non patiantur, iuxta modo exposita, - ne omnino in ea conditione sese habeant, in quo homo se habuisset in statu naturae purae, quod repugnare videtur. Si enim in hac vita carentia gratiae donorumque praeternaturalium est non solum negatio, sed culpabilis spoliatio, oportet ut in altera vita huic spoliationi culpabili respondeat status qui agnoscatur ut poena.

Praeter hanc cognitionem finis supernaturalis et deiectionis ab eodem, nullam aliam illustrationem supernaturalem in his animabus ponimus. Concedimus tamen illis evolutionem sat amplam facultatum rationalium, unde naturalis cuiusdam beatitudinis fons illis oriatur.

b) Sed, si illae animae cognoscunt se esse damnatas, num haec cognitio dolore interno illas afficit?

Quaestio heic non potest esse de tali dolore qui remorsum generet, sive poenitentiam; nam talis dolor ex solo peccato actuali oritur. Neque potest esse quaestio de dolore qui murmuratione et impatientia misceatur: haec enim in illis animabus producerent inordinationem voluntatis, qua redderentur actuali culpa obstrictae.

Quapropter qui unice admitti posset dolor, esset desiderium amissae beatitudinis, ad quam primario consilio Dei destinatae fuerint, quamque ex culpa primi parentis amiserint. Hunc dolorem in illis animabus repugnare, nonnulli existimant. Rationes adducunt varias, quarum praecipuae sunt tres sequentes:

α) Ille dolor, quum esset de amisso summo bono, non potest existere nisi summus. Iam vero ex hoc summo dolore iam fierent animae illae miserabiliores quam eorum conditio exigit. Insuper β) animae dolor personam in naturalibus non minus afficit quam poena sensus. Ergo vel concedatur et poena sensus, vel tollatur iste dolor. Eo vel magis quod γ) dolor internus in ipsum corpus solet redundare.

Quid de his rationibus dicendum? Ut ab ultimis incipiamus, vix apparet veritas asserti, internum dolorem aeque repugnare in animabus illis quam poenam sensus. Deest quippe paritas. Poena enim sensus directe infligeretur; hic autem dolor non esset nisi consequens status exclusionis a regno, ac proin nonnisi indirecte illatus. Quare si constet ex una parte animas scire se esse exclusas, et si constet ex altera parte hanc exclusionis cognitionem secum ferre dolorem, ratio a poena sensus petita non valeret ad hoc ut doloris huius repugnantia ostenderetur.

Neque credimus convincentem esse rationem inde petitam quod dolor internus animae, corporis quoque et proin sensus dolorem pariat. Hoc utique datur in praesenti vita; non autem esset necessario in vita futura, ubi corpora iam sunt in immortalitate posita.

Neque putamus ex hac afflictione sequi conditionem pessimam, quatenus iste dolor non esse posset nisi summus. Utique summus esset ratione obiecti; non autem summus

ratione modi. Imo minimus remorsus, ex veniali culpa ortus, maior esset hac afflictione, quia gravioris ordinis.

c) Igiturne tenemus, has animas ex cognitione suae damnationis afflictionem internam pati?

Fatemur argumentum nobis dubium videri;[1] ideoque nonnisi probabilem in titulo appellavimus conclusionem S. Thomae et S. Bonaventurae.

Argumentum autem Doctoris Seraphici ingeniosius quam solidius non immerito forte quis dixerit: « Decedentes enim in « solo originali, quasi medium tenent inter habentes gratiam « et culpam actualem; et quoniam status retributionis respon- « dere debet statui vitae praesentis, et in tali statu debent « animae parvulorum poni, ut quasi medium teneant inter « beatos et aeternis ignibus cruciatos. Quoniam igitur beati « carent malo poenae sensibilis et cum hoc habent Dei visio- « nem, damnati e contrario sunt in tenebris, et puniuntur « poena sensibili: parvuli secundum rectum ordinem divinae « aequitatis debent communicare in uno cum damnatis et « in alio cum beatis. Sed non possunt communicare cum « beatis in habendo divinam praesentiam, quia tunc in nullo « communicarent cum damnatis: praesentia enim visionis « Dei non stat cum poena sensibili: ideo cum beatis communi- « cant in hoc quod carent omni afflictione exteriori vel inte- « riori; cum damnatis vero in hoc, quod privantur visione « Dei, et lucis corporalis ».[2] Ingeniosius, inquam, quam solidius. Etenim, posito quod parvuli essent quidem liberi a corporali cruciatu, quin tamen, propter cognitam propriam exclusionem a visione, omni interna afflictione carerent, nonne et in tali conditione inter damnatos igni addictos, et beatos visione divina fruentes medium locum tenerent? Quaestio quippe est de ratione medietatis, non de ipsa medietate. Quare gratis ipsa medietas affertur ad rationem eiusdem vindicandam. Insuper in hoc arguendi modo illi parvuli nimis apparent uti mediam conditionem habentes inter damnatos et beatos; dum non datur nisi duplex con-

[1] Cl. Palmieri modo dubitativo de hac tristitia loquitur: « Si tristitiam expe- « riantur ob cognitam amissionem supernaturalis beatitudinis. ... » (op. cit., p. 200).

[2] (loc. cit., q. 2). In solutione praecedente quippe dixerat: « quia vero in carne « fuit foeditas, ideo (parvuli) ponentur in loco vili, utpote infernali ».

ditio generica: damnatorum et beatorum; in damnatis autem duplex conditio specifica: damnatorum ex sola originali culpa, et damnatorum ex superadditis actualibus culpis.

In sequentibus S. Bonaventura magis explicat quomodo statum horum parvulorum concipiat: « Parvuli igitur sic « divino iudicio iusto inter beatos et simpliciter miseros « quasi in medio constituti, hoc noverunt, ut tamen ex una « parte consideratio generet desolationem, ex altera con- « solationem; ita aequa lance divino iudicio eorum cognitio « et affectio libratur: et in tali statu perpetuatur, ut nec tri- « stitia deiiciat, nec laetitia reficiat; sed in hoc mirabilis « ostenditur ordo divinae sapientiae, qua cuncta novit suis « locis disponere, et ad sui gloriam ordinare. Nam sicut in « beatis potissime manifestatur misericordia, et in damnatis « potissime claret iustitia, sic in istis manifestatur miseri- « cordia simul et iustitia. Et in hoc patet quod non facit « frustra Deus animas, quas novit de corpore ante susce- « ptionem baptismi egressuras. Omnia enim facit Deus ad « gloriam suam manifestandam ».

Ex quibus apparet, S. Bonaventuram inde negare in his parvulis desolationem, quia mitigatur per consolationem. In sequentibus autem explicat magis quomodo sibi hunc statum fingat: « Unde si quaeras quid parvuli faciant, utrum « addiscant, vel conferant, vel aliquod aliud opus exerceant: « breviter ego respondeo, quod divinae iustitiae aequitas et « immutabilitas in eodem statu quantum ad corpus et quan- « tum ad animam, sive quoad cognitivam, sive quoad effe- « ctivam perpetualiter eos consolidat, ut nec proficiant, nec « deficiant, nec laetentur, nec tristentur; sed semper sic uni- « formiter maneant, ut sint materia laudandi divinum iudi- « cium, quod sic est aequum et iustum, ut nullum bonum « remaneat irremuneratum et nullum malum remaneat im- « punitum, et perfectissime teneat medium inter superfluum « et diminutum ». Hoc statu illi parvuli sunt in infernali loco, quin tamen, propter aequitatem divini iudicii, flammis crucientur, quae damnatos alios cruciant. Neque fame nec siti dolent, ex eadem providentia eos a poena praeservante. Parum invidiabilis certe illa parvulorum conditio, veluti passive in nocte morali quiescens!

S. Thomas iure ad haec non recurrit, ut explicet quomodo parvuli ab afflictione eximantur. Rationem enim simpliciter quaerit ab agnita disproportione inter statum in quo sunt et finem supernaturalem. « Sciendum ergo, quod « ex hoc quod caret aliquis eo quod suam proportionem « excedit, non affligitur, si sit rectae rationis; sed tantum « ex hoc quod caret eo ad quod aliquo modo proportionatus « fuit: sicut nullus sapiens homo affligitur de hoc quod non « potest volare sicut avis, vel quia non est rex, vel impe« rator, cum sibi non sit debitum: affligeretur autem, si pri« varetur eo ad quod habendum aliquo modo aptitudinem « habuit ».[1]

Optime, sed quid de filio regis, iam in servitute nato qui sciret se regem futurum fuisse, nisi pater sibi et filiis regnum amisisset? Utique, servitutem suam intuens, sentit disproportionem inter conditionem suam et regnum; sed si intuetur patris conditionem, sibi quoque destinatam, aliter se habet res. Ita in casu praesenti; cur non adesset quidam dolor de amissa illa proportione per peccatum protoparentis?

Videtur proin ex agnita damnatione sequi in animabus illis aliquis dolor; sed iste dolor in parvulis compensatur per agnitionem iustitiae divinae et perfectionis divinae, quam per ipsam suam conditionem manifestant. Hac explicatione damnationis cognitio cum absentia verae afflictionis componi posse videtur, quatenus haec afflictio compensatur per gaudium de manifestata in se iustissima Dei voluntate.

Res autem in dubio manet. Quare nil mirum, ipsum S. Thomam in opere *De malo* ad mediam aliquam sententiam recursum habuisse. Exposita enim solutione qualem eam in *Comm. Lomb.* tradidit, subiungit: « Possumus tamen, « utrumque coniungentes, mediam viam tenere, ut dicamus, « quod animae puerorum naturali quidem cognitione non « carent, qualis debetur animae separatae secundum suam « naturam; sed carent supernaturali cognitione, quae hic in « nobis per fidem plantatur: eo quod nec fidem habuerunt « in actu, nec sacramentum fidei susceperunt. Pertinet autem

[1] *In Comm. Lomb.*, loc. cit.; cf. S. Bonav., resp. 2^m, loc. cit.

« ad naturalem cognitionem quod anima sciat se propter « beatitudinem creatam, et quod beatitudo consistit in ado- « ptione perfecti boni; sed quod illud bonum perfectum, ad « quod homo factus est, sit illa gloria quam sancti possi- « dent, est supra cognitionem naturalem. Et ideo se privari « tali bono animae puerorum non cognoscunt: et propter « hoc non dolent, sed hoc quod per naturam habent sine « dolore possident ».[1]

Quae sententia propter tanti Doctoris auctoritatem, potest certe libere ac tuto accipi. Putamus nihilominus spernendas non esse rationes quibus supra ostendimus convenientiam cognitionis quam parvuli de propria exclusione a regno accipiant.

Iuxta hanc convenientiam, doctrinam qualis nobis magis arridet, ita paucis in fine contrahimus.

α) Parvuli sciunt, cognitione supernaturali, sed ea sola, se propter peccatum primi parentis a regno excludi, quum propter hoc peccatum careant gratia, sine qua regnum nemo ingredi valet. - β) Haec cognitio in eorum animas gignit, absque remorsu, aut impatientia, desiderium (*regret*) amissi boni ad quod destinabantur. - γ) Attamen hoc desiderium non reddit illos infelices, neque proprie afflictio est vocandum, quum temperetur gaudio de agnita divina iustitia, quam libenter sorte sua manifestant. Etenim in naturali Dei amore firmati, sentiunt sine gratia sese, ex defectu proportionis, fruitioni caelesti impares esse.

In hac nostra sententia sors parvulorum sine baptismo decedentium maiorem habet poenae rationem, quum non solum obiective, sed et subiective poena sit, ac proin rationi peccati in originali labe servandae perfectius respondet. Per consequens haec nostra sententia tum magis recedit a commento Pelagiano, tum melius vitat excessus illorum, qui, cum Ambrosio Catharino, naturalem felicitatem parvulorum nimis extollunt; magis enim in hac nostra sententia apparet quid intersit inter hanc sortem parvulorum et sortem quae hominis fuisset ad finem mere naturalem destinati.

[1] Loc. cit.

d) Si iam de *loco* quaeritur illis parvulis reservato, infernus vocari potest, quatenus lato sensu sunt damnati, et proin damnatorum locum tenere illos decet; limbus autem melius vocatur ad ostendendum, illos non igni cum damnatis torqueri. Ubinam autem hic limbus sit collocandus, sat inutiliter disputatur, deficiente spe certae solutionis via scientifica acquirendae. Quae relinquimus tractatui *De Novissimis*.

Unum tamen in fine huius disputationis moneatur. Quando agitur de parvulis morte praereptis, cavendum est ab aliqua falsa imaginatione, quasi illi parvuli in aeternum remaneant parvuli. Imo in ipso instanti mortis parvuli esse desinunt, nec umquam amplius erunt. Anima enim separata absque ulla mora fit capax scientiae, quae ab aetate abstrahit. Corpus autem in ultimo die perfecte evolutum resurget. Quid igitur de parvulis remanet?

Sed et circa hoc corpus observa, quod, sicuti resurget immortale, ita resurget a prava concupiscentia liberum. Secus iam deberetur illi dolor sensus, propter nexum non solutum inter concupiscentiam pravam et originale peccatum a quo est.

Corollarium. – Ex dictis apparet quid censeamus de controversia, utrum infantes decedentes cum peccato originali fruantur aliqua beatitudine naturali.

Iam insinuavimus, Ambrosium Catharinum hanc beatitudinam nimis extulisse. Sed Card. Bellarminus, qui eum vehementer impugnavit, non videtur omnem excessum praecavisse quando scripsit: « Ex enumeratis sententiis prima et « secunda (quae est ipsa quaestio nostra) non solum falsae, « sed et haereticae existimandae sunt, et contra fide catho- « lica tenendum est, parvulos sine baptismo decedentes abso- « lute esse damnatos, et non solum caelesti, sed etiam natu- « rali beatitudine perpetuo carituros ».[1] Unde et tristitiam in eis admittit.[2]

De prima parte huius propositionis nullum est catholico dubium. Sed non ita constat de altera. Fatemur quidem in

[1] *De amiss. grat.*, l. VI, c. 2.

[2] Contra Bellarminum disputantem lege cl. Maur. de Baets (op. cit., 93 sqq.).

Patrum et Conciliorum sententiis deesse expressiones quae ad aliquam naturalem beatitudinem horum parvulorum alludunt; sed nec propter hoc eadem excluditur.

Unde iam eodem tempore mitiorem sententiam, at sine excessu Catharini, tenuerunt magni nominis theologi, uti Cardinales Caietanus et Sfondratus; eamdem pariter propugnabat Savonarola.

Sint igitur de hac quaestione sequentes conclusiones: 1) Isti parvuli sunt damnati, non solum quia beatitudine supernaturali carent, sed quia ab ea propter peccatum originale excluduntur. 2) Quare, et in inferno degere dicendi sunt, quatenus a regno sunt exclusi. 3) Probabilius sciunt se ad finem supernaturalem destinatos, quin tamen haec cognitio, – ob disproportionem et agnitam iustitiam Dei cui amore naturali adhaerent, – dolorem proprie dictum gignat. 3) Aliunde in corpore restituto carebunt poena sensus. 4) Quum in naturalibus non sint laesi, sed solum supernaturalibus et praeternaturalibus destituti, non carebunt illa vita aeterna quae a natura humana exigitur. 5) Haec vita, quum personalem culpam non admiserint, constabit summa bonorum quae finem naturalem hominis constituit. 6) Non tamen possunt simpliciter dici gaudere beatitudine naturali, quia scient hanc non esse finem ad quem destinabantur, ac proin haec vita non explebit imum eorum desiderium, sicut explevisset, si a sublimiori fine non essent ob originalem culpam deiecti. Optime id exprimit Lessius: « Neque hinc « sequitur illos habituros beatitudinem naturalem, quia pec« cati labes obstat quominus beatitudinem naturalem obti« nere dicantur, etsi forte omnia alia bona illius status « habeant ».[1] Unde pulcherrime de his ait S. Brigitta, viciniores eos esse divinae misericordiae quam iustitiae.[2]

Modeste hac de re concludit Palmieri: « Sententia asse« rens his infantibus beatitudinem iis limitibus comprehen-

[1] *De perf. div.*, l. XII, c. 22, n. 144 sq.; cf. et SUAREZ, *De pecc. et vitiis*, disp. IX, sect. 6.

[2] Cf. CHR. PESCH, op. cit. n. 279. Huic sententiae nimis adversatur Franc. Schmid, quando asserit conditionem horum parvulorum « haud leviter differre » a felicitate naturae purae, unde « conditio infantium ... potius misera quam felix dicenda est »,*

* *Quaest. select. ex theol. dogm.*, Paderbornae, 1891, p. 255, 278.

« sam..., neque haeretica est, neque improbabilis ».[1] Ex cl. Philippus Trucco de hisce parvulis scribit: « Queste crea- « ture, benchè assolutamente parlando cadano nella cate- « goria dei dannati essendo anche esse eternamente escluse « dal paradiso, pure sono nella loro irreparabile sventura « abbastanza felici. *Felici,* ma non *beate* ». Quod censemus sapienter dictum.[2]

Caute tamen, imprimis in concionando, de hac naturali felicitate loquendum est, ne in rudioribus aestimatione baptismatis inminuta parvuli facilius abque regenerationis Sacramento moriantur.[3]

CAPUT V.

DE PECCATI ORIGINALIS REMISSIONE.

Breviter de hoc argumento quaedam sint, integritatis causa. Fusius de eodem, Deo dante, agemus in tractatu *De baptismo.* S. Thomas, ibidem et in aliis locis superius indicatis, quaestionem praesentem tractat; expresse autem in *Comment. Lombardi,* II, dist. XXXII, q. I, art. 1 et 2: « Utrum « peccatum originale tollatur per baptismum. Utrum poena « peccati originalis debeat remanere post baptismum ». Quae loca prae oculis habentes, ex ordine breves conclusiones feremus iuxta doctrinam a Concilio Tridentino in Sess. V espressam. Sit igitur.

I Conclusio.

Peccatum originale nonnisi per merita Iesu Christi remittitur.

Haec conclusio de fide est, uti habetur in can. 3. « Si quis « hoc peccatum, quod origine unum est, et propagatione, « non imitatione, transfusum omnibus inest cuique proprium,

[1] Op. cit., 20.

[2] *Gesù supremo benefattore degli uomini.* P. I, c. VI, art. 7. De influxu quem isti parvuli a Christo recipiant, agemus tractatu *De novissimis.*

[3] Quod heic de parvulis dictum est, valet quoque de adultis qui absque ulla gravi culpa personali discedunt, quin tamen ad supernaturale fidei lumen pervenerint. Sed de hoc subtiliori argumento alibi data opera agemus.

« vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium « asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris D. N. I. C., « qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis « iustitia, sanctificatio et redemptio... A. S. ». Et probatur ex multis locis Scripturae superius citatis, praesertim ex illis in quibus exclusivo vel negativo modo [1] efficacia operis Christi exhibetur. [2]

II Conclusio.

Medium autem quo in remissionem originalis peccati merita Christi applicantur, est sacramentum baptismi.

Veritas hac conclusione contenta non minus de fide est. Etenim pergit idem canon: « Aut (si quis) negat ipsum « Christi Iesu meritum per baptismi sacramentum in forma « Ecclesiae rite collatum tam adultis quam parvulis appli- « cari: A. S. ». Probat idem canon hanc veritatem per verba Ioannis: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi », [3] et per verba Pauli: « Quicumque baptizati estis, Christum « induistis ». [4] Probatur multis aliis locis, v. gr. quibus Christus, cum Nicodemo colloquens, opponit nativitatem carnis ex carne nativitati novae spiritus ex spiritu, etc. [5] Probatur ex missione Apostolis iniuncta baptizandi omnes gentes. [6]

[1] « Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos « fieri » (Act. IV, 12), quem locum ipsa Trid. Syn. in confirmationem huius doctrinae affert. Adverte porro quomodo duo a Concilio excludantur, tum naturae vires ad remissionem peccati originalis pares fuisse (de quo fuse S. Anselmus); tum aliquod aliud remedium fuisse a Deo hominibus collatum. Quo sensu hoc intelligendum sit, vel possibile fuerit, explicavimus disputantes de necessitate operis Incarnationis.

[2] Cf. p. 499 sqq. Vide insuper dicta de opere salvifico in tractatu *De Incarnatione*.

[3] Ioann., I, 29.

[4] Gal., III, 27.

[5] Ioann., III, 3 sqq. Idem insinuat, ex ore ipsius Christi, serpens exaltatus in deserto, utpote figura Christi exaltandi in Cruce.

[6] Ad peccatum originale et ad eius remissionem per gratiam baptismatis eleganter S. Augustinus explicat illud Cantici: « Nigra sum, sed formosa ». « Unde « est Ecclesia nigra et formosa? Nigra per naturam, formosa per gratiam. Unde « nigra? " Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea ,,. « Unde formosa? " Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem « dealbabor ,, ». *

* *Serm. 201 de Temp.*

Vix adest veritas expressius a primis temporibus tradita. Unde Symbolum Fidei profitetur « unum baptisma, in « remissionem peccatorum ». Ex innumeris locis Patrum, quae citari possent, satis sit unum ex Augustino textum proferre: « Optime Punici Christiani baptismum nihil aliud « quam salutem et sacramentum corporis Christi, nihil « aliud quam vitam vocant. Unde nisi ex antiqua, ut existimo, « et apostolica traditione, qua Ecclesiae Christi insitum te- « nent, praeter baptismum et participationem mensae domi- « nicae, non solum ad regnum Dei, sed nec ad salutem et « vitam aeternam posse quemquam hominum pervenire? « Hoc enim et Scriptura testatur, secundum ea quae supra « diximus. Nam, quid aliud tenent, qui baptismum nomine « salutis appellant, nisi quod dictum est: "Salvos nos fecit « per lavacrum regenerationis,„[1] et quod Petrus ait:[2] "Sic « et vos simili forma baptisma salvos facit„ ».[3]

De distinctione inter baptismum fluminis, flaminis et sanguinis agemus in tractatu *De Baptismo.*

III Conclusio.

Peccati originalis culpa ex toto per baptisma tollitur.

Haec conclusio non minus de fide est, ut ex can. 5 eiusdem sessionis constat: « Si quis per I. C. D. N. gratiam, quae « in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti « negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram « et propriam peccati rationem habet, sed illud tantum dicit « radi aut non imputari: A. S. ».[4] Et re quidem vera Ioannes

[1] Tit., III, 5.

[2] 1 Petr., III, 21.

[3] *De Peccat. merit. et remiss.*, l. I, c. 24.

[4] Imputationis doctrina a Luthero et Calvino inducta fundamentum habet eorum doctrinam de natura humana per originale peccatum essentialiter corrupta. Unde non potest baptisma tollere nisi reatum, quatenus non amplius imputatur. * Inde Ritschl ** fatetur, in doctrina protestantica non apparere nexum inter fidem et iustificationem ex una parte, et conversionem et puritatem morum ex altera.

* Cfr. Nitzsch, *Lehre der evang. Dogm.*, 192, p. 651.

** *Die christl. Lehre von der Rechtfertigung und Versöhnung*, t. I, p. 109 sq.; sibi p. 139, ad negandum meritum bonorum operum abutitur Canone Missae: « Non « aestimator meriti etc. ».

ait: « Ecce qui *tollit* peccatum mundi ». Et Christus ait per baptisma hominem *renasci*. Et Symbolum fidei praedicat baptisma in *remissionem* peccatorum.

Quod per rationem theologicam, iuxta S. Thomam[1] haud aegre demonstratur. Etenim peccati originalis formale est carentia gratiae. Iam vero baptisma gratiam infundit. Ergo tollit ipsum formale originalis peccati. De quo pariter in ipso tractatu *De Baptismo* fusius agemus.

IV Conclusio.

Peccati originalis poena partim post baptisma remanet, scilicet ea quae afficit naturam.

Haec ultima conclusio invenitur quoque expresse in Concilio Tridentino eadem Sessione can. 5, ubi agitur de concupiscentia remanente post baptisma; non autem amplius ad culpam, sed mere ad poenam et probationem. Etenim amisit rationem suam culpabilem, rupto eam inter et peccatum vinculo.

Pulchre Augustinus: « Gratia per baptismum id agitur, « ut vetus homo crucifigatur, et corpus peccati destruatur: « non ita ut in ipsa vivente carne concupiscentia respersa, « et innata repente absumatur, et non sit; sed ne obsit « mortuo, quae inerat nato. Nam si post baptismum vixerit « in carne, habet concupiscentiam cum qua pugnet, eamque « adiuvante Deo superet; si tamen non in vacuum gratiam « eius suscepit. Non itaque hoc praestatur in baptismo, nisi « forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati quae est « in membris, prorsus extinguatur et non sit, sed ut quid- « quid mali ab homine factum, dictum, cogitatumque est, « totum aboleatur, ac velut factum non fuerit habeatur; ipsa « vero concupiscentia soluto reatus vinculo, quo per illam « diabolus animam retinebat, et a suo Creatore separabat, « maneat in certamine ».[2] Et alibi idem egregie illustrat: « Lex quae in membris est, vitium carnis est, quod ex poena

[1] Loc. cit.

[2] *De bapt. parvul.*, c. 39.

« peccati et ex traduce mortis provenit. Sed lex ista quae « est in membris, remissa est in generatione spirituali, et « manet in carne mortali. Remissa est, quia reatus solutus « est sacramento, quo renascuntur fideles; manet autem, « quia operatur desideria contra quae dimicant et fideles ».[1]

Optime S. Thomas explicat quomodo peccati originalis poena debeat remanere post baptisma. En verba ipsius: « Peccatum originale est primo et per se infectio naturae, « et per consequens afficit personam, secundum quod dispo- « sitio naturae in personam redundat: et secundum hoc « duplex poena originali debetur. Una in quantum personam « inficit, scilicet carentia divinae visionis: visio enim divina « actum quemdam designat; actus autem omnis personae « est, quia actus individuorum sunt, ut Philosophus dicit: « unde et carentia visionis ad personam referenda est, cum « opposita sint circa idem. Alia poena debetur sibi, in quan- « tum naturam inficit, sicut necessitas moriendi, passibilitas, « rebellio carnis ad spiritum et huiusmodi; quae omnia ex « principiis naturae causantur et speciem totam consequun- « tur, nisi miraculose aliter contingat. Dicendum est ergo, « quod baptismus infectionem peccati originalis mundat, « secundum quod infectio naturae in personam redundat: « et ideo per baptismum illa poena tollitur, quae personae « debetur, scilicet carentia divinae visionis: non autem « baptismus removet infectionem naturae, secundum quod « ad naturam per se refertur; sed hoc erit in patria, quando « nostra natura perfectae libertati restituetur: et ideo opor- « tet quod remaneat illa poena post baptismum quae culpae « originali debetur secundum quod naturam inficit; et huius- « modi est fomes, necessitas moriendi, et huiusmodi ».[2]

[1] *Ctr. Iulian.*, l. II, c. 1; cf. II, Dist. XXXII.
[2] Loc. cit.; cf. et S. Bonaventuram, ibidem.

EPILOGUS.

Contemplationem primaevae nostrae felicitatis et miserae inde per culpam deiectionis, claudere iuvat pulcherrimis verbis quibus Bossuetius primam synthetice depingit, alteram amare luget, et simul ex promisso Redemptore spem clade maiorem salutat. « Quel bonheur et quelle perfection « de l'homme! Fait à l'image de Dieu, par un dessein par- « ticulier de sa sagesse; établi dans un paradis, dans un « jardin délicieux où les fruits abondaient, sous un ciel tou- « jours pur et toujours béni; au milieu des riches eaux des « quatre fleuves; sans avoir à craindre la mort, libre, heu- « reux, tranquille, sans aucune difformité ou infirmité, ni « du côté de l'esprit, ni du côté du corps; sans aucun be- « soin d'habits, avec une pure et innocente nudité; ayant « son salut et son bonheur en sa main, le ciel ouvert de- « vant soi pour y être transporté quand Dieu voudrait, « sans passer par les ombres affreuses de la mort! Pleure « sans fin, homme misérable, qui as perdu tous ces biens; « et ne te console qu'en Jésus-Christ qui te les a rendus; « et encore dans une plus grande abondance ».[1]

De ipso Verbo Incarnato deque eius opere salvifico iam superius abunde disputavimus. Restat ut de vivifico cum Christo nexu per gratiam tractemus. Quod erit, Deo dante, proximi voluminis argumentum.

Interim hoc paschali tempore gratum Redemptori canticum proferamus, praecinante Ecclesia:

Victimae paschali laudes
Immolent christiani!
Agnus redemit oves:
Christus innocens Patri
Reconciliavit peccatores.

[1] *Elévation sur les mystères,* v Semaine, 5e Elév.

Cui carmini grato laetoque consonat pulcherrima oratio huius Dominicae a Bono Pastore dictae: « Deus qui in Filii « tui humilitate iacentem mundum erexisti: fidelibus tuis « perpetuam concede laetitiam; ut quos perpetuae mortis « eripuisti casibus, gaudiis facias perfrui sempiternis ».

Absolvebam in aedibus S. Callixti, II[a] Dominica post Pascha, anno 1919.

INDEX RERUM

ALPHABETICUS ANALYTICUS

Abaelardus. — Nominatur, 149, 650. — Adducitur, 694. — Errat circa peccatum orig. et regnum daemonis inde ortum, 725, sq. — A S. Bernardo confutatur, 727.

Abel. — Prima primi superhominis victima, 201. — Adducitur in exemplum, 558.

Aben Hezra. — Adducitur, 400.

Abraham — De merito A., 181. — Limbus sinus Abrahae, 346. — In exemplum adducitur, 559.

Abraham (Patriarcha). — Pater fidei, 56. — A Deo revelatione illustratus, 91.

Abulensis. — Citatur, 82.

Acceptantes. — De Iansenistis *acceptantibus*, 386.

Acta (Apost.). — Adducuntur, 505, sq.

Adam (in Ballingschap). — Tragoedia Vondel citatur, 7. Cf. Vondel.

Adamitae. — Severe corripiuntur, 165. — Nota historica de Adamitis, 256.

Adamus. — Originalis conditio A. nobilissima, 5. — De perfectione cognitionis A., 48, sqq. — Confertur Adami scientia cum scientia Christi, 55, sqq., 81. — Non vidit A. per essentiam Angelos, 56, sqq. — Proclamat dignitatem matrimonii, 63, sq. — Praestat scientia A. scientiae Evae, 82; — quin et scientiae Salomonis, 82. — Confertur eius scientia cum scientia B. M. V., 82, sq. — A. in Deum ardenti desiderio ferebatur, 95. — De gratia Adamo collata, 96, sqq. — Potuit a primo instanti iustitia originali ita uti ut sibi esset meritoria, 125; — at privilegio non suis transfundendo, 126. — De Adami innocentis virtutibus, 174, sqq.; — meritis, 177, sqq. — De Ad. dominio in animalia, 194, sqq.; — in alias creaturas, 202, sqq. — In exstasi vidit dignitatem nuptiarum, 288. — Ex Adamo peccatores omnes, 301, sqq. — A Deo in Paradisum introductus, 356, sqq. — De Adami peccato, 394, sqq. — De Adami poenitentia, 442, sqq. — Ubinam sepultus, 444. — Naturae humanae caput, 533, 546, sq. — Quid, quoad transfusionem originalis culpae, si, Adamo perseverante, Eva peccasset, 597, sqq.

Adamus (a S. Victore). — Adducitur, 449.

Adamus Pastoris. — Nominatur, 267.

Adductio. — Arguitur ex adductione animalium ad Adamum, 194, sqq., 266.

Adoratio. — Laudatur tabula dicta *Adoratio Agni*, 346.

Aegidius (Colonna). — Audacior eius sententia minus laudatur, 108.

Aegyptii. — De serpentis cultu apud Aegypt., 392; — in otiosos severi, 461.

Aegyptum. — Monumenta artis Aegypt. adducuntur, 165.

Aequale. — Pecc. orig. aequale in omnibus, 667, sq.

Aequalitas. — De aequalitate inter homines in statu innocenti, 907, sqq.

Aethiopia. — De terra Aethiopiae quam circuit Gehon, 336, 340, sq.

Afflictio. — Utrum parvuli sine baptismo decedentes sentiant afflictionem doloris, 740, sqq.

Agar. — Nominatur, 246.

Agnes (S.). — Martyrium A. recolitur, 145. — Adducitur, 663.

Agricola. — Pelagii discipulus damnatur, 375.

Aguirre (Card. de A., O. S. B.). — Laudatur, 11. — Adducitur, 30, 138; — laudatur, 139, sq. — Bene scribit de pudoris sensu in statu naturae purae, 169, sq.

Alaricus. — Romam obsidet, 370.

Albani (Monast. S.). — Synod. ibidem ctr. Pelagianismum habita, 375.

Albertus (Magnus). — Adducitur, 112, 640.

Albigenses. — Conveniunt cum Pelagianis, 375. — Adducuntur, 694.

Aldenardo. — Prope Ald. in Flandria prostat colonia Iansenistica, 387.

Alexander (Halensis, seu Alens.). — Laudatur, 11.

Alexander (Magnus). — Pulchrum A. factum commendatur, 159. — Factum ex eius vita narratur, 524.

Alexandrina (Schola). — Nominatur, 43.

Alexander VII. — Condemnationem ab Innocentio X in Iansenii errores latam nova Constitutione confirmat, 385.

Allegoricus. — All. sensus ligni vitae, 253.

Alphonsus (de Lig. S.). — Adducitur, 13. — Bene corripit Lockium et Voltaire, 23. — Fatalem haereseos protestanticae sortem describit, 36. — Bene depingit luctam inter utrumque hominem, 134. — Recte invehit in Baium, 139. — Tranquillitatem animi bene describit, 149, sq. — Commendat oculorum modestiam, 159. — Bene depingit dominium primi hominis in animalia, 200, sq. — Citatur, 227. — Adducitur, 245, 347. — Bene scribit de poenitentia protaparentum, 443.

Altaargeheimnissen. — Carmina Vondel laudantur, 7.

Amalricus (Carnut.). — Notula historica de Am., 267.

Ambrosiaster. — Adducitur, 507, sq. — Discutitur locus Ambrosiastri de pecc. orig., 563, sq. — Quis fuerit, 569. — Falsum est, Augustinum ex eo doctrinam suam de pecc. origin. hausisse, 565, sqq.

Ambrosius (S.). — Bene describit dignitatem animae, 103, sq. — Bene describit originalem integritatem, 138. — Citatur, 144. — Adducitur, 158. — Citatur, 176. — Celebrat dominium hominis in animalia, 198, sq. — Citatur, 203. — Adducitur, 242. — Citatur, 268. — Bene scribit de Paradiso, 336. — Adducitur, 347. — Citatur, 361, 402, sq. — Subtiliter disserit de praecepto protoparentibus dato, 408. — Adducitur, 410, 457, 497. — Adducitur, 518. — Non confundendus cum Ambrosiastro, 563, sq. — Ostenditur concordia inter doctrinam S. Ambr. et S. Aug. de pecc. orig., 565, sqq.

Amelli (Abbas Ambrosius A., O. S. B.). — Cum laude adducitur, 345.

Amiatinus (Codex). — Adducitur, 507.

Amor (proprius). — De periculo am. pr., 398, sq.

Amort (Eusebius). — Corripitur, 108.

Amour (Ludovicus de St-A.). — Romae causam Iansenistarum tuetur, 383.

Amphitheatror (Ant.). — Adducitur, 263.

Anabaptistae. — Nominantur, 267. — Conveniunt cum Pelagianis, 375. — Adducuntur, 694.

Anagogicus. — Anag. sensus ligni vitae, 253.

Anastasius (Papa). — Nominatur, 371.

Anastasius (Sinaita). — Citatur, 98, sq. — Corripitur eius excessus quoad nuptias, 285.

Andamanerii. — Adducitur usus apud eos vigens, 393.

Androgynus. — Philo primum hominem androgyn. censuit, 574.

Androutsos. — Adducitur, 264.

Androutsos (Christos). — Corripitur eius doctrina de pecc. orig., 716, sqq. — Invehit in Scholasticis, 718.

Angela (S. A. de Fol.). — Adducitur, 614.

Angeli. — Conditi sunt in gratia, 55. — Adamus non vidit per essentiam Angelos, 56, sqq. — De gratia Angelis necessaria iuxta Augustinum, 117. — Angeli a primo instanti iustificationi suae meritorie cooperati sunt, 125. — Angelorum lapsus confertur cum lapsu protoparentum, 394, sq.

Anglia. — Pelagianismo resistit, 375.

Anima. — De cognitione animae separatae, 57. — Orig. pecc. magis in anima, 672, sqq.

Animalia. — A. ab Adamo nominata scientiam Adami demonstrant, 61, sqq. — Animalia quodam inter se sermone utuntur, at mere bestiali, 73, sq. — De dominio Adami in animalia, 194.

Annunzio (Gabriel d'A.). — Impium eius carmen corripitur, 291.

Anselmus (S.). — Nominatur, 6. — Adducitur eius doctrina de essentia peccati originalis, 121. — Cum laude citatur, 125. — Bene depingit hominem originali integritate orbatum, 137. — Citatur, 142. — Optime instituit analysim pudoris, 161. — Optime loquitur de primi hominis immortalitate, 222. — Quid doceat de conditione prolis generandae quoad iustitiam, 317, 322, sqq. — Adducitur, 368. — Bene disserit de peccato protoparentum, 416, sq.; — citatur, 491. — Nominatur, 520. — Quo sensu peccatum dicatur originale, 529. — Quid intersit inter personale et originale, 529, sq. — Adducitur, 582. — Citatur, 586. — Bene disserit de privilegio Christi uti Virginis Filii, 595, sq. — Falso Turmel opponitur S. Anselmum S. Augustino, 633. — Adducitur, 637. — Citatur Ans. definitio pecc. orig., 642. — Adducitur, 649, 677. — Anselmi doctrina de pecc. orig. fusius exponitur, 678. — Adducitur, 684, 688. — Pulchra Ans. doctrina adducitur, 690. — Eloquenter disserit de potestate daemoni in hominem data, 728. — Item de iusta damnatione parvulorum sine baptismo decedentium, 734, sq.

Anthiasistae. — Errant circa opera manuum, 355.

Anthropomorphitae. — Corripiuntur, 104.

Antonius (S. Anach). — Exemplum ex A. vita adducitur, 62.

Apocalypsis. — Ex libr. *Apoc.* arguitur, 253. — Visiones *Apoc.* alludunt ad Paradisum figurativum, 345; — de serpente in *Apoc.* 484; de visione *Apoc.* 486.

Apocalypsis Baruch (Syriaca). — Adducitur, 580.

Apocalypsis Moïsis (Liber). — Adducitur, 575.

Apocalypsis Noë (Liber). — Adducitur, 577.

Apocryphi. — Libri apoc. quid docent de originali conditione hominis et de pecc. orig., 574, sqq.

Apollinaristae. — Adducuntur, 516.

Apollonius Thyaneus. — Nominatur, 485.

Appellantes. — De Iansenistis *appellantibus*, 387.

Aquinas. — Cf. Thomas.

Arausicanum (Conc.). — Citatur C. A. II, 107. — Adducitur, 229, 369, 433. — Araus. II damnat Semipelagianismum, 521. — Adducitur, 703, sq.

Archontici. — Adducuntur, 581.

Ardigò (Robertus). — Stoica impietate sibi vitam adimere conatur, 133.

Ariani. — Adducuntur, 516.

Ariminiani. — Nominantur, 8. — Adducuntur, 694.

Ariostes. — A. iudicium de Michaële Angelo affertur, 172.

Aristobulus. — Nominatur, 43.

Aristoteles. — Citatur, 393. — Sicut et Plato Aristoteles in graves errores cecidit, 651.

Armeni. — Errore Adamitarum imbuti, 267.

Armenia. — Probabilior sententia Paradisum collocat in Armenia, 340, 344.

Arnalda (Angelica). — Utraque pertinax Iansenista, 386.

Arnaldus (Antonius). — Ardens Iansenianismi fautor, 382, sq.

Arnobius. — Discutitur locus dubius Arn. nomine vulgatus, 564.

Assumptio. — Liber Assumpt. Moïsis adducitur, 577.

Assumptio (B. M. V.). — Celebratur, 450.

Athanasius (Pseudo-Ath.). — Citatur, 444.

Athanasius (S.). — Homo ex natura mortali, ex gratia immortalis conditus, 223. — Nominatur, 443.

Auctor. — Citatur hymnus *Auctor beate saeculi*, 7.

Audiani. — Corripiuntur, 104.

Augustiniana (Schola). — Adducitur, 695.

Augustinienses. — Theologi A. interdum excedunt, 143.

Augustinus (S. Eccl. Doctor). — Nominatur, 6. — Allegatur, 10. — Citatur, 13, sq., 15. — Citatur, 20. — Pulchre arguit ex exordio Orationis Dominicae, 21. — Quid censeat de potentia obedientiali, 22. — Natura etiam integra indiget gratia, 25. — Adducitur, 31, sq. — Christianos cives reipublicae perutiles commendat, 32. — Conditionem originalis integritatis eloquenter describit, 39, sq. — Adducitur, 41. — Quid censeat de historicitate narrationis Mosaicae, 44. — A. doctrina de homine spiritali, 52. — Exaltat scientiam primi hominis, 63, sqq. — Adducitur, 65. — Nominatur, 68. — Bene disserit de humano sermone, 75. — A pluribus non recte adducitur, 80. — Adducitur, 82, 85. — Excludit ignorantiam a statu originali, 86, 88, 90, 93. — De hominis similitudine Dei, 98, sq. — De signaculo Spiritus impresso animae, 102. — Eius doctrina explicatur, 103. — Adducitur, 104, 107, 115. — Citatur, 108. — Adducitur, 115. — Discutitur eius mens de gratia primo homini ab initio collata, 117. — Adducitur, 120. — Eloquenter corripit Stoïcorum apathiam, 127. — In primo homine erant passiones at sine perturbatione, 128, sq. — Citatur, 130. — Describit conditionem Christi mortalis, 131. — Citatur, 131, sq. — Egregie loquitur de passionibus, 131, sqq. — Originalem integritatem bene depingit, 134. — Bene loquitur de concupiscentia, 135, 138. — Vindicatur eius doctrina de originali integritate, 141, sq. — Baiani abutuntur A., 142. — Bene depingit hominem ab integritate delapsum, 147. — Deridet eos qui contendunt Adamum peccando visum accepisse, 159, sq. — Citatur, 161. — Optime instituit analysim pudoris, 162. — Citatur, 176, 180, sq. — Adducitur, 208. — Subtiliter disserit de creaturarum instinctu et indole relate ad hominem, 205, sqq. — Pulcherrime de pace discurrit, 209, sq.; — it. de ordine inter homines, 212, sq.; — item de regis dominii Christi, et de ordine ab Ecclesia inducto, 215, sq. — Citatur, 223. — Per peccatum homo mortem incurrit, 227. — Bene describit discrimen inter immortalitatem in statu innocentiae et in statu gloriae, 230. — Providentiam celebrat mundum gubernantem, 241. — Disserit de efficacia ligni vitae, 244. — Verum fuisse lignum contendit, 246. — Citatur, 247. — Sacramentalem quamdam eidem ligno tribuit virtutem, 248, 255. — Discrimen inter *posse mori, posse non mori*, 254. — De supernaturali efficacia ligni vitae, 255. — De necessitate absoluta utendi alimentis in statu integro, ibid. — Adducitur, 266, 268. — Deus nuptias fecit, 270. — Adducitur, 279. — Eva data Adae adiutorium in ordine ad generationis opus, 283. — Bestialis libido intellectu regenda, 284. — Extasim Adami bene illustrat, 287, sq. — Optime de libidine disserit, 289. — Quid censeat de evolutione prolis quoad corpus, 304, sq. — Describit felicitatem status innocentiae, 324, sq. — Paradisum affirmat realem, 336. — De fluminibus Paradisi disserit, 341. — Citatur, 344, 348, sq. — Pulchre

describit amoenitatem laboris in Paradiso, 352, sq. — Adducitur, 354. — Citatur, 359. — Evam sexto die creatam docet, 361. — Lapsum et Redemptionem synthetice exprimit, 365. — Adducitur, 368. — Quid in re Pelagiana egerit, 370, sqq. — Baius abutitur Augustino, 378. — Iansenius falso errores suos Augustini nomine decorat, 380. — Citatur, 399, 401, sq. — De praecepto a Deo Adamo dato, 407, 409, 410. — De indole peccati protoparentum, 417. — Adducitur, 422. — Cum moderamine intelligendum quod scribit de inferioritate Evae, 429. — Citatur, 431, sq. — Pulchra A. sententia de morte, 435. — Pulchre disserit de variis aspectibus mortis, 438. — Citatur, 440, 442. — Nominatur, 443. — De efficacia mortis Christi, 448, sq. — Pulchrum opponit Adamum Christo, et Evam Mariae, 449. — De morte pulchre scribit, 452. — Citatur, 468. — Bene scribit de tentatione primi hominis, 472, sq. — Celebrat Providentiam Dei mala ordinantis in bonum, 476, sqq.; — maxime in ope Redemptionis, 479, sq. — Adducitur, 487; — impugnat Pelagium, 490; — adducitur, 499, 503. — Post A. praevalet sensus relativus ἐφ' ᾧ Paulini, 505. — Adducitur, 507, 509. — Quomodo homines natura filii irae, 515. — Adducitur, 516. — Citatur, 517. — Vindicat traditionem de peccato origin., 518. — Exponit dogma de pecc. orig., 519. — Adducitur, 521, 523, 527. — Citatur, 530, 534, 536. — Celebrat Dei Providentiam etiam in ordine naturae lapsae, 537. — Pecc. orig. in utroque Test. affirmatur, 537, sq. — Anceps haeret de indole poenae originali peccato debitae, 736. — Adducitur, 551. — Vindicat doctrinam S. Ioan. Chrysostomi, 554, sqq. — Aug. doctrinam concordat cum doctrina Ambrosii de pecc. orig., 565, sqq. — Baptismum omnibus necessarium proclamat, 584. — Adducitur, 587, 609. — Quo sensu peccatum orig. unum, quo plura, 611, sq. — Adducitur, 613. — Citatur, 619. — Pulchre arguit ex textu Iacobi, 623. — Exponit doctrinam S. Pauli de concupiscentia, 629, sqq. — Adducitur, 637. — Omnis homo caecus natus, 646, sq. — Adducitur, 663. — Citatur, 673, sq. — Dubitat de traductione animae, 675. — Adducitur, 676, sq. — Pulchre disserit de malo concupiscentiae, 691, sq. — Adducitur, 695, sq. — De vulneribus pecc. orig. bene disserit, 709, sq. — Quid senserit de poena sensuum reservata parvulis sine baptismo decedentibus, 737. — Adducitur, 739. — Citatur, 741. — Ingeniose illustrat textum Cantici, 750. — Bene exponit necessitatem baptismi, 751. — Optime illustrat quid de poena pecc. orig. post baptisma remaneat, 752, sq.

Aurelianensis (Philippus, Galliarum Regens). — Cf. Philippus.

Aurelius. — Aur. Carthagin. archiep. contra Pelagium synodum convocat, 370.

Avesta. — Adducitur, 524.

Avitus (Viennensis). — Adducitur, 736.

Babylonia. — Iuxta quosdam situs Paradisi, 341, sq. — Typice opponitur Ierusalem, 344.

Babylonica. — Narratio Bab. creationis posterior narrationi Mosaicae, 90.

Bachelet (Le). — Adducitur, 109, 113. — Bene scribit de initiali meritorio usu originalis iustitiae Adami, 125, sq. — Adducitur, 369.

Baconius. — Nominatur, 24.

Baets (Mauritius de). — Adducitur, 369. — Bene arguit ex classico textu Paulino, 512, sq. — Bene scribit de Adamo capite iuridico, 552. — Item de propagatione naturae humanae et naturae sanctae, 592. — Adducitur, 747. — Cum laude adducitur, 621, 641.

Baiani. — Abutuntur Augustino, 142. — Nominantur, 369.

Baianismus. — Opponitur e regione Pelagianismi, 379.

Baius (Michaël). — Nominatur, 8. — Abutitur sententia Augustini, 16. — Protestantico errore infectus, 113. — Adducitur, 135. — Citantur damnatae prop. 26ª et 55ª, 138. — A S. Alphonso corripitur, 139. — Citatur 21ª prop., 144; — 78ª prop., 229. — Nota historica de Baio, 376. — De nexu inter errores Baii et Iansenii, 382. — Quid Hermes habeat commune cum Baio, 509, sq. — De Baii errore circa pecc. orig., 522. — Nominatur, 545. — Citatur, 617. — Eius doctrina de concupiscentia, 620. — Citantur quaedam B. propositiones damnatae, 620, sq. — De contradictione inter Baium et Zwinglium, 621, sq. — Adducitur, 696.

Balmes. — Adducitur, 210.

Baptisma. — De symbolismo ritus baptismalis, 38. — Cur de baptizatis nati baptismo indigeant, 587. — Pecc. orig. remittitur per baptismum, 749.

Baptista. — Cf. Ioannes.

Barbaries. — Falsissima est sententia quae originem humani generis a barbarie repetit, 89.

Barbey d'Aurevilly. — Corripitur, 650, 655, 659.

Bardenhewer. — Adducitur, 564.

Barrès (Mauritius). — Adducitur, 660.

Barthélemy St-Hilaire. — Adducitur, 70.

Baruch. — Liber Apoc. Baruch adducitur, 580.

Basilidiani. — Clemens Alex. arguit contra Basilid., 559.

Basilius (S.). — Citatur, 54. — Adducitur, 62. — Pulchre describit dignitatem hominis, 102, sq., 105. — Celebrat regium hominis dominium, 199. — Citatur, 203. — Bene disserit de labore, 461. — Adducitur, 518. — Proclamat pecc. orig., 519.

Basilius (Seleuc.). — Citatur, 401.

Batavia. — De Iansenismo in Batavia, 385, 387.

Battifol (Illmus). — Citatur, 663.

Baudelaire. — Citatur pulchrum carmen, 88. — Corripitur, 650, 659. — Adducitur, 663.

Baudrillart (Mgr). — Cum laude adducitur, 114.

Baumann. — Citatur, 665.

Baunard (Illmus). — Carmen eius citatur, 133.

Bavinck. — Adducitur, 705.

Bayle. — Citatur, 13.

Bazin (Renatus). — Cum laude citatur, 398. — Laudatur, 663.

Beatifica (Visio) — Cf. Visio.

Becanus. — Nominatur, 24.

Beccadelli (Antonius). — Corripitur, 171.

Beda (Ven.). — Laudatur, 43. — Egregie disserit de ligno vitae, 246. — Paradisum historicum propugnat, 387. — Adducitur, 375, 499, 623, 708. — Bene illustrat parabolam de forti amato, 725.

Beelen. — Citatur, 439; — adducitur, 500.

Beghardi. — Nominantur, 267.

Beguini. — Adducuntur, 694.

Belgium. — De vicissitudinibus Baianismi et Ianseniani apud Belgas vid. notas historicas, 376, sqq.; 379, sqq.

Bellarminus (Ven. Card. S. I.). — Laudatur, 11. — Confert statum lapsum cum statu naturae purae, 30. — Adducitur, 108. — Recte scribit de Adamo in gratia creato, 112. — Bene arguit contra protestantes, 114. — Adducitur, 115. — Optime scribit de rectitudine originali, 136. — Adducitur, 250, 369. — Adducitur, 504. — Optime de peccato originali disserit, 542, 545. — Adducitur, 616, sq., 622, 706, 736. — Affirmat damnatam conditionem parvulorum sine baptismo decedentium, 747.

Bellelius (Fulgentius). — Adducitur, 143.

Benedictus XIV. — Quid egerit in lite Iansenistica, 387.

Benedictus XV. — Epist. laudativa SS. D. N. Benedicti XV ad auctorem, ix. — Adducitur epist. SS. D. N. Benedicti XV ad m. Rev. P. Ledochowski, et pulchra ex eadem citatur sententia, 531.

Benedictus (S. B. Monach. Patr.). — Citatur Regula S. B., 180, 215, 275. — Quid Occidentali Ecclesia contulerit, 276, sq. — Tentationem heroice superat, 325. — Commendat laborem, 355. — Citatur, 453. — Otium damnat, 462.

Benfey. — Adducitur, 344.

Beresch. — Adducitur, 579.

Bernardinus (S. Senensis). — Citatur, 68.

Bernardus (S.). — Pulchre describit hominem imaginem Dei, 114, sq. — Citatur, 159, 365. — Adducitur, 449, 499. — Eloquenter opponit lapsui Redemptionem, 512. — Adducitur, 725. — Eloquenter confutat Abaelardum, 727, sq.

Berti. — Nonnihil excedit de integritate originali disputans, 143.

Besson (R. P.). — Cum laude citatur, 356.

Bethleemitica. — Basilica Beth. celebratur, 380.

Bethsabaea. — Nominatur, 497.

Bibliae Pauperum. — Laudantur, 390.

Billot (Card.). — Adducitur, 326, 369. — Sensum relativum ἐφ' ᾧ Paulini fortiter propugnat, 505. — Cum laude adducitur, 529. — Bene confutat sententiam Billuart de Adamo capite morali humani generis, 550. — Optime thesim formulat de formali et materiali peccati orig., 640. — Adducitur, 695.

Billuart. — Laudatur, 11. — Citatur, 83. — Adducitur, 105. — Bene arguit ex originali rectitudine hominis, 124. — Bene disserit de causis immortalitatem primo homini conferentibus, 225. — Adducitur, 283. — Bene scribit de excellentia coniugii in statu innocentiae, 289. — Citatur, 361. — Adducitur at minus probatur modus quo concipit Adamum caput morale generis humani, 549, sq. — Adducitur, 695.

Bijonius. — Laudatur, 11.

Bloy (Leo). — Excedit in describendo statu Adami innocentis, 274. — Corripitur eius Paracletismus, 290. — Iudicium de L. Bl. profertur, ibid. — Corripitur, 650. — Invehit in pudorem christianum, 655. — De sensuali mysticismo L. Bl., 656, sq. — De eius Paracletismo, 660, sq.

Bolgeni. — Adducitur, 736.

Bonaccorsi. — Nominatur, 45.

Bonaventura (S.). — Laudatur, 10. — Adducitur, 19. — Citatur, 54. — Doctrina S. Bon. de scientia primi hominis fuse exponitur, 92, sqq. — Quid censeat de Adamo in gratia creato, 100. — Adducitur, 112, 181. — Quid doceat de merito Adami, 184, sqq. — Quid docuerit de tempore quo Adamus est in gratia constitutus, 188, sqq.; — quid de gradu gratiae in statu innocenti, 191; — de eius efficacia ad merendum, 191, sq. — Quid doceat de immortalitate hominis integri et de usu ligni vitae, 256, sqq. — Bene scribit de divino mandato « Crescite et multiplicamini », 288, sq. — Exponitur S. B. doctrina de generatione in statu innocentiae, 308, sq. — Citatur de Paradiso figurative loquens, 347. — Bene illustrat peccatum protoparentum, 418. — Eloquenter corripit Adamum parricidam, 427, sq.; — nominatur, 491. — Adducitur, 534, 596. — Quid censeat de concupiscentia in analysi pecc. orig., 636, sq. — Pulchre disserit de ignorantia, 645, sq. — Adducitur, 668, 677. — Eius doctrina penitius exponitur, 682, sqq. — Quid censeat de subiecto pecc. orig., 686, sqq. — Adducitur, 740. — Quomodo in altera vita concipiat animi statum parvulorum sine baptismo decedentium, 743, sq. — Adducitur, 753.

Bonhomi. — Nuntius apud Belgas nominatur, 379.

Bonifacius II. — Ratihabet damnationem Semipelagianismi, 521.

Bonum. — Utrum totum bonum naturae possit per peccatum auferri, 700, sqq.

Bonvalet (G.). — Adducitur, 344.

Boonen (Archiep. Mehlin.). — Iansenii erroribus favens, 382.

Borgianelli. — Laudatur, 11.

Borgongini Duca. — Egregia eius opella commendatur, 569.

Bossuetius. — Dogma peccati originalis ex analysi hominis eloquenter eruit, 2, sq. — Ex narratione Mosaica illustrat scientiam Adami, 67. — Bene censet de origine humani sermonis, 80. — Adducitur, 114. — Patrum studium instanter inculcat, 131. — Citatur de zelo Dei, 131. — Adducitur, 161. — Celebrat regiam hominis dignitatem, 204. — Compositum humanum describit, 221. — Fortiter loquitur de derisione qua Deus interdum utitur, 249, sq. — Pulchre loquitur de formatione Evae, 269. — Citatur, 270. — Impugnat Iansenistas, 387; — De historicitate narrationis Mosaicae, 388. — Citatur, 398. — Bene loquitur de falsa scientia a serpente promissa, 403, sq.; — de praecepto a Deo protoparentibus dato, 407, sq. — Culpam Evae bene describit, 418, sq. — Bene disserit de poena mortis, 438; — deque morte aeterna, 440. — Adducitur, 449. — Citatur ad christianam mortem adhortans, 451, sq. — Ordinem poenarum in Paradiso a Deo inflictarum bene illustrat, 458. — Adducitur, 459. — Citatur, 459, sq. — In serpente diabolum describit, 465. — Diabolus callide Eva usus ad tentandum Adamum, 482. — Cur daemon serpente usus, 483. — Pulchre describit Redemptionem in Paradiso figuratam, 489, sq. — Sensum relativum ἐφ' ᾧ Paulini fortiter propugnat, 505. — Bene describit hominem lapsum, 528. — Optime illustrat nostram solidaritatem cum Adamo, 552, sq. — Citantur pulchri B. textus de concupiscentia, 633. — Bene loquitur de vulneribus pecc. orig., 710. — Epilogi instar citatur, 754.

Bougaud (Ill̃mus). — Adducitur, 369, 523. — Quid censeat de quadam sententia Perrone, 545.

Boulanger (Marcel). — Adducitur, 663.

Boulgaris (Eug.). — Adducitur cum laude, 718.

Bouquillon (Thom.). — Cum laude citatur, 218.

Bourdaloue. — Cum laude adducitur, 64. — Bene describit primum peccatum, 396.

Bourget (Paul). — Adducitur, 650, 664.

Bouvier (Frédéric). — Citatur, 102.

Bovan. — Calumnia B. depellitur, 542.

Bovi (Iac.). — Adducitur, 74.

Box. — Adducitur, 572.

Bradwardinus. — Nominatur, 705.

Bramantius. — Ruinantius a coaevis nuncupatus, 171.

Brigitta (S.). — Citatur, 748.

Brucker (L.). — Adducitur, 44

Brugsch (H.). — Adducitur, 341.

Brunet. — Nominatur, 386.

Brunetière (Ferdinandus). — Apologia Br. deficiens, 667.

Buddhistae. — Quid censeant de anteacta vita, 525.

Bulsano (Albertus a B.). — Adducitur, 369.

Buonaiuti (Prof. E.). — Nominatur, 45. — Erronee doctrinam de peccato originali uti Paulo propriam exhibet, 513, sq. — Confutatur audax B. sententia de doctr. S. Augustini dissona a doctrina S. Ambrosii de pecc. orig., 565.

Buonarroti (Mich. Ang.). — Laudatur modus quo Evae creationem depinxit, 66. — In picturis Sac. Sixt. nec pudorem nec veritatem sacram satis servavit, 171. — De prope vandalica destructione veteris basilicae Vaticanae conqueritur, ibid. — Adducitur, 216.

Burgov (Alexis). — Adducitur, 717. — Quid censeat de pecc. orig., 718. — Hegelianum conceptum applicat transfusioni peccati originalis, 719.

Byron (Lord). — Severe iudicat immodestas imagines in ecclesiis collocatas, 172. — Pulchrum B. carmen affertur, 468. — Adducitur, 729.

Cabrol (Fern, C. Abbas S. Michaëlis). — Adducitur, 45, 390. — Citatur, 468.

Caecus. — Caecus natus Evangelii est figura humani generis, 646, sq.

Caelestinus I. — Citatur, 705. — Illustrat parabolam de forti armato, 724.

Caelestius (Pelag.). — De gestis Caelestii Pelagiani, 370, sqq. — Prodigiosus innovator, 516, sq. — Nominatur, 518.

Caietanus (Card. O. Pr.). — Adducitur et discutitur eius definitio donorum praeternaturalium, 28. — Quomodo concipiat statum iustitiae originalis, 30. — Adducitur, 61, 86, 137. — Citatur, 408. — Adducitur, 422, 431, 506, 707, 748. — Nimis allegorice explicat narrationem Mosaicam de tentatione protoparentum, 470, sq.

Cainus. — Primus superhomo, 201. — De Eden expulsus, 349.

Calmet (O. S. B.). — Laudatur, 11. — Citatur, 61, 160, 162. — De pudore bene scribit, 165, sq. — Bene describit dominium primi hominis in animalia, 200. — Prudenter loquitur de dominio Ad. in alias creaturas, 203. — Adducitur, 337, 507.

Calumniae. — Cal. contra dogma de peccato orig. depelluntur, 542, sq.

Calvarium. — Vita christiana est via Calvarii, 644.

Calvinus. — Exaggerat corruptionem humanae naturae, 113. — Citatur, 114. — Collocat Paradisum in Babylonia, 341. — Paulo abutitur, 582. — Quid censeat de concupiscentia, 615, 619. — Brevis nota historica, 619. — Adducitur, 635, 696. — Eius doctrina de non imputatione, 751.

Canon. — Missae canone abutitur Nitzsch, 751.

Canticum Canticorum. — A Paradisi nuptiis symbolismum deprimit, 293. — Adducitur, 347, 455, 661, 750.

Capreolus. — Adducitur, 137.

Captivitas. — De capt. daemonis a pecc. orig. orta, 722, sqq.

Cardinale (Illmus D. Beda C., Archiep. Perus., O. S. B.). — Optime describit morum depravationem quam sequitur ignorantia religiosa, 173.

Carducci (Iosue). — Nominatur, 291.

Carentia. — Absentia donorum supernaturalium in homine lapso est carentia, 534. — Pecc. orig. debetur carentia visionis beatificae, 733, sqq.

Carnoy. — Adducitur, 524.

Carthaginiense (Conc.). — Adducitur Concilium IV, 229. — De Synodis Carth ctr. Pelagium, 370, sq. — Citatur Conc. Carth., (418) 521, sq. — Conc. C. II adducitur, 517.

Casinius. — Laudatur, 11.

Cassiodorus. — Civitatem caelestem pulchre describit, 345.

Castitas. — Celebratur excellentia castitatis, 643, sq.

Catechismus (Romanus). — Bene describit iustitiam originalem, 148. — Citatur, 346.

Catherinus (Ambrosius). — Reiicitur duplex eius sententia de pecc. orig., 548, 557. — Adducitur, 634, 636, 642, 694, sq. 746. — Nimis extollit conditionem felicem parvulorum sine baptismo decedentium, 747, sq.

Catholica. — De sensu vocis C., 31.

Cazals, —Adducitur, 655, 660.

Cellini (Benvenuto). — Typus aetatis Renascentiae, 171.

Celsus. — Nominatur, 43.

Cereus (Paschalis). — Adducitur bened. cer. pasch., 277, 365. — Ex benedictione cerei paschalis arguitur, 647.

Cham. — Ob inverecundiam punitur, 158.

Chantard (Abbas O. Cist.). — Exaltat filiationem adoptivam, 22.

Chappuis (Maria Salesia). — Cum laude citatur, 351.

Charles. — Adducitur, 580.

Cherubim. — Cher. arcae simul reales et symbolici, 271. — Quid Cher. custodes Paradisi, 457, sq.

Chirographum. — Chir. decreti per Christum in cruce deletum, 722.

Christianus. — Chr. imago Dei, 115.

Christus. — Christi opus salvificum demonstrat dogma peccati originalis, 1, sq. — Citatur opus cui titulus *Chr.*, 24. — Novus Adamus, 51, sq. — Simul comprehensor et viator, 54, sq. — Adamus de Christo prophetat, 64, 72. — Conferuntur inter se scientia infusa Adami et Christi, 55, sq., 81, 130. — De gratia a Christo derivata, 97. — Novus homo veteris hominis instaurator, 105. — Tentatio Chr. externa, 128. — Conferuntur passiones in Adamo et in Chr., 129, sq. — Divinam originem nuptiarum proclamat, 288. — Opus Christi Adami novi celebratur, 446; — docet doctrinam de peccato originali, 500. — Pro peccatoribus mortuus, alter Adam, 501, sqq. — De discrimine inter legem Moysis et gratiam Christi, 567. — Liberat genus humanum a captivitate daemonis, 722, sq. — Pecc. orig. non remittitur nisi per merita Christi, 749, sq. — Figuratur per serpentem in deserto exaltatum, 750.

Chrysologus (S. Petrus). — Pulchre commentatur exordium Orationis Dominicae, 21.

Chrysostomus (S. Ioannes). — Scientiam Adami ex narratione Mosaica exaltat, 64, sq. — Donum propheticum A. agnoscit, 65. — Citatur, 144. — Adducitur, 176, 199, 250, sq. — Parumper excedit in laude virginitatis ac si nuptiae essent a peccato, 228. — Historicum Paradisum propugnat, 337. — Adducitur, 347, 352. — Citatur, 353, sq. — Nominatur, 372. — Bene disserit de ligno scientiae boni et mali, 400, sq. — Adamus sciens malum peccavit, 402, sq. — Citatur, 407, 410. — Adducitur, 454. — Bene illustrat verba a Deo in Evam prolata, 459, sq. — Adducitur, 464. — Bene describit invidiam diaboli, 476. — Adducitur, 484.

Cibus. — De ciborum usu in statu innocenti, 237.

Cicero. — Vestigia altioris dignitatis in homine describit, 2. — Citatur, 13. — Adducitur, 127, 158. — Mortem simpliciter censet naturalem, 229. — In Buddhisticum conceptum de anteacta vita pronus, 525.

Cinematographica. — Ex arte cin. comparatio adducitur, 95.

Circumcisio. — Arguitur ex circumcisione, 499.

Civiltà Cattolica. — Cum laude citatur, 513, sq.

Claromontanus (Codex). — Adducitur, 508.

Claudel (Paulus). — Animi sui statum ante conversionem depingit, 133. — Nominatur, 292. — Conversionem suam denarrat, 389. — Adducitur, 661, 663. — Corripitur, 662.

Cleanthus. — Cl. carmen citatur, 102.

Clemens (Alexandrinus). — Nominatur, 43. — Excedit in symbolismum allegoricum, 44. — Nominatur, 266. — Adducitur, 267. — Eius doctrina de pecc. orig. explicatur, 559, sq.

Clemens IX. — Mitiore consilio Clem. IX Iansenistae abutuntur, 385.

Clemens XI. — Fortiter in Iansenistas agit, 386. — Damnat opus Quesnelli et propositiones ex eodem excerptas, ibid.

Coelestinus (Pp.). — Adamus in gratia creatus, 107. — Quid egerit in re Pelagiana, 375.

Coelibatus. — De ecclesiastico coelib., 643.

Cognitio. — De triplici cognitione Dei, 55.

Coitus. — In statu innocentiae fuisset generatio per coitum, 278, sqq.

Colossenses. — Arguitur ex epist. ad Col., 722.

Comestor (Petrus). — Adducitur, 358.

Comma (Ioanneum). — Adducitur, 507.

Comma. — De commate Piano, 377.

Commissio (Pont. Comm. de Re Biblica). — Citatur, 42, sq. — Adducitur, 152, 389. — Historicitatem narrationis Mosaicae proclamat, 389. — Adducitur, 470.

Communismus. — De comm. druidico, 651.

Comprehensor. — Christus simul viator et comprehensor, 55.

Concupiscentia. — De momento conc. in analysi pecc. orig., 535. — Dissertatiuncula de concup., 614, sqq. — Quomodo transeat reatu, 631. — Fomes concupiscentiae remanet post baptisma, 752, sq.
Confirmatio. — Utrum proparentes in iustitia ob victoriam confirmati filios in iustitia confirmatos genuissent, 320, sq.
Congo. — Adducitur exemplum a populis Congo belgici, 89.
Congolenses. — Tribus Cong. dualismo quodam adhaerent, 524.
Coninck (Aegidius). — Nominatur, 24.
Coniugalis. — De excellentia status coniugalis in statu innocentiae, 289.
Conservatio. — De pertinentibus in statu innocentiae ad conservationem speciei, 265, sqq.
Constantiense (Conc.). — Conqueritur de Sodomitico vitio imprimis in Italia grassante, 171. — Damnat errores Wiclef et Huss, 705.
Constantinopolitanum (Conc.). — Contra Massalianos adducitur, 520.
Contenson. — Adducitur, 707.
Continentia. — Qualis continentia in Adamo transmittat originis labem, 594, sqq. — Cf. Solidaritas.
Convulsionarii. — Nominantur, 387.
Coppée (François). — Cum laude citatur, 135. — Citatur humilis C. confessio, 152. — Ingeniose in falsam aequalitatem invehit, 210. — Bene scribit de dolore, 467.
Coranus. — Adducitur, 469, 504.
Corduba. — Adducitur, 638.
Corinthii. — Ex 1ª epist. ad C. arguitur, 513.
Corluy (S. I.). — Adducitur, 500.
Cornelius (a Lapide). — Laudatur, 11. — Adducitur, 199, 246, 253, 337, 339, 352, 504.
Cornet (Nicolaus). — Ianseniani smi fautor, 382.
Corpus. — De statu primi hominis quoad corpus, 219, sqq.
Corruptio. — De naturae corruptione ex pecc. orig., 698, sqq.
Coventry-Patmore. — Iudicium de eius carminibus fertur, 661.
Crispolti (D. Virgilius). — Cum laude adducitur, 608.
Cros. — Laudatur, 11.
Crux (SSma). — Per lignum vitae figurata, 243.
Curiositas. — Indiscreta curiositas vitanda, 411, sq.
Curti (Th.). — Adducitur, 75.
Cynici. — Corripiuntur, 165.
Cyprianus (S.). — Nominatur, 443. — Adducitur, 518.
Cyrillus (S. Alexandr.). — Citatur, 103, 145; 222, sq. — Adducitur, 505.
Cyrillus (S. C. Hierosol.). — Eius doctrina de pecc. orig. explicatur, 560.

Daemones. — In quonam resideat Doemonum damnatio, 122. — De captivitate daem. ab orig. pecc. orta, 722, sqq. — Princeps huius mundi, 730. — De daemonis obsessione, 732.
Damalas (Nicolaus). — Adducitur, 264. — Quomodo pecc. orig. concipiat, 717.
Damascenus. — Cfr. Ioannes.
Damasus (S. D. Papa). — Nominatur, 369.
Damnatio. — Aeterna damnatio est iusta poena pecc. orig., 732, sqq.
Daniel (Propheta). — Confundit seniores, 159; — a leonibus liberatus, 205.
Dantes (Alighierius). — Citatur, 390. — Invehit in Evae rebellionem, 406; — in superbiam, 412. — Nominatur, 453.
Danubius. — Non est Phison, 340.
Darius. — Nominatur, 159. — Adducitur, 738.
David a Dinanto. — Amalrici assecla, 267.
David (Rex). — Ob oculorum immodestiam lapsus, 159. — Arguitur ex psalmo David L., 496, seqq. — Adducitur, 582, 663.
Davis (Edward). — Adducitur, 651.
Deane. — Adducitur, 575.
Deceptio. — Utrum Adam decipi potuerit, 83.
Decius (Imper.). — Nominatur, 473.

Decretum. — De positivo decreto Dei quoad transfusionem originalis iustitiae, 591, sq.

Delbrueck (M). — Insolubilem censet quaestionem de origine humani sermonis, 78.

Delietzsch (Fredericus). — Historicum Paradisum propugnat, 337. — Adducitur, 341.

Denderah. — Adducitur imago templi D., 70.

Denifle (O. Pr.). — Poëtice describit originalem hominis iustitiam, 124, sq.

Denziger (Enchir.). — Adducitur, 16, 138, 374, 531.

Derisio. — Nullatenus dedecet sermonem divinum, 249.

Diabolus. — Non praevidit sui casus miseriam, 117.

Diminutio. — Utrum peccatum diminuat bonum naturae, 698.

Diospolis. — De Synodo Diospolitana, 370.

Dolor. — Cf. Afflictio.

Dominica (Oratio). — Divina origo et excellentia Or. Dom. vindicantur, 20.

Dominium. — De usu iustitiae quantum ad dominium in statu innocenti, 193, sqq.; — de dom. in animalia, 194, sqq. — De dom. hominis in homines, 211, sqq.

Donatistae. — Adducuntur, 516.

Donos. — Adducitur, 660.

Draco. — Nominatur, 461.

Driedo. — Adducitur, 738.

Driego. — Adducitur, 726.

Druidicus. — Druidici scriptores communismum quemdam commendant, 651.

Duacensis. — Universitas Duac. docto opere Baium confutat, 379.

Dualismus. — Dual. Manichaeisticus non explicat praesentem conditionem hominis, 524.

Duchesne. — Bene scribit de Baianismo, 376.

Dunkenfield (H. I. D. Astley). — Adducitur, 154. — Corripitur, 525.

Durandus. — Nominatur, 24. — Deficiens est Dur. sententia de peccato originali, 545, 642, 694, sq.

Ecclesia. — Alma scientiarum cultrix, 91. — Figurata per paradisum, 345.

Ecclesiastes (Lib. E.). — Ex l. Eccl. arguitur, 105.

Ecclesiasticus (Liber E.). — Citatur, 46; — ex eo arguitur, 394, 481.

Eden. — Paradisus pars Eden, 349. — Cfr. Paradisus.

Edersheim. — Adducitur, 572, 578.

Efficacia. — De efficacia salutis per Christum, 415, sq.

Elias (Helias). — Miraculosa nutritur, 244. — In quemnam locum translatus, 348, 351.

Eliezer (Rabbinus). — Adducitur, 455, 461.

Eloisa. — Nominatur, 149. — Carmen Pope *Eloisa to Abelard* citatur, 650, 656.

Emmanuel (Rm̃us P. E. Cgr. Oliv.). — Cum laude citatur, 367.

Empiristica. — Theoria emp. de humano sermone, 74.

Enchiridion (Denziger). — Cfr. Denziger.

Encratitae. — Clemens Alex. arguit contra Encrat., 559, sq.

Encratites. — Nominatur, 443.

Enoch (Liber E.). — Adducitur, 346, 391. — Lib. En. Slavus adducitur, 574, sqq.

Enoch (Henoch, patriarcha). — In quemnam locum translatus, 346, sq., 351. — Adducitur in exemplum, 558.

Ephesii. — Arguitur ex epist. ad Eph., 514.

Ephesinum (Concil.). — Damnat Pelagianismum, 375. — Adducitur, 520, sq.

Epictetus. — Nominatur, 1.

Epilogus. — p. 754, sq.

Epiphanius (S.). — Adamum cognovisse SS̃mae Trinitatis mysterium affirmat, 71, sq. — Adducitur, 266, 449, 581.

Erasmus. — Intelligitur ἐφ' ᾧ Paulinum causaliter, 505, sq. — Adducitur, 569.

Erubescentia. — Cfr. Pudor.

Eschbach (C. S. S.). — Adducitur, 517.
Esdras. — IV Liber Esdrae adducitur, 578, sq.
Esiodus. — Adducitur, 391.
Espenberger (I.). — Adducitur, 566.
Essentia. — De essentia pecc. orig., 602, sqq. — Pecc. orig. per prius in essentia animae quam in potentiis, 684, sqq.
Esser (Gebh.). — Nominatur, 43.
Estius. — Impugnat Erasmum, 505.
Eucharistia (SSma). — Per lignum vitae figurata, 243, 344. — Adducitur, 516.
Eucherius. — Bene discurrit de imagine et similitudine Dei, 115. — Adducitur, 199.
Euchetae. — Aliud nomen Massalianorum, 520.
Eufrates. — De flumine Euphrate, 336, sqq.
Eugubinus. — Lignum vitae symbolice explicat, 242.
Eva (vel Heva). — De scientia E., 60, sq. — E. non Adam a tentatore aggreditur, 61. — E. cedat Adamo, 82. — Deceptam fuisse testatur Paulus, 85. — A B. V. Maria merito longe superatur, 181. — Evae formatio de Adamo nuptialem unionem a Deo intendi demonstrat, 268, sq.; — Adae adiutorium in ordine ad generationis opus, 283. — De temporis spatio inter creationem Adami et Evae, 360, sq. — De Evae peccato, 394, sqq. — De Evae poenitentia, 442, sqq. — Diabolus Eva uti tentationis instrumento usus, 482. — Quo sensu a Satana seducta in apocryphis, 578, sq. — Quid, quoad transfusionem originalis labis, si Adamo perseverante, Eva peccasset, 597, sqq.
Evolutionismus. — Ev. non explicat conditionem praesentem hominis, 525.
Evolutionistae. — Quid censeant de origine humani sermonis, 74.
Ewald. — Adducitur, 344.
Exodus. — Arguitur ex libro Exodi, 612.
Exorcismus. — Ex exorcismis arguitur ad demonstrandum dogma pecc. orig., 520. — Cur ritus baptismalis per exorc. inducatur, 781, sq.
Eyck (Hub. et Ioann., v. E). — Laudatur magistrale opus dictum Adoratio Agni, 346.
Ezechiel. — Ex loco Ez. falso arguebant Pelagiani, 548, sq. — Ex Ez. arguitur, 564. — Adducitur, 664.

Fabulae. — Ethnicorum fabulae non raro servant primae revelationis vestigia, 245, sq.
Faure. — Laudatur, 11.
Felton. — Adducitur, 580.
Femina. — In statu innocentiae natae fuissent et feminae, 306, sqq.
Feminismus. — Exaggeratur f. corripitur, 211.
Fenelonius. — Iansenistis restitit, 387. — Bene scribit de amoris proprii mortificatione, 399; — de virtute Crucis, 449; — de morte, 452.
Ferrariensis. — Laudatur, 12; — adducitur, 137.
Fino (Carlo). — Adducitur, 517.
Fjaere. — Citatur, 37.
Flaccus Illyricus. — Nominatur, 520. — Manichaei erroris instaurator, 522. — Reponit orig. pecc. in substantia mala, 615, sq. — Habet sibi oppositum Augustinum, 631. — Adducitur, 696.
Florentinum (Concil.). — Adducitur, 347. — Citatur de sorte parvulorum sine baptismo decedentium, 737.
Flumen. — De fluminibus Paradisi, 336, sqq.
Foecundatio. — Describitur processus foecundationis, 298.
Fomes. — Cfr. Concupiscentia.
Formale. — In quonam reponendum formale pecc. orig., 638, sqq.
Fornari (Vitus). — Exaltat primaevam conditionem hominis, 4. — Ruinam per Adami peccatum productam eloquenter describit, 158. — Illustrat effatum homo homini lupus, 201, sq. — Familiam se in societatem evolventem describit, 218.

— Bene loquitur de arbore scientiae, 407. — Celebrat excellentiam creatae libertatis, 475, sq.

Fourrier (Pierre F. de Rozières). — Cum laude citatur, 645.

Franciscalis. — Franciscalis Familia laudabili zelo errorem Baianum impugnat, 376, sq.

Franciscus (S. Fr. Assis.). — Adducitur, 659.

Franciscus (S. Fr. Salesius). — Cum laude citatur, 398, 469. — Citatur belle eius dictum, 645.

Franzelin (Card. Fr. S. I.). — Sapiens eius monitum affertur, 170. — Cum laude adducitur, 554.

Frassen. — Adducitur, 369, 549.

Frey (I. B. Congr. S. Sp.). — Vindicat excellentiam divinam orationis dominicae, 20. — Adducitur, 391, 472, sq. — De doctrina Iudaeorum circa pecc. orig., 572 sqq.

Froereisen (Leonard.). — Nominatur, 36.

Fromondus. — Amicus Iansenii nominatur, 381.

Fulgentius (S.). — Citatur, 467. — Urget necessitatem baptizandi infantes, 517, sq. — Adducitur, 739.

Fuzet. — Adducitur, 113.

Gabriel. — Nominatur, 24.

Gaillard. — Adducitur, 566.

Gallenus. — Amicus Iansenii nominatur, 381.

Gallia. — Universitates G. Baium damnant, 377.

Gallicanismus. — Lite Ianseniana adauctus, 385.

Ganges. — Non est Phison, 340.

Garnerius. — Adducitur, 549.

Garnier. — Adducitur, 368.

Garrigou-Lagrange (Ord. Pr.). — Laudatur, 11. — Adducitur, 23, 27. — Bene ostendit dogma de pecc. orig. rationi non repugnare, 543.

Gasquet (Card. O. S. B.). — Adducitur, 19. — Exaltat influxum beneficum Regulae S. Benedicti, 276, sq. — Celebrat excellentiam castitatis, 643.

Gaultier (Paulus). — Adducitur, 618.

Gazzaniga. — Adducitur, 707.

Gehon. — De flumine Gehon, 336, sqq. — Gehon non est Nilus, 340.

Geikié. — Adducitur, 44, 344.

Gelasius. — Adducitur, 503.

Generatio. — In statu innocentiae fuisset generatio, 266, sqq.; — qualis, 278.

Generativa. — Quomodo infecta per pecc. orig., 691, sqq.

Genesis. — Narratio Geneseos de hominis origine passim adducitur.

Genesius. — Adducitur, 339.

Gennadius (Constantinop.). — Nominatur, 375, 455.

Genocchi (Ioannes). — Laudatur, 43, 45.

Gertrudis (S. G. Magna). — Celebratur, 347. — Citatur, 452.

Gisler. — Adducitur, 667.

Giuliani (Alb.). — Bene affirmat legem solidaritatis, 553. — Celebrat mortificationem christianam, 644.

Glossner. — Laudatur, 11.

Glover. — Impia eius sententia affertur, 37.

Golgotha. — Utrum in eo Adamus sepultus, 444.

Gotti. — Adducitur, 369.

Goudin. — Laudatur, 11. — Adducitur, 30, 369.

Grandmaison (Léonce de). — Adducitur, 102.

Granvelle (Card.) — Nominatur, 377.

Grass (W). — Corripitur, 718.

Gratia. — Adamus creatus fuit in gratia, 96, sqq.

Gravitas. — De gravitate peccati protoparentum, 420, sqq.

Gregorius (Ariminensis). — Adducitur, 649. — Durior erga parvulos sine baptismo decedentes, 737, sq.

Gregorius (S. Gr. Magnus). — Aureum exordium humani generis pulchre describit, 40. — Tentatio Christi externa, 128. — Citatur, 159, 215. — Difficilis sen-

tentia explicatur, 221, sq. — Citatur, 360, sq. — Disserit de poena mortis in Adamum prolata, 437. — Nominatur, 443. — Bene scribit de variis probationibus, 467, sq.; — adducitur, 499. — Pulchra eius sententia affertur, 586. — Bene describit humani generis caecitatem, 647.

Gregorius (S. Gr. Naz.). — Deus ex misericordia arcet Adamum ab esu ligni vitae, 250; — adducitur, 400, 518. — Citatur, 409. — Bene loquitur de regno daemonis a pecc. origin. orto, 725. — Bene disserit de sorte parvulorum qui sine baptismo moriuntur, 735.

Gregorius (S. Gr. Nyssenus). — Eloquenter describit conditionem originalis integritatis, 39. — A pluribus non recte adducitur, 50. — Confutatur Greg. sententia quoad generationem in statu innocentiae, 279, sqq. — Pulchre disserit de poena mortis in Adamum prolata, 437. — Eius doctrina de pecc. origin. explicatur, 561, sq.

Gregorius XIII. — Confirmat bullam Pii V contra Baium, 378.

Gubernatio. — Gubernatio mundi miraculum ingens, 240.

Guibergues (Illmus Episc. Valent.). — Bona rei publicae ab Ecclesia obvenientia celebrat, 32, sq.

Gulielmus Parisiensis. — Amalrici assecla, 267.

Gunkel. — Corripitur, 104. — Nimis allegorice interpretatur narrationem Geneseos, 154, sq.

Gunther. — Corripitur, 26, 68. — De G. errore circa pecc. orig., 522. — Adducitur, 694.

Guntheriani. — Nominantur, 8.

Gustus. — Quomodo infectus per pecc. orig., 691, sqq.

Gutberlet. — Adducitur, 75, 77. — Non ex toto probatur eius sententia de origine humani sermonis, 79, sq. — Non omnino bene scribit de sensu pudoris, 166, sq.

Habituale. — Quid sit pecc. habit., 606.

Habitus. — Praevia de habitibus, 603, sqq. — Pecc. orig. est habitus, 603, sqq.

Hadrianum. — Collegium Hadr. Lovan. nominatur, 376, 379.

Hamard (P.). — Adducitur, 70, 89.

Harnack (Adulph.). — Depresse censet de oratione dominica, 20. — Adducitur, 569. — Iniustum se exhibet erga S. Augustinum, 633. — Non ita p. 704.

Harrison Askwith (M. E.). — Per evolutionismum solvit problema de praesenti conditione hominis, 525.

Hasselt (Leonardus). — Nominatur, 376.

Havermans (Macarius). — Baiana thesis H. corripitur, 139, sq. — Imprudenter loquitur de originali integritate quasi humanae naturae debita, 142.

Havet. — Adducitur, 13.

Hebraei. — Religio H. ordinabatur ad Christum, 31.

Hebron. — Nominatur, 444.

Hedley (Illmus D. H. O. S. B.). — Citatur, 451.

Hefele. — Adducitur, 372.

Hegeliana. — Philosophia Hegel. doctrinae de pecc. orig. applicatur, 719.

Hégit (Dea). — Nominatur, 70.

Henoch. — Cfr. Enoch.

Henricus (Gandavensis). — Adducitur, 649.

Hensley Henson. — Anglicanus episcopus Herefordensis, etsi impius scriptor, renuntiatur, 37.

Herby (Iosephus). — Citatur, 24.

Herder. — Adducitur, 75, 618.

Hergenroether (Card.). — Adducitur, 267, 387, 716.

Hermes. — Eius deficiens doctrina de peccato originali corripitur, 8. — Corripitur, 26. — Baiano modo intelligit ἐφ' ᾧ Paulinum, 509, sq. — Quid commune habeat cum Luthero et Iansenio, quid cum Zwinglio, ibid. — De eius errore quoad pecc. orig., 522. — Erronee ponit pecc. orig. in concupiscentia, 642. — Adducitur, 694.

Hermesiani. — Nominantur, 8.
Hermesius. — Nominatur, 263.
Herodotus. — Nominatur, 393.
Heros (Arelatensis Episc.). — Animose agit ctr. Pelagium, 372, sq.
Hettinger. — Laudatus, 11. — Adducitur, 14. — Bene scribit de *Naturvölker* et *Kulturvölker*, 31. — Citatur, 69. — Adducitur, 220.
Hetzenauer (O. M. Capp.). — Adducitur, 341.
Hevilath. — Terra H. nominatur, 336; — quaenam fuerit, 340.
Hierius. — Nominatur, 561.
Hieronymus (S.). — Citatur, 43, 72. — De signaculo Spiritus animae humanae impresso, 102. — Paradisum affirmat realem, 336, sq. — Adducitur, 347, 349. — Nominatur, 370. — Ctr. Pelagianam haeresim scripsit, 372. — Nominatur, 443. — Adducitur, 455, 507. — Proclamat traditionem de pecc. orig., 516. — Adducitur, 518, 736.
Hierosolymitana. — De Hier. Synodo ctr. Pelagium, 372.
Hilarius (S.). — Adamus in gratia creatus, 107. — Deus ex misericordia excludit Adamum ab esu ligni vitae, 250. — Adducitur, 518. — Proclamat pecc. orig., 519. — Hilarii nomine Augustinus Ambrosiastrum legit, 564, 569.
Hirscher. — Corripitur, 26.
Hispania. — Universitates H. Baium damnant, 377. — Iansenius non una legatione in H. fungitur, 380.
Histor. citas. — Narrationis mosaicae h. affirmatur, 12. — Vindicatur. 42, sqq.
Hoberg (D. Godefr.). — Laudatur, 11. — Adducitur, 43. — Nominatur, 45. — Citatur, 90. — Bene describit nexum inter dignitatem naturalem et supernaturalem hominis, 104. — Citatur, 154, 165. — Erronee excludit omnino ironiam quasi Deum dedeceat, 249. — Cum laude citatur, 268, sq. — Citatur et partim corripitur, 271. — Adducitur, 341, 349. — Minus probatur, 352, 357. — Nimis allegorice narrationem mosaicam de tentatione protoparentum interpretatur, 471.
Hohenemser (R.). — Absona theoria sensum pudoris explicare conatur, 168, sq.
Hollandia. — Cfr. Batavia.
Homo. — De conditione primi hominis quantum ad intellectum, 48, sqq.
Honorius (Imper.). — Nominatur, 374.
Horatius. — Adducitur, 74. — Citatur, 391.
Hortus. — H. conclusus per Paradisum figuratus, 347.
Hubert (Raymundus), — Adducitur, 659. — Citatur, 650, sq., 666.
Huetius. — Adducitur, 339, 341, 499, 555.
Hugo (Victorinus). — Laudatur, 10. — Describit varios status hominis, 34. — Scientiam Adami commendat, 65, sq. — Citatur, 68. — Adducitur, 92. — Citatur, 94. — Adamus iuxta H. non in gratia creatus, 189. — Citatur, 199. — Citatur de esu ligni vitae, 251. — Reiicitur eius sententia deficiens, 297. — Quid censeat de evolutione prolis quoad corpus, 304, sq.; — quid de eius conditione quoad gratiam, 327, sqq. — Cum laude citatur, 359. — Bene describit vitia in originali peccato contenta, 395, sq. — Citatur de ligno scientiae, 401, 403. — Bene disserit de gravitate peccati Adami et Evae, 429, sq. — Bene scribit de Deo disponente bona et mala, 473; — adducitur, 499, 503. — Proclamat mysterium pecc. orig., 523. — Citatur de eodem argumento, 531, 532. — Non satis attendit ad indolem supernaturalem donorum quibus homo lapsus destitutus est, 353. — Magnum momentum tribuit concupiscentiae in pecc. orig., 535. — Subtiliter de pecc. orig. disserit, 541. — Proclamat inscrutabile mysterium, 582. — Bene exponit cur parvuli de baptizatis nati baptizari debeant, 587. — In analysi pecc. orig. magnam partem tribuit concupiscentiae et ignorantiae, 647, sqq. — Adducitur, 696.
Hugueny (O. Pr.). — Adducitur, 369.

Humboldt (de). — Nominatur, 77. — Adducitur, 393.

Hummelauer (de H. S. I.). — Nominatur, 45. — Adducitur, 344.

Hurter (S. I.). — Hermesii doctrinam bene contrahit, 8; — allegatur, ibid.

Huss (Ioann.). — Damnatur in conc. Constant,, 705.

Huysmans (Camillus). — Adducitur, 650.

Hypercriticismus. — H. biblicus corripitur, 113.

Hypostatica (unio). — Culmen elevationis ad ordinem supernaturalem, 20.

Iacobus (S. Ap.). — Ex epist. I. arguitur, 442. — Ex pulchro textu I. arguitur, 622, sq.

Iagani. — Citantur, 74.

Iames (William). — Beneficum religionis influxum celebrat, 467.

Iammes (Franc.). — Graviter corripitur eius sensualis et realisticus mysticismus, 657, sqq. — Corripitur, 662, — Adducitur, 663. — Citatur, 707.

Ianseniani (Iansenistae). — Nominantur, 369. — Durius sentiunt de poena pecc. orig., 738.

Iansenius (Cornelius). — Nominatur, 8. — Protestantico errore infectus, 113. — Adducitur, 135. — Nota historica de Iansenio eiusque asseclis, 379. sqq. — In quo Hermes cum I. conveniat, 509, sq. — De I. errore circa pecc. orig., 522. — I. excessus reiicitur, 705. — I. doctrina de concupiscentia, 620. — Adducitur, 635.

Iansenius (Iacobus). — Nominatur, 380.

Ianssens (Eduardus). — Adducitur, 667.

Ianssens (Iosephus). — Cum laude adducitur, 292.

Ianvier (O. Pr.). — Bene discurrit de animae passionibus, 126. — Citatur, 130. — In Ecclesiae hostes eloquenter invehit, 216.

Iapanenses. — De mythis Iap., 393.

Iensen. — Adducitur, 342.

Ieremias (Proph.). — Citatur, 37, sq.

Ierusalem. — Typice opponitur Babyloniae, 344, sq.

Ignatius (S. Ign. Loyol.). — Adducitur, 655.

Ignorantia. — De ignor. uti elementa pecc. orig., 645, seqq. — De ignor. vulnere, pecc. orig., 709.

Imago. — De habitudine imaginis ad similitudinem, 98, sq. — 114, sq. — Imagines immodestae ab ecclesiis expellendae, 170, sq.

Immaculata. — Imm. Conc. B. M. V. meritis praevisis Filii debita, 182. — Adducitur, 325. — A Iansenistis Batavis et a dictis veteribus catholicis impugnatur, 387. — In Paradiso praenuntiatur, 464. — Nominatur, 480. — Nullatenus opposita doctrinae S. Pauli, 565, 590. — Adducitur, 601. — Quid de ea teneant theologi orthodoxi, 716.

Immortalitas. — De imm. primi hominis, 220, sqq. — Etsi donum praeternaturale, congruit tamen maxime naturae humanae ut sit perfecta, 224. — De immortalitate Adami innocentis et beatorum post resurrectionem corporum, 261.

Impassibilitas. — De imp. in statu innocentiae, 233.

Imperium. — De daemonis imperio ex peccato orig. orto, 722, sqq.

Imputatio. — De falsa doctrina Protestantium de non imputatione peccatorum, 618, 631, 751.

Inaequalitas. — De variis inaequalitatibus inter homines, 207, sqq.

Incarnatio. — Oeconomia Incarnationis confirmat dogma peccati originalis, 2. — Creatio hominis praeludium Incarnationis, 100, sq., 103.

Index. — Index Rerum, xiii. — Index alphabeticus, analyticus, 757.

India. — Non est terra Hevilath, 340.

Infantes. — Ex usu baptizandi infantes deducitur fides de pecc. orig., 517, sq. — De sorte infantium sine baptismo decedentium. — Cfr. Parvuli.

Infirmitas. — De infirmitate pecc. orig. vulnere, 703.

Innatismus. — In humani sermonis origine admittendus, 77.

Innocentius I. — Quid egerit in re Pelagiana, 372, sq. — Nominatur, 433.

Innocentius III. — Adducitur, 499, 675. — Citatur eius decretum de poena peccatorum, 737.

Innocentius X. — Commissionem instituit ad propositiones Iansenii discutiendas, 383. — Easdem damnat., ibid.

Insufflatio. — Quid significat in creatione hominis, 101, sqq.

Integritas. — Dissert. de originali integr. 133, sqq. — Nexus intimus, inter utrumque donum integr. et immortalitatis, 233.

Intellectus. — De statu primi hominis quantum ad intellectum, 48, sqq.

Ioannes (Baptista). — Ex I. B. testimonio arguitur, 499. — Ex eius verbis arguitur, 573.

Ioannes (Damasc.). — Adducitur, 266. — Corripitur eius excessus quoad nuptias, 285. — Citatur, 347, 450.

Ioannes (S. I. Apost. et Evang.). — Exaltat filiationem adoptivam, 20. — Ex I. arguitur, 49, sq. — Doctrina I. de triplici concupiscentia, 274. — Ex I. arguitur, 442, 710.

Ioannes (S. I. Chrysost.). — Adducitur, 505. — Citatur ex textu Paulino ad Rom. arguens, 508 sq. — Adducitur, 518. — Vindicatur eius doctrina de pecc. orig., 554, sqq.

Iob. — Adducitur, 105. — Citatur, 151, 466. — In exemplum adducitur, 467, — citatur, 468. — In exemplum adducitur, 559.

Iohanan (Rabbi). — Adducitur, 578.

Iordaens. — Citantur carmina quae leguntur sub tabula I., 435.

Ioseph (S. Sponsus B. M. V.). — Celebratur, 68.

Iosephus (Flavius). — Nominatur, 358. — Adducitur, 576, 578.

Iosephus II. — Nominatur, 266.

Ioubert. — Adducitur, 102.

Iouin (Rmus Can.). — Bene scribit de supernaturali, 26. — Adducitur, 37.

Irenaeus. — Pulchre describit creationem hominis, 101. — Deus ex misericordia excludit Adamum ab esu ligni vitae, 250. — Futilis eius sententia reiicitur, 282. — Nominatur, 443. — Proclamat pecc. orig., 518, sq. — Adducitur, 581.

Ironia. — Cfr. Derisio.

Isaac. — Nominatur, 246.

Isaias (Proph.). — Poëtice decantat totius naturae pacificam instaurationem, 197. — De lapsu hominis citatur, 367, sq. — Ex Is. Augustinus pulchre arguit, 538.

Isidorus (Hispal.). — Adducitur, 499, 736.

Islam. — De impotentia Isl., 392.

Ismaël. — Nominatur, 246.

Itala (Versio I.). — Adducitur, 498.

Iubilaei. — Liber Iub. adducitur, 575, 577.

Iudaei. — Otium vitabant, 461. — Quid tempore Christi de pecc. orig. senserint, 572, sqq.

Iudas (Apost.). — Nominatur, 577.

Iulianus (Apostata). — Nominatur, 43. — Narrationem Mosaicam deridet, 484.

Iulianus (Eclanensis). — Quid in re Pelagiana egerit, 374 sq.

Iulianus (Pelag.). — Nominatur, 519. — Falso ad se trahit Chrysostomum, 554. — Adducitur, 694.

Iulius II. — Resistit Bramantio sepulcrum B. Petri transferre cupienti, 171. — Bellicose at lepide dictum citatur, 216.

Iungmann. — Laudatur, 11. — Affertur eius iudicium de Iansenio, 381. — Adducitur, 387. — Cum laude adducitur, 527.

Iuridicum. — De Adamo capite iuridico humani generis, 549, sqq.

Iustinus (S. I. Mart.). — Adducitur, 518.

Iustitia. — Iustitia originalis Adami qualis fuerit, 96, sqq. — Quomodo ea Adamus ab ipso exordio uti potuerit ad meritum, 125. — Robur non est iustitiae

fundamentum nec causa, 207. — De conditione prolis generandae quoad iustitiam, 314, sqq.

KANT (Emm.). — Eloquenter in K. invehit Card. Mercier, 418, sq. — Nominatur, 420. — Quomodo explicet ordinem moralem, 526.

KATSCHTHALER (Card.). — Adducitur, 7, 41, 68, 138.

KAULEN (*Kirchenlex.*). — Adducitur, 336, 339, 348, 376, 381.

KEPPLER (Illmus Gul. v. K.). — Cum laude citatur, 419, sq.

KILBER. — Laudatur, 11. — Adducitur, 369, 549.

KINCHI (David). — Adducitur, 50.

KLEE. — Adducitur, 40, 69, 523.

KLEUTGEN (S. I.). — Laudatur, 5, 26. — Cum laude adducitur, 105, 368.

KNOUM (Deus). — Nominatur, 70.

KOLB. — Adducitur, 31.

KOURSOULAS. — Adducitur, 719.

KUHN. — Corripitur, 26.

KURTH (Godefridus). — Invehit in theorias sociales Platonis et Aristotelis, 651. — Ecclesiam a Christo fundatam celebrat, 652.

LABOR. — Commendatur, 356, sq.

LACORDAIRE (Ord. Pr.). — Commendat ex verbis Adami dignitatem matrimonii, 63. — Citatur, 147. — Eloquenter celebrat bona ab Ecclesia in civitatem collata, 217. — Bene describit originalem perfectionem Adami, 362, sq. — Adducitur, 369. — Citatur, 398, 404, 420. — Bene loquitur de duplici morte, 445. — Citatur, 446, 452, sq.; — minus probatur, 471. — Providentiam Dei celebrat et in malis, 474. — Adducitur, 481. — De serpente Paradisi et Apocalypsis bene loquitur, 484. — Opponit opus Christi operi Adami, 510. — Invehit in apologistas sensualis libidinis, 526. — Bene describit hominem lapsum. 528. — Illustrat nostram solidaritatem cum Adamo, 553. — Bene disserit de transfusione culpae orig., 593. — Citatur, 606, 625. — Bene scribit de poena peccato originali debita, 739, sq.

LAFORÊT. — Adducitur, 523,

LAGARDE (P. de). — Adducitur, 340.

LAGRANGE (O. Pr.). — Adducitur eius sententia de mythis, 45. — Quid censeat de loco Paradisi, 335. — Adducitur, 577.

LAMAEUS. — Iansenii cappellanus nominatur, 381.

LAMBRECHT-HAELTERMAN. — Adducitur, 369.

LAMI (O. S. B.). — Nominatur, 387.

LAMINNE (Illmus). — In scholasticos nonnihil durior, 5. — Cum laude citatur, 6, 134, sq., 137, 140. — Harmoniam hominis innocentis bene evolvit, 147. — Bene discurrit de integritate originali, 148; — deque pace eius effectu, 150. — Optimum L. monitum de evolutione, 167. — Sapiens animadvertio L. affertur, 170. — Cum laude citatur, 321. — Bene scribit de dogmate peccati originalis, 366. — Adducitur, 369. — Historicitatem narrationis Mosaicae proclamat, 388, sq. — Bene illustrat cur Deus permiserit malum, 479. — Bene scribit de textu Paulino ad Rom., 508. — Adducitur, 525. — Optime ponit problema de praesenti conditione hominis, 327. — Insistit in rationem voluntarii in pecc. orig., 546. — Bene explicat nostram inclusionem in Adamo capite, 546, sq. — Citatur, 551. — Adducitur sententia cum moderamine intelligenda, 601, 670. — Adducitur, 615. — Bene evolvit partes concupiscentiae in transfundendo pecc. orig., 676, sq.

LAMPATIANI. — Aliud nomen Massalianorum, 520.

LANGDON (D.). — Reperit tabulas collectionis Nippur, 343.

LANESSAN. — Impia eius sententia citatur, 36.

LAPERRINE D'HAUTPOUL (Illmus G.). — Adducitur, 627.

Lateranense (Conc.). — An. 1215 damnat Amalricum, 267.

Latro. — Latroni poenitenti Paradisus promittitur, 346.

Laurentie (Franciscus). — Citatur, 664.

Laurentius (S. L. Mart.). — Nominatur, 473.

Lazarus. — Adducitur, 77.

Lazarus (Aquensis Episc.). — Animose agit ctr. Pelagium, 372, sq.

Lebedev (Illm̃us). — Quid censeat de pecc. orig., 717. — Invehit in theologos catholicos, 718.

Le Cardonnel. — Adducitur, 663.

Leclercq (O. S. B.). — Adducitur, 45, 390.

Ledochowski (S. I.). — Epist. SS. D. N. Benedicti XV ad m. Rev. P. Led., 531.

Le Fur (Ludovicus). — Citatur in Lutherum invehens, 618.

Legendae. — Non confundendae cum mythis, 45.

Lemaître (Iulius). — Citatur, 419.

Lemonnyer (O. Pr.). — Adducitur, 516.

Lemos (Thomas de L.). — Adducitur, 707.

Lenormant (J.). — Adducitur, 44, 344.

Lensaeus. — Nominatur, 379.

Leonianum (Sacram.). — Cf. Sacramentarium.

Leo (S. L. Magnus). — Citatur, 6. — Adamus in gratia creatus, 107, sq. — Adducitur, 503, 613. — Celebrat excellentiam mortificationis christianae, 644.

Leo X. — Nominatur, 216.

Leo XIII. — Adducitur, 13. — Pulchre celebrat bona ab Ecclesia in civitatem collata, 216.

Lepin. — Bene loquitur de narratione Mosaica, 46.

Leporius (Monach. Massil.). — Utrum Pelagianis adnumerari mereatur, 375.

Lerouge. — Adducitur, 655, 660.

Lesêtre. — Citatur, 90. — Sapiens L. monitum affertur, 666.

Lessiana. — Controversia L. quomodo se habeat ad litem Baianam, 379.

Lessius. — Citatur, 748.

Leusden (Ioann.). — Nominatur, 80.

Lêvi (Israël). — Admittit in veteri Synagoga traditionem de pecc. orig., 572.

Lex. — De lege mortis, 441. — De discrimine inter legem Moysis et gratiam Christi, 567. — De lege peccati, 625, sq., 721, sq. — De lege spiritus, 628.

Liancourt (Dux a L.). — Iansenistarum patronus, 384.

Liberales. — Adducuntur, 694.

Libertas. — Quid de lib. doceant novatores, 705.

Libertas. — Fructus integritatis originalis, 150, sq.

Libido. — A generatione in statu innocentiae abfuisset prava libido, 279, sqq. — Bene de ea loquuntur S. Augustinus et Massillon, 289, sq. — Bene a poëta Dante sub imagine pardae describitur, 291.

Lignum (vitae). — Quid homini lapso esus l. v. contulisset, 242, sqq. — Opponinitur ligno scientiae boni et mali, ibid. — Figura Crucis et Eucharistiae, 243. — Utrum Adam de ligno vitae comederit, 253, sq. — Crux lignum vitae opponitur ligno scientiae boni et mali, 400. — Quale fuerit, 400, sqq. — Utrum nomen ab ipso Deo datum, 405.

Lipsius (Dr). — Impia scribit de Christo, 37.

Liturgia. — L. docet hominem mortem subire in poenam peccati, 230, sq. — Docet divinam originem nuptiarum, 284, sq. — Adducitur, 369. — Historicitatem narrationis mosaicae de hominis lapsu proclamat, 389. — Adducitur oratio Dom. II post Pascha, 755.

Lockius. — Erronee censet materiam fieri posse, volente Deo, cogitandi capacem, 22, sq.

Lombardus. — Cf. Magister.

Loquis (Martinus). — Nominatur, 266.

Louys (Petrus). — Corripitur, 660.

Lovanienses. — Adducuntur, 341. — De Univers. Lovan. vide notas historicas de Baio et Iansenio, 376, sqq.

Lovanium. — Nominantur controversiae L. in re Baiana, 142.

Lubbock (I.). — Adducitur, 31.
Luca (De L.). — Adducitur, 369.
Lucianus. — Poëta L. citatur, 160.
Lucifer. — Tragoedia Vondel nominatur, 7. — Verus Lucifer Christus, 647.
Lücken. — Adducitur, 44, 529.
Ludovicus XIV. — Quid in lite Ianseniana egerit, 383, sq.
Lugo (Card. de). — Minus probatur eius sententia de pecc. orig., 547; — adducitur, 549.
Lupus. — Illustratur effatum homo homini lupus, 202, sq.
Lutherana. — Corripitur L. philosophia τοῦ Uebermeusch, 201, sq.
Lutherani. — Ad Lutheranam doctrinam de iustificatione provocatur, 152.
Lutherus. — Excedit in doctrina de peccato originali, 8. — Exaggerat corruptionem humanae naturae, 113. — Citatur, 113, sq., 135. — In quonam Hermes cum L. conveniat, 509, sq. — De errore L. quoad pecc. orig., 522. — Quid censeat de concupiscentia, 615. — De Lutheri doctrina de non imputatione, 618; — de eius Caesaropapismo, 618. — Eius doctrina de non imputatione, 751. — Citatur cynicum L. effatum, 619. — Adducitur, 635, 696. — De servo arbitrio, L., 705.
Lydda. — De syn. Liddae ctr. Pelagiano, 372.
Lyranus. — Adducitur, 457.

Mabillonius. — Coram M. Baius errores retractat, 158.
Macaire (Theol. Orth.). — Adducitur, 264.
Macarius. — Adducitur, 716. — Quid censeat de morte, 717.
Machiavel. — Nominatur, 398.
Magdeburgenses. — Centuriarum Magdeb. conditor Flaccus Illyricus, 615.
Magister (Sentent. Petrus Lombardus). — Laudatur, 10. — Citatur, 67, sq. — Adducitur, 92, 94, 115. — Mens Lombardi de gratiae necessitate discutitur, 119, sq. — Discutitur sententia M. de merito, 178, sq. — Adducitur, 188. — Quid teneat de instanti quo Adamus in gratia est constitutus, 189. — De Adami immortalitate et de esu ligni vitae, 256. — Adducitur, 303, 368, 534. — Pecc. orig. nimis reponit in concupiscentiae fomite et naturae languore, 642. — Adducitur, 649, 683, 696, 737.
Mahumedani. — De cultu serpentis apud Mah., 392.
Mahumetus. — Adducitur, 469.
Maldonatus. — Laudatur, 11.
Manichaei. — Adversantur initiali elevationi hominis ad statum gratiae, 112. — Corripiuntur, 113. — S. Chrysost. arguit contra Manich., 559. — Item S. Cyrillus Hierosol., 560. — Dualismus Manich. non explicat conditionem hominis, 524. — Ad Manich. doctrinam appropinquat Zoroaster, ibid. — Manichaeos impugnabant Patres, 559, 565. — Adducuntur, 663.
Manichaeismus. — Convellitur per verba Geneseos, 185. — Adducitur, 650, 654.
Manzoni (Caesar). — Adducitur, 7, 41, 82, 149.
Maximus (S.). — Adducitur, 520.
Maximus (Tyrensis). — Citatur, 524.
Marcianistae. — Aliud nomen Massalianorum, 520.
Marcone (Ranier. Abbas Mont. Virg.). — Monastica opera commendat, 33.
Marcus (S. M. Evang.). — Adducitur M. narratio, 43.
Maréchaux (Rm̃us D. Bern. M. Cgr. Oliv.). — Citatur, 367.
Maria (Bm̃a V. M.). — Pertinet ad statum omnino singularem, 34. — Ab ipso initio propriae iustificationi meritoriae cooperata est, 125. — M. pulchritudo ad castimoniam excitabat, 145. — Merito longe superat Evam innocentem, 181. — Arbor vitae, 253. — De virginitate foecunda B. M. V., 299. — Fuit in iustitia confirmata, 320. — De privilegio Imm. Conc., 323, 325. — Per Paradisum figurata, 347. — Evae opponitur, 449,

489, sq. — Nova Eva celebratur, 512, sq. — De B. V. morte, 588. — Ex eius Purificatione falso arguitur, 600.

Marini (Card.). — Cum laude adducitur, 372.

Marius (Mercator). — Quid in re Pelagiana egerit, 371, sqq. — Strenuus defensor dogmatis de pecc. orig., 519.

Marmion (Rm̃us Abbas Col.). — Laudatur, 365. — Citatur, 449. — Bene applicat operi sanctificationis parabolam de grano synapis, 624.

Marnix (a S. Aldegunda). — Plaudit Baio, 377.

Mars. — De Iansenii opere cui titulus *M., Gallicus,* 380.

Martin (Illm̃us Dr Conr. M.). — Allegatur, 10.

Martini (Antonius). — Citatur, 56.

Martyrologium. — Mart. Rom. adducitur, 443.

Massaia (Card.). — Nominatur, 218.

Massaliani. — De Mass. haeresi, 520, sq. — Eos impugnat Theodoretus, 560, sq. — Adducuntur, 696.

Massillon. — In Platonis doctrinam de matrimonio invehit, 64. — Eloquenter loquitur de libidine, 290.

Massoulié (O. Pr.). — Citatur, 40, 146.

Materiale. — Quo sensu concupiscentia materiale sit pecc. orig., 635, sq.

Matignon. — Laudatur, 11.

Matrimonium. — M. dignitas ab Adamo proclamatur, 63. — In statu innocenti a Deo ipso intendebatur, 266, sqq. — At liber ab inordinatione libidinis, 278, sqq.

Matulewicz (Georg.). — Citatur, 264. — Adducitur, 716.

Maunoury (A. I.). — Adducitur, 504.

Mauriac. — Corripitur, 656.

Mausbach (Ios.). — Nominatur, 43.

Mazzarinus (Card.). — Nominatur, 384.

Mazzella (Card. S. I.). — Citatur, 18. — Adducitur, 112, 133, 139, 143, 220.

Mazzini. — Atheismum vituperat, 133.

Méchineau (S. I.). — Optime vindicat historicitatem narrationis Mosaicae, 44.

Meersch (von der M.). — Cum laude adducitur, 667.

Meester (D. Plac. de M. O. S. B.). — Adducitur, 262, sqq. — Citatur, 263. — Adducitur, 716, sqq. — Cum laude citatur, 720.

Melanchton. — Quid censeat de pecc. origin., 617, sq. — Eius vita breviter describitur, 617. — Mitius Luthero sentit de libertate, 705.

Mélanie. — Adducitur, 665.

Melitenense (Conc.). — Adducitur, 520.

Menalchhem (Rabbi). — Adducitur, 390.

Méniotis (Elias). — Cum laude adducitur, 716.

Mercier (Card. M. Archiep. Mechlin.). — Cum laude citatur, 174. — Invehit in Kant, 418, sq. — Celebrat Dei Providentiam, 475, 478, sq. — Adducitur, 500.

Meritum. — De merito operum Adami innocentis, 177, sqq.

Merlin. — Laudatur, 11.

Mesoloras. — Adducitur, 264, 717. — Mediam viam init quoad pecc. orig. inter doctrinam catholicam et protestanticam, 718.

Messias. — Ab Isaia canitur totam naturam instauraturus, 197.

Mexicani. — Populi M. medii inter populos excultos et barbaros, 31, 89. — De mythis Mex., 393.

Michaël (Archang.). — Nominatur, 391, 443.

Michalcescu. — Adducitur, 264.

Milevitana. — De Syn. Mil. contra Pelagium, 373, 433.

Milevitanum (Conc.). — Proclamat Adamum per peccatum incurrisse mortem, 229. — Adducitur, 517, 715.

Millenarismus. — De Paracletismo millenaristico, 667.

Milton. — Citatur, 6. — Laudatur uti poëta, sed corripitur uti catholicae religioni infensus, 6, 7. — Protaparentes in statu innocentiae pulchre describit, 144; — deficit autem in depingendo eorum amorem, 145. — Primaevam innocentiam

et erumpentem concupiscentiam pulchre depingit, 153. — Recte citat verba Adami de Eva, 156. — Corripitur audacior textus, ibid. — Pulcherrime depingit nexum inter Adami peccatum et erumpentem concupiscentiam, 164. — Pulchre describit rebellionem totius naturae, 196. — Adducitur, 281. — Citatur, 411, 425. — Non tam alte sentit ac Vondel de nuptiis in Paradiso, 281, 285. — Cum laude adducitur, 286. — Paradisum in loco excelso collocat, 343. — Figurative de Eden loquitur, 345. — Bene describit laborem in Paradiso, 353. — Minus probatur, 360. — Partim laudatur, partim corripitur, 365. — Pulcherrime describit incutiendam rebellionem ex superbia, 396, sq. — Describit peccatum Adami et Evae, 425, sq. — De Adamo submisso et poenitente, 443; — bene ostendit culpam protoparentum ipsis non Deo tribuendam, 473. — Adducitur, 478, 484. — Citatur, 485. Bene proclamat nexum solidaritatis inter Adamum lapsum et posteros, 535, sq. — Adducitur, 579,

Minocchi. — Nominatur, 45.

Modernismus. — A Kant derivatur, 419.

Modernistae. — Historicitatem narrationis Mosaicae negantes corripiuntur, 389. — Adducuntur, 694.

Modestia. — Vestitu mod. in ecclesiis apprime servanda, 172, sq. — Mod. christianis a S. Paulo commendatur, 645.

Modus. — De privatione modi, 710, sqq.

Mogilas (Petrus). — Adducitur, 264, 716, sq. — Citatur, 719.

Molière. — Citatur pulcherrimum carmen M. tribui solitum, 448.

Molina. — Nominatur, 24.

Molinistae. — Adducuntur, 549.

Monotheismus. — Anterior polytheismo, 90.

Mons Regalis. — *Biblia Pauperum* Ecclesiae M. R. celebratur, 391.

Montaigne. — Nominatur, 1. — Laudatur, 11.

Montalembert (Comes de M.). — Cum laude citatur, 355.

Montefortino (Fr. Hier. de M.). — Adducitur eius Summa iuxta Scotum illustrata, 176. — Benigne interpretatur Scotum, 189.

Monterisi (Illmus Nicolaus Episc. Monop.). — Nominatur, 1. — Adducitur, 173.

Montifr (Eduardus). — Corripitur, 280. — Audaciora M. textus et carmina citantur, 650, sqq. — Corripitur, 666.

Morillonius. — Tractat cum Baio, 377, sq.

Mors. — Quousque mors hominis naturalis, 222. — De morte poena peccati, 433. — De morte spirituali, 439, sqq. — De morte uti effectu pecc. orig., 712, sqq.; — uti homini naturali, 714, sq.

Mortalitas. — Naturalis conditio hominis, 222.

Mosaica. — Historicitas narrationis M. affirmatur, 12; — vindicatur, 42, sqq. — Ex narratione M. scientia Adami demonstratur, 61, sqq.

Moses Bar-Cepha. — Reiicitur falsa eius sententia de ligno scientiae boni et mali, 400.

Moyses. — Adducitur, 404. — Utrum ipse nomen imposuerit arbori scientiae, 405. — Adducitur, 466. — De lege Moysis, 502. — De discrimine inter legem Moysis et gratiam Christi, 567. — Liber *Apoc. Moys.* adducitur, 577.

Müller (Iulius). — Adducitur, 621.

Müller (M.). — Adducitur, 74. — Citatur, 75, 90.

Muratores. — De nexu inter muratores et protestantes, 36.

Muratori. — Adducitur, 639.

Murillo. — Laudatur, 11. — Cum laude adducitur, 44. — Cum laude citatur, 60, sq. — Adducitur, 154. — Citatur de efficacia ligni vitae disserens, 243, 248, sq. — Adducitur eius sententia de loco Paradisi, 342. — Adducitur, 405. — Cum laude citatur, 471, sq.

Mysterium. — Dogma de pecc. orig. est mysterium, 544.

Mystici. — Falsi Mystici corripiuntur, 112, sq.

Mysticismus. — De sensuali mysticismo recentioris scholae, 649, sqq.

Mythi. — A Scripturis excludendi, 45. — De variorum populorum mythis, 391, sqq.

Napoleo (Bonap.). — Adducitur, 665.

Natalis (Alexander). — Adducitur, 245.

Nathan (Proph.). — Nominatur, 497.

Nativitas. — Nativ. praeter legem fundamentalem naturae Virginem matrem eximit a contractione pecc. orig., 594, sqq.

Natura. — Homines per lapsum « natura filii irae », 501, 514, sq.

Naturale. — De ordine naturali, supern., et praetern., 12, sqq. — Mors est homini simpliciter naturalis, 222, sq.

Neapolitani. — Nominantur, 78.

Necessitas. — De necessitate salutis per Christum, 516.

Neopelagiani. — Adducuntur, 694.

Nephtali. — Liber *Testam. Nepht.* adducitur, 577.

Nero (Imper.). — Nominatur, 473.

Nestorianismus. — Ab eodem parente ac Pelagianismus, 371.

Nestorius. — Intercedit pro Iuliano eiusque asseclis, 375.

Newman (Card.). — Adducitur, 102. — Citatur, 393. — Partes Adami et Evae in culpa eloquenter describit, 429. — Mariam novam Evam celebrat, 450, sq. — Bene disserit de mysteriis, 544.

Nicetas (Aquileiensis). — Nominatur, 613.

Nicodemus. — Ex colloquio Christi cum Nic. arguitur, 573.

Nicolas (Augustus). — Adducitur, 160, 391, 529.

Nicole. — Iansenianismi fautor, 384.

Nietzsche. — Nominatur, 420. — De anthropolatria N., 526.

Nilus. — Non est Gehon, 340.

Nitzsch. — Adducitur, 551, 751.

Noailles (dux de N. Archiep. Paris.). — Patrocinatur Quesnellum, 386.

Noë. — Nominatur, 70. — Inverecundo filio maledicit, 158. — Adducitur in exemplum, 558. — Liber *Apoc. Noë* adducitur, 577.

Noirée (L.). — Adducitur, 75.

Noort (Van N.). — Citatur, 498, 505. — Sapiens eius monitum citatur, 564. — Reiicit inclusionem nostrarum voluntatum in voluntate Adami, 682.

Norisius (Card.). — Adducitur, 143, 499, 555. — Excedens Nor. sententia mitigatur, 736. — Adducitur, 738.

Novatores. — Cf. Protestantes.

Numa Pompilius. — Adducitur, 517.

Numeri. — Arguitur ex libro *Num.*, 611.

Nuptiae. — De divina origine nuptiarum, 266, sqq., 288, 293.

Obedientialis. — Potentia obed. naturae humanae ad elevationem supernaturalem vindicatur, 22. — De pretio obedientiae erga Deum, 406, sqq.

Obry (I. B. F.). — Adducitur, 342, sq.

Obsequiosum (Silentium). — De sil. obs. Iansenistarum, 384.

Obsessio. — De daemonis obs., 732.

Occidens. — Pugnat animose contra errorem Pelagianum, 372.

Ochamus. — Adducitur, 649.

Oesterley. — Adducitur, 572.

Officium (Congr. S. Off.). — Declarationes C. S. O. de scientia Christi, 55. — Adducitur, 419.

Ollé-Laprune. — Adducitur, 667.

Olympius. — Adducitur, 518.

Onomatopeica. — Theoria on. de humano sermone, 74, sqq.

Ophitae. — Serpentem colunt, 392. — Adducuntur, 581.

Optatus (Milev.). — Citatur, 521.

Ordo. — De privatione ordinis, 710, sqq.

Orfali (Gaudentius O. M.). — Cum laude citatur, 271.

Oriens. — In Oriente Pelagianus error initio triumphare visus, 372.

Origenes. — Nominatur, 43. — Excedit in symbolismum allegoricum, 44. — Adducitur, 199. — Lignum vitae symbolice explicat, 242. — Allegorice intelligit Paradisum, 336. — Citatur, 337. — Adducitur, 437, 464; — citatur, 498; — adducitur, 499, 505, 525, 696.

Origenistae. — Impugnantur, 560.

Originale (Peccatum). — Dogma fundamentale religionis christianae, 1, sq. — Cf. Indicem. — De orig. pecc. cf. Indicem rerum. — Dissertatiuncula praevia, 495, sqq. — Calumniae depelluntur, 542, sq. — Non repugnat rationi, 543. — Est tamen mysterium, 544. — Pecc. originale est habituale, 603, sqq. — Est unum in singulis, 610, sqq. — Orig. pecc. debetur aeterna damnatio, 732, sqq. — Non autem poena sensus, 735, sqq. — Orig. pecc. remittitur per merita Christi et baptismum, 749, sqq. — Remanet in hac vita poenae pars quae naturam afficit, 752, sq.

Originans. — De Adami peccato originanti, 529. — Est causa moralis non demeritoria peccati originalis, 553, sq. — Quid de pecc. orig. docuerit, 554, sq. Adducitur, 577.

Orosius. — Nominatur, 369. — Quid egerit in re Pelagiana, 372.

Orthodoxa (Eccl.). — De doctrina Eccl. orth. circa conditionem originalem protoparentum, 267, sqq. — De doctrina Eccl. orth. circa pecc. orig., 716, sqq.

Oseas (Proph.). — Ex Os. arguitur, 549.

Otiositas. — In Scripturis severe damnatur, 356.

Ovidius. — Auream aetatem describit, 45. — Vetustam traditionem de primaeva natura cantat, 197. — Adducitur, 391.

Pacianus. — Adducitur, 505.

Pactus. — Reiicitur sententia recurrens praeter solidaritatem ratione capitis, ad pactum Deum inter et Adamum, 549, sqq.

Palis (E.). — Citatur, 41. — Adducitur, 70.

Palmieri. — Nominatur, 11. — Cum laude citatur, 17. — Bene definit potentiam obedientialem, 22, 24. — Adducitur, 112, 133, 139, — Citatur, 144. — Adducitur, 220. — Citatur, 326, sq. — Adducitur, 369. — Genesim Pelagianismi bene illustrat, 371. — Quo sensu primum peccatum ex superbia, 395. — Adducitur, 422. — Quid censeat de absentia erroris in Adamo, 425, sq. — Citatur, 497, sq. — Adducitur, 505. — Sensum relativum ἐφ' ᾧ Paulini propugnat, 507, sq. — Cum laude adducitur, 533. — Refellit sententiam de pacto Deum inter et Adamum, 551. — Bene illustrat errorem Baii, 620. — Quid censeat de concupiscentia uti materiali pecc. orig., 635. — Adducitur, 695. — Citatur, 732. — Adducitur, 736. — Bene illustrat condemnationem in Pistoriensium calumniam a Pio VI latam, 738. — Citatur, 743, 748.

Pandora. — De mytho Pand., 391.

Panthrismus. — De panth. Schelling, 618.

Paphnucius (S.). — Adducitur, 664.

Paquier (L.). — Adducitur, 113.

Parabolae. — Liber *Parabolarum* adducitur, 577. — Illustratur par. de bono Samaritano, 608; — de grano synapis, 624; — de « forti armato », 724, sq., 731.

Paracletismus. — De Paracl. Leonis Bloy et aliorum, 667.

Paradise (*Par. lost.*). — Cf. Milton.

Paradisus. — De ligno vitae in medio P., 242, sq. — Simul realis et symbolicus, 242, 246, 336, sqq. — Ubinam fuerit, 338, sqq. — De etymologia vocis, 338. — Collocatur in loco excelso, 343. — De variis sensibus figurativis Paradisi, 344, sqq.

Paris (diaconus F. de P.). — De eius dictis miraculis, 387.

Parisiensis. — Universitas Par. damnat errores Amalrici, 267.

Parvuli. — Cur de baptizatis nati baptismate indigeant, 586, sq. — Parvulorum cum orig. pecc. decedentium dam-

natio non repugnat divinae iustitiae, 734. — Non patiuntur poenam sensus, 735. — Qualiter et quousque felices, 747.

Pascal (Blasius). — Peccatum originale strenue vindicat, 1. — Citatur, 6, 35, 366, sq. — Rigidior Iansenista Societatem Iesu calumniis impetit, 384. — Bene scribit de probationibus, 469.

Passio. — De passionibus in anima Adami innocentis, 126, sqq. — Conferuntur cum passionibus Christi, 129, sq. — Propriae sunt hominis, 131, sq. — Latius in Adamo patebant virtutes quam passiones, 177.

Pastor (Ludovicus). — Cum laude adducitur, 171; — citatur modestum P. iudicium de sacello Sixt., 172. — Adducitur, 216.

Patriarchae. — Liber *Testamentorum XII Patriarch.* adducitur, 577.

Patriarchalis. — Forma patr. gubernii adhuc praestans, 218.

Patrizi (S. I.). — Adducitur, 50, 500. — Cum laude citatur, 497. — Adducitur, 550. — Citatur, 504.

Paulinus (Diac. Mediolan.). — Agit contra errorem Pelagii, 370.

Paulinus (S. P. Nolanus). — Nominatur, 370.

Paulus (Codex S. P.). — Adducitur, 508.

Paulus (S. Apost.). — Arguitur ex eius doctrina ad Romanos, 16, sq., 38, 72. — Ex epist. ad Hebraeos, 38. — P. doctrina de homine animali et spirituali, 51, sq. — Adducitur P. doctrina de homine in gratia creato, 105, sq. 125. — Luctam inter utrumque hominem eloquenter depingit, 134. — Invehit in morum depravationem quam sequitur impietas in Deum, 173, sq. — Describit totam creaturam in servitute ob peccatum gementem, 196. — Docet hominem per peccatum amisisse immortalitatem, 228, sq. — Derisione interdum utitur, 249. — Praenuntiat errores de nuptiis, 266. — Dignitatem matrimonii proclamat, 270. — Historicitatem narrationis Mosaicae manifesto supponit, 389. — De morte poena peccati, 436, sq. — Labori manuum deditus, 461, sq. — De Christo tentato pulchre loquitur, 481. — Docet peccatum originale, 500, sqq. — Exponitur P. doctrina de concupiscentia, 625, sq. — Eloquenter describit captivitatem daemonis, 722, sq.

Paulus III. — Nominatur, 171.

Paulus V. — Nominatur, 382.

Pavillon (Nicolaus episc. Aletensis). — Iansenianismo addictus, 383.

Pègues (O. Pr.). — Laudatur eius Cathechismus thomist., XII. — Cum laude citatur, 593. — Adducitur, 600. — Cum laude citatur, 636.

Péguy. — Adducitur, 663.

Pelagiani. — Nominantur, 8. — Adversantur initiali elevationi hominis ad statum gratiae, 112. — Corripiuntur, 113. — Nota historica de P., 369. — Nominantur, 490, sq., 497. — Quomodo intelligant ἐφ' ᾧ Paulinum, 505, sqq. — Caute incedunt, 516. — Scripturis abutuntur, 548, sq. — Item Chrysostomo, 554, sqq. — Distinguunt inter regnum caelorum et vitam aeternam, 735. — Mitiores Augustino victi nonnihil cedunt, 556. — Nominantur, 738. — Pelagianum commentum excluditur, 746.

Pelagianismum. — E regione opponitur Baianismo, 379. — Adducitur, 718.

Pelagius (Brito). — Exaltat concupiscentiam, 135; — nominatur, 139. — Negat primi hominis immortalitatem, 226, 229. — Nota historica de P., 369. — Ab Augustino impugnatur, 490. — Adversarius dogmatis de pecc. orig., 516, 519. — Adducitur, 694.

Pelagius (Tarentinus). — Nominatur, 369.

Pererius. — Laudatur, 11. — Nominatur, 80. — Eius sententia de Paradisi situ adducitur, 342.

Perov (Ioannes). — Invehit in doctrinam catholicam de pecc. orig., 718.

Perrone (S. I.). — Allegatur, 7; — citatur, 9. — Moderate scribit de originali

integritate, 143. — Eius explicatio pecc. orig. non omnino probanda, 544, 695.
Persae. — De Persarum mythis, 392.
Peruviani. — Populi P. medii inter populos excultos et barbaros, 31, 89.
Pesch (Christ., S. I.). — Adducitur, 12. — Vindicatur, 45. — Adducitur, 69. — Adducitur eius sententia de lingua protoparentum, 80. — Adducitur, 106. — Citatur, 547, sq. — Bene disserit de indole pecc. orig., 586, sq.
Petavius (S. I.). — Adducitur, 69, 285. — Optime errores Pelagii et Coelestii colligit, 371. — Adducitur, 405. — Citatur, 409. — Adducitur, 439, 622, 738.
Peters. — Adducitur, 369.
Petra (deserti). — Adducitur in exemplum, 246.
Petrus (S. P. Apost.). — Adducitur, 18. — Proclamat consortium divinae naturae, 26. — Pulcherrime describit harmoniam socialem, 32. — Cum laude citatur, 213. — Nominatur, 473. — Docet resistendum diabolo, 734.
Phaenices. — De Ph. mythis, 392.
Pharisaei. — Citantur, 573.
Phavorinus. — Adducitur, 503.
Philarete. — Adducitur, 264, 718.
Philippus (Aurelianensis Gall. Reg.). — Nominatur, 387.
Philippus IV (Hisp. Rex). — Nominatur, 380.
Philo (Iudaeus). — Nominatur, 43. — Scientiam Adami extollit, 63. — Nominatur, 336. — Excedit in allegorismum, 574, sq.
Philolaus. — Nominatur, 392.
Phison. — De flumine Ph., 336, sqq.: — non est Ganges nec Danubius, 340.
Photius. — Adducitur, 503. — Sat bene de pecc. orig. sentit, 716.
Pianum. — De lite quoad comma Pianum, 377.
Picardi. — Nominantur, 266.
Picardus. — Num Picardorum parens? 266.
Picot. — Adducitur, 386.
Pighius (Albertus). — Reiicitur duplex eius sententia de pecc. orig., 548, sq., 557. — Adducitur, 634, 694.
Pistorienses. — Nominantur, 8.
Pistoriensis (Synod.). — Prop. 16ª adducitur, 139; — prop. 17ª, 229. — Calumniam Pist. Syn. Pius VI profligavit, 738.
Pius V (S. Pp.). — Celebri bulla errores Baii damnat, 377.
Pius VI. — Proposit. a Pio VI damnatae, 139, 229. — Calumniam Pistoriensis Syn. profligavit, 738.
Pius IX. — Lepide dictum affertur, 8.
Pius X. — Cum laude adducitur, 419. — Pulchra responsa Pii X afferuntur, 667.
Platelius. — Adducitur, 547.
Plato. — Non agnovit dignitatem matrimonii, 64. — De pudore liberius sentit, 165, sq. — Pessima vitia Plato in suo ordine sociali commendat, 651.
Platonismus. — Nominatur, 499.
Platonistae. — Impugnantur, 560.
Plessis d'Argentin. — Laudatur, 11.
Plutarchus. — Adducitur, 503.
Poena. — De poenis peccati primi hominis, 433, sqq ; 454, sqq. — De pecc. orig. poena, 697, sqq.
Pollio. — Nominatur, 391.
Polytheismus. — Posterior monotheismo, 90.
Pope. — Poëta P. adducitur, 149, 391. — Invehit in superbiam, 413. — Citatur, 435. — Rectitudinem in universo proclamat, 583. — Citatur, 650, 656.
Porphyrius. — Nominatur, 43.
Porte (Illmus de la P.). — Citatur, 708, sq.
Portus (Regalis). — Moniales P. R. Iansenismo pertinaciter addictae, 382, sqq.
Positivistae. — Inimici gratiae, 113.
Possibilitas. — P. elevationis ad ordinem supernaturalem supponitur, 12.
Potentia. — Pecc. orig. per prius in animae essentia quam in potentiis, 684, sqq. — Per prius inficit voluntatem quam alias potentias, 689, sqq.

Praeceptum. — Cur Deus praeceptum positivum Adae dederit, 406, sq. — Utrum Adamo ante Evae creationem datum, 409.

Praecursor. — Cf. Ioannes B.

Praeternaturale. — De ordine natur., supern. et praetern., 12, sqq.

Privatio. — De privatione modi speciei et ordinis, 710, sqq.

Prodicus. — Nominatur, 266.

Proles. — De conditione prolis generandae in statu innocentiae, quantum ad corpus, 303, sqq.; — quantum ad iustitiam, 314; — quantum ad scientiam, 331, sqq.

Prologus, ix.

Prometheus. — De mytho Prom., 391.

Propagatio. — De propagatione hominis quantum ad corpus, 294, sqq.

Prosper (S.). — Citatur, 72.

Prost (S. I.). — Citatur, 504.

Protestantes. — Exaggerant corruptionem naturae humanae, 113. — Pr. Lutherani ex Adami lapsu arguunt contra eius libertatem, 481.

Protestantismus. — Cum muratorum secta connexus, 36. — Natura sua infoecundus, 217, sq.

Proverbia. — Ex libro *Prov.* arguit Bossuetius, 249.

Providentia. — De speciali Providentia erga hominem innocentem, 203. — De Providentia totam naturam in hominis usum ordinante, 240. — Dei Prov. ordinat mala in bona, 472, sqq.

Psichari. — Adducitur, 662.

Pudentius (S. P. Ep. Tricass.). — Adducitur, 736.

Pudor. — Dissertat. de sensu pudoris, 133, sqq. — Augustinus fundamentum pudoris bene explicat, 152. — In narratione *Geneseos* explicatur, 152, sq. — In imaginibus sacris servandus, 170, sq. — Pudor christianus Manichaeismi insimulatur, 654.

Pura (Natura). — Pudoris sensus adfuisset in statu naturae purae, 169, sq.; — pariter et morbi, 237.

Purificatio. — Falso arguitur ex Purif. B. M. V., 600.

Pythagoras. — Nominatur, 62.

Quesnellus (Paschasius). — Nominatur, 8. — Abutitur sententia Augustini, 16. — Succedit Arnaldo in ducendis castris Iansenisticis, 385. — Eius opus a Clemente XI damnatur, 386. — Adducitur, 621.

Rabanus (Maurus). — Adducitur, 337.

Radulphus (de Nemours). — Denuntiat fraudes Gulielmi Parisiensis, 267.

Ralph Adams Eram. — Ordinum religiosorum beneficia commendat, 33.

Raphaël (Archang.). — Nominatur, 392.

Raphaël (Sanzius). — Conqueritur de destructione prope vandalica veteris basilicae Vaticanae, 171.

Rationalistae. — Inimici gratiae, 113. — Adducuntur, 694.

Ravenstein (Iudaeus). — Deplorat novitates Baii, 376. — Baio resistit, 377.

Ravignan (de R. S. I.). — Adducitur eius belle dictum, 151.

Rawlinson (Henricus). — Adducitur, 341.

Raynaud (Theoph.). — Adducitur, 726.

Rebellio. — Rebellionem civitatis in Deum sequitur morum depravatio, 173. — De rebellione totius naturae ob peccatum, 195, sqq.

Rectitudo. — Explicatur quid involvat rectitudo primi hominis, 104, sq., 134, sqq.

Redemptio. — Oeconomia Redemptionis demonstrat peccatum originale, 1, sq.

Reding (Aug. R. O. S. B.). — Adducitur, 151, 369.

Remissio. — De pecc. orig. remissione, 749, sqq.

Renan. — Impia eius sententia citatur, 36. — Quid censeat de origine humani sermonis, 77, 79. — Adducitur, 344.

Renascentia. — De pagano Renascentiae spiritu, 171, sq.; 291, sq.

Reticius. — Adducitur, 518.

Reuss. — Adducitur, 154.
Revelatio. — De rev. Adamo ab origine facta, 70, sq.
Révolution Française. — Lites Iansenisticas in Gallia praefocat, 387.
Ribot (Th.). — Adducitur, 126.
Richardus (R. a S. Victore). — Abusive Baiano sensu adducitur, 142.
Riessler (D.). — Adducitur, 344.
Riffel. — Adducitur, 374.
Rimbaud (Arthur). — Impia carmina R. corripiuntur, 280, 291. — Incaute a catholicis quibusdam laudatur, 292. — Corripitur, 660, 662.
Ripalda. — Laudatur, 11. — Nominatur, 12. — Iure tractat de potentia obedientiali, 22, sq. — Propugnat possibilitatem creationis substantiae supernaturalis, 24, sq. — Adducitur, 138, sq.
Ritschl. — Adducitur, 621.
Ritté. — Adducitur, 665.
Rituale. — Ex R. Rom. arguitur, 517.
Rochefoucault (de la R.). — Citatur, 398.
Rodnikov (N.). — Calumniatur Augustinum, 718.
Rosenmüller. — Adducitur, 154.
Rosis (Z. D.). — Adducitur, 264.
Roskovani. — Adducitur, 387.
Rossi (I. B. de R.). — Adducitur, 171.
Rossi (Petrus). — Citatur, 224.
Rottmanner (Odilo O. S. B.). — Adducitur, 31.
Rousseau (J. J.). — Inducitur disserens cum Voltaire, 211. — Nominatur, 219. — Erronee dicit hominem per se bonum corrumpi sociali consortio, 527.
Rubeis (Bernardus de R.). — Adducitur, 369. — Cum laude citatur sententiam Pighii confutans, 548. — Adducitur, 557.
Rubens (Petrus Paulus). — Cum laude nominatur, 253.
Rufinus (Aquilaeensis). — Nominatur, 372. — Adducitur, 505.
Rufinus (Syrus). — Nominatur, 371. — Corripitur, 549.
Rupertus (Abb. Tuit.). — Nominatur, 10. — Optime scribit de origine pudoris, 163, sq. — Ingeniosiorem quam solidiorem sententiam exponit de ligno vitae, 250. — Citatur, 251. — Singularis R. opinio adducitur, 357. — Nomen arboris scientiae ironicum censet, 402. — Citatur, 409. — Adducitur, 437, 443, 457. — Citatur, 458. — Adducitur, 463.
Russi. — Theologi R. nominantur, 8. — De relatione inter Iansenistas et schismaticos Russos, 387. — Cf. Orthodoxa. — Adducuntur, 696.

Sabelliani. — Adducuntur, 516.
Sacramentarium. — Sacr. Leonianum citatur, 705.
Saftingen (Hrosnata van S.). — Corripitur, 142.
Salette (La S.). — De apparitione B. V. in S., 665.
Salmeron. — Reiicitur eius sententia de pecc. orig., 547. — Adducitur, 549, 695.
Salomon. — Sapientia Salom. cum sapientia Adami confertur, 65, 82. — Adducitur, 582.
Salvator. — Cf. Redemptor.
Samaritanus. — Parabola Samar. adducitur, 608.
Sangermanensis (Codex). — Adducitur, 508.
Sapientia. — Ex libro *Sap.* arguitur, 496.
Sara. — Nominatur, 246.
Satanaël. — Factus rebellione Satan, nominatur, 391.
Satyrus. — S. Ambr. oratio de excessu fratris Satyri citatur, 568.
Savonarola. — Adducitur, 748.
Sayce (A. H.). — Adducitur, 342, 392.
Scaliger (Iosephus). — Adducitur, 341.
Scamel (Wilhelm). — Laudatur, 11.
Scandinavi. — De Scand. mythis, 392, sq.
Schaetzler. — Laudatur, 11.
Scheeben. — Laudatur, 5, 11, 26. — Adducitur, 19, 20, 97, 99, 135. — Bene scribit de pudore, 161. — Adducitur, 235. Cum laude citatur, 268. — Adducitur, 269. — Bene disserit de foecundationis processu, 298, sq. — Adducitur, 369. —

Bene scribit de Baianismo, 376. — Adducitur, 409, 443, 519, 523, 615, 710, 725, sq., 735, sq.

Schell (Hermannus). — Adducitur, 420.

Schelling. — Adducitur, 618.

Schill. — Adducitur, 386.

Schleiermacher. — Nominatur, 420. — Adducitur, 621.

Schmid (Dr Franc.). — Impugnat sententiam Pesch de origine humani sermonis, 80. — Adducitur, 707, 748.

Schmidt (Gulielmus). — Audacior eius sententia corripitur, 43. — Nimis allegorice interpretatur narrationem *Geneseos*, 155, sq. — Incaute dictum corripitur, 223. — Erronee censet ironicum sermonem omnino dedecere Deum, 249.

Schneider (W.). — Citatur, 165.

Schrader. — Laudatur, 11.

Schwetz. — Adducitur, 518.

Scientia. — De scientia Adami, 48, sqq. — Ab excessu hac in re cavendum, 60, sq. — Confertur cum scientia infusa Christi, 55, sq., 130.

Scotistae. — Adducuntur, 549.

Scotus. — Nominatur, 24. — Excludit deceptionem ab Adamo in statu originali, 88. — Bene exponit nexum inter originalem iustitiam et gratiam, 146. — Bene describit tranquillitatem animae ex integritate promanantem, 149. — Adducitur, 180. — Quid doceat de meritis in utroque Testamento, 182. — — Adducitur, 189, 253. — Citatur, 282. — Generatio fuisset in statu innocentiae, 273; — et qualis, 279. — Bene disserit de hominis confirmatione in gratia et iustitia, 319. — Adducitur, 422, 431, 669.

Scriptura. — De abusu textuum S. Scripturae, 653, 656.

Scythi. — De Scyth. mythis, 393.

Segneri (P. S. I.). — Bene describit Adamum a Deo edoctum, 72, sq.

Semen. — Quomodo se habeat ad alimentum, 297, sqq.

Semipelagiani. — Nominantur, 369.

Semipelagianismus. — In Conc. Araus. II damnatur, 521. — Adducitur, 718.

Seneca. — Citatur, 469.

Sensus. — Sensus poena non debetur pecc. orig., 735.

Septuaginta. — Afferuntur, 454.

Sequentia. — Citatur, Seq. *Victimae paschali*, 730, 754.

Seripandus (Card.). — Adducitur, 507.

Sermo. — Dissertatio de origine humani sermonis, 73, sqq.

Serpens. — De cultu serpentis, 392. — De poena in serpentem illata, 454, sqq.; — serpens figurat daemonem, 465; — qui serpente usus est, 483, sq. — Serp. in deserto exaltatus figurabat Christum, 750.

Severianus Gabalitanus. — Bene scribit de lignis Paradisi, 404, sq.

Sexus. — Naturalem inaequalitatem inter homines producit, 209, sq.

Sfondratus (Card.). — Adducitur, 748.

Sidense (Conc.). — Adducitur, 520.

Signaculum. — Dei sign. animae impressum, 102.

Simar. — Adducitur, 369.

Simia. — Adducitur opella satyrica S., 171.

Similitudo. — De habitudine imaginis ad similitudinem, 98, sq., 114, sq. — Quo sensu protoparentes similitudinem cum Deo appetierint, 412, sq.

Simon (Richardus). — Adducitur, 505.

Simonetta (Card.). — Nominatur, 378.

Sinaita. — Cf. Anastasius.

Sinenses. — De Sin. mythis, 392.

Sixtinum (Sacellum). — Animadversiones circa picturas S. Sixt., 171.

Smith (Rm̃us Abbas Ios. Osw. Im.). — Cum laude citatur, 437.

Societas Iesu. — Sodales Soc. I. animose Ianseniano impugnant, 382. — Ianseniani calumniis eos impetunt, 384.

Sociniani. — Nominantur, 8. — Adducuntur, 694.

Socrates (Histor.). — Citatur, 62.

Sodomia. — Impudenter a modernis scriptoribus celebrata, 660, sq.

Sodomiticum. — De gravitate huius vitii, apud antiquos philosophici dicti et Renascentiae tempore redivivi, 160, 171.

Solidaritas. — De ratione solidaritatis in pecc. orig., 531. — Bene proclamatur a Miltone, 535. — Evolvitur, 552, sq.

Solo. — Nominatur, 461.

Sorbona (Univers.). — Quid in re Baiana egerit, 376. — Quid in re Ianseniana, 382, sqq.

Soto (Dominicus). — Laudatur, 11. — Negat Adami initialem iustificationem potuisse esse meritoriam, 125. — Adducitur, 634, 637, sq., 646, sq. — Citatur, 737.

Souter (Al.). — Adducitur, 116.

Species. — De pertinentibus in statu innocenti ad conservationem speciei, 265, sqq. — De privatione speciei, 710, sqq.

Spiritualis. — De morte spirituali, 439, sqq.

Spiritus Sanctus. — Sigillum animae imprimit, 102, sq. — Sp. Sancti incarnationem expectabant discipuli Amalrici, 267.

Spoliatio. — Carentia donorum supernaturalium in homine lapso est spoliatio, 535.

Stadium. — S. P. describit triplex stadium in vita relate ad concupiscentiam, 626, sq. — De variis stadiis expositionis theologicae de pecc. orig., 637, sqq.

Stapleton. — Adducitur, 368, 726.

Stattler. — Corripitur, 26.

Status. — De multiplici hominis statu, 30, sq.

Stecchetti. — Corripitur, 291.

Steenhoven. — Batavus Iansenista nominatur, 387.

Steinthal. — Adducitur, 77.

Sterckx (Engelb. Card.). — Nominatur, 517.

Stirner. — Nominatur, 420.

Stoici. — Stoicorum apathia corripitur, 127. — Moderni corripiuntur, 132, sq.

Strabo. — Nominatur, 343.

Stransius. — Internuntius Str. apud Belgas nominatur, 381.

Strauss. — Impia Str. sententia citatur, 35, sq.

Studia (S. Congr. St.). — Adducitur, 531.

Suarez. — Adducitur, 30. — Citatur, 34. — Commendat prophetica verba ab Adamo prolata, 64. — Confert scientiam Adami cum infusa scientia Salomonis, 82. — Citatur, 85. — Adducitur, 85, 108. Egregie describit iustitiam originalem, 124. — Recte tenet contra Soto Adamum potuisse ab ipso exordio iustitia sua ita uti ut esset ipsi meritoria, 125, at privilegio singulari non posteris transfundenda, 126. — Bene loquitur de concupiscentia, 136. — Bene discurrit de homine perfecto in statu naturali, 169, sq. — Quid censeat de virginitate in statu innocentiae, 289. — Cum laude citatur, 358. — Adducitur, 422. — Citatur de loco sepulturae Adami, 444. — Citatur, 549. — Adducitur, 622. — Hominem lapsum confert nudato, 706, sqq.

Subiectum. — De sub. pecc. orig., 671, sq.

Substantia. — S. supernaturalis creatio non videtur possibilis, 24, sq.

Sully Prudhomme. — Tragicum eius carmen adducitur, 287.

Sulpicius (S.). — Institutum a S. Sulp. dictum nominatur, 655.

Superbia. — Primum peccatum ex superbia, 394, sqq.; — quali superbia, 412, sq.

Superhomo. — Corripitur stoicismus moderni superhominis, 132, sq.; — it. materialistica philosophia superhominis Lutherani, 201, sq.

Supernaturale. — De ordine natur., supern., et praetern., 12, sqq. — De cognitione supernaturali ab Adamo accepta, 70, sqq.

Svietlov (Theol. Orthod.). — Adducitur, 264, 716.

Sylvester (Theol. Orthod.). — Adducitur, 263, sqq., 716. — Invehit in theologos catholicos, 718.

Sylvius. — Adducitur, 707, 738.

Symbolum Fidei. — Arguitur ex Symbolo, 518, 751, 752.

Synagoga. — Quid antiquo Synagoga de pecc. orig. docuerit, 672, sq.

Synergastica. — Theoria syn. de origine humani sermonis, 75.

Tabarelli (Rich.). — Laudatur, 11. — Cum laude citatur, 17, sq.

Tabella. — Tab. synthetica praecipuarum sententiarum de pecc. orig., 694, sqq.

Tablet. — Citantur ephem. *Tablet*, 38.

Taboritae. — Nominantur, 266.

Tacitus. — Citatur, 412.

Tactus. — Quomodo pecc. orig. infectus, 691, sqq.

Taine (Hippol.). — Adducitur severum eius iudicium de arte renascentiae, 172. — Citatur, 216. — Evolutionismus T. corripitur, 525, sq.

Tanquerey. — Citatur, 89. — Adducitur, 90; citatur, 103, 495. — Quid censendum de sententia T. quoad evolutionem expositionis pecc. orig., 637, sq.

Tapperus (Ruardus). — Cum laude citatur, 139. — Explicatur, 141, sq. — Deplorat novitates Baii, 376; a quo Pelagianismi insimulatur, ibid. — Adducitur, 742.

Tatianus. — Nominatur, 443. — Adducitur, 519.

Te Deum. — Arguitur ex versu Te Deum, 507.

Tennant. — Adducitur, 575, 578, 580, 621.

Tentatio. — De tentatione primorum parentum, 470, sqq.

Tepe. — Adducitur, 530.

Terrien. — Laudatur, 11.

Tertullianus. — Adami creatio praeludium Incarnationis, 100, sq. — Adducitur, 392, 444. — Proclamat peccatum orig., 518. — Adducitur, 554. — Orthodoxe locutus est de pecc. orig., 556, 561, sq. — Cur baptisma differendum censeat, 562, sq.

Testamentum. — De merito in utroque Testamento, 182.

Theodoretus. — Adducitur, 266, 347, 455, 505. — Eius doctrina de pecc. orig. explicatur, 557, sqq. — Impugnat Massalianos, 560, sq. — Adducitur, 580.

Theodorus (Heracleensis). — Adducitur, 455.

Theodorus (Mopsuest.). — Parens erroris Pelagiani, 371. — Excipit Iulianum, 374. — Adducitur, 505. — Pelagii antesignanus, 516.

Theodosius II. — Nominatur, 374.

Theodotion. — Adducitur, 455.

Theophilus. — Adducitur, 503.

Thessalonicenses. — Epist. I ad Thess. adducitur, 788.

Thiers (Adolphus). — Nominatur, 467.

Thomas Magister. — Adducitur, 503.

Thomas (S. Th. Aq.). — Citatur, 6. — Ordo tractationis iuxta S. Th. describitur, 10. — Adducitur passim. — Bene exponit potentiam obedientialem, 23. — Quid docuerit de Adamo in gratia creato, 109, sqq. — Originalem rectitudinem celebrat humanae naturae ut optime sit apprime conformem, 141. — Praeclare disserit de hominis mortalitate, 223, sq. — Tentationem heroice superat, 325. — Prudenter scribit de signis pecc. orig., 524. — In doctrina de pecc. orig. sibi constans, 539, sq. — De concupiscentia egregie disserit, 614, sq. — Optime demonstrat pecc. orig. non deberi poenam sensus, 739. — Excludit afflictionem a statu parvulorum sine baptismo decedentium, 745, sq. — Egregie illustrat quomodo pars poenae pecc. orig. post baptismo remaneat, 753.

Thomassinus. — Adducitur, 369, 726.

Thomistica (Schola). — Adducitur, 695.

Thys (Iosephus). — Adducitur, 369, 507, 510, 518. — Bene disserit de positivo decreto Dei quoad transfusionem originalis iustitiae, 591, sq. — Quomodo arguat contra Flaccum Illyr., 516, sq.

Tigris. — De flumine Tigris, 336, sqq.

Times. — Ephemerides anglicae *Times* corripiuntur, 38.

Tobac. — Adducitur, 500.

Tobias. — Ex libro *Tob.* arguitur, 394.

Toletus (Card.). — Feliciter cum Baio tractat, 379. — Adducitur, 507. — Minus probatur eius sententia de pecc. orig., 547, 549, 695.

Tonna-Barthet (Ant.). — Adducitur, 32.

Tractatoria. — De epist. Tract. Zosimi, 374.

Traditio. — Vetustam traditionem Ovidius decantat, 197. — Exponitur trad. de pecc. orig., 516, sq.

Traductio. — De peccati originalis traductione, 494, sqq. — Traductio animarum falsa, 530, sq. — De ordine traductionis pecc. orig., 535.

Tranquillitas. — Animae tranq. fructus integritatis originalis, 149.

Transformistae. — Quomodo explicent sensum pudoris, 166, sq.

Tridentinum (Conc.). — Citatur, 63. — Adamus in gratia ab origine constitutus, 107, sq. — Adducitur, 135, 156. — Definit Adamum per peccatum mortem incurrisse, 229. — Quid doceat de nuptiarum origine, 272. — Adducitur, 369, 433. — Canones Sess. V citantur, 491, sqq. — Adducitur, 510, 521, 530, 595, 601, 609, 613, 619, sq., 622. — Citatur, 624. — Adducitur, 629, 655, 700, 703, sq. Proclamat imperium daemonis a peccato ortum, 726. — Adducitur, 750, 752.

Trinitas (SSm̃a). — Homo imago SSm̃ae Trinitatis, 98, sq. — Formula SS. Trin. adducitur, 507.

Trucco (Philippus). — Cum laude adducitur, 291. — Bene definit pecc. orig., 607. — Bene describit conditionem parvulorum sine baptismo decedentium, 749.

Tullius. — Cf. Cicero.

Turmel. — Audacior T. sententia corripitur, 540, sq. — Caute legendus declaratur, 566. — Falso opponit inter se Augustinum et Anselmum, 633.

Typho. — Aegyptiorum Draco, 392.

Ubermensch. — Cf. Superhomo.

Ullathorne (Illm̃us Ep., O. S. B.). — De homine imagine et similitudine Dei, 99. — Primaevae rectitudini ruinam a peccato productam eloquenter opponit, 157. Bene describit miseram conditionem pueri vixdum nati, 305. — Citatur, 439. — Bene scribit de Providentia Dei, 475. — Tentationem in Paradiso pulchre describit, 486. — Adducitur, 513. Citatur ex praesenti conditione hominis arguens, 527, sq.

Ultraiectensis. — Ecclesia Iansenist. Ultraiect., 387.

Unigenitus. — Celebri Bulla *Unig.* propositiones Quesnelli damnantur, 386.

Universalitas. — S. Paulus docet universalitatem transfusionis peccati originalis, 500, sqq.

Urbanus IV. — Adducitur, 675.

Urbanus VIII. — Nominatur, 171. — Damnat errores Iansenii, 382.

Urias. — Nominatur, 497.

Vacant-Mangenot. — Diction. V.-M. adducitur, 109, 113, 115, 126.

Valentia. — Adducitur, 368.

Valentinus III. — Nominatur, 375.

Valerianus (Comes). — Nominatur, 374.

Valla (Laurentius). — Corripitur, 171.

Vallée (de la V.-Poussin). — Adducitur, 525.

Vallery-Lardaud. — Citatur, 661.

Vallery-Radot (Robertus). — Corripitur, 292. — Citatur, 419. — Carnem incaute exaltat, 654. — Sensualis eius mysticismus corripitur, 657, 660. — Citatur, 663. — Corripitur, ibid. — Citatur, 664.

Vance. — Eius opus *Reality and Truth* iudicatur, 68.

Vandenpeereboom (A.). — Adducitur eius scriptum de Iansenio, 381.

Vasquez. — Cum laude citatur, 549. — Adducitur, 634, 638, 642, 669.

Vaticana (Basilica). — De signo immodesto in bas. Vat. collocato, 171.

Vaticanum (Conc.). — Adducitur schema de hominis fine supernaturali, 9, sq.; — item de necessitate revelationis, 25.

Veniale. — Peccatum veniale in Angelis repugnat, 420, sq. — Utrum in Adamo innocente, ibid.

Verger (Ioannes du V. de Hauranne). — Magnam partem in re Ianseniana agit, 380, sqq.

Vergilius. — Adducitur, 45. — Citatur, 364. — Adducitur, 391. — Citatur, 608. — Adducitur, 660.

Verlaine (Paul). — Opponit dolorem antiquum dolori christiano, 644. — Pia carmina et lasciva permiscet, 659. — Quam miserabiliter finem clauserit pessimi vitii propugnator, 660.

Veuillot (Ludovicus). — Citatur, 467.

Victorinus. — Cf. Hugo.

Vieux catholiques. — Nominantur, 387.

Vigilantes. — De fabula *Vigil.* in apocryphis, 577, sqq.

Vigouroux. — Laudatur, 11. — Adducitur, 41, 43, 46, 338. — Sententia V. de Paradisi situ laudatur, 341.

Vincentius (S. Vinc. de Paulo). — Acerrimus Iansenistarum impugnator, 383.

Vincentius (S. Vinc. Lerin.). — Citatur, 516, sq.

Virchow. — Adducitur, 89.

Virginitas. — Utrum potior coniugali statu in statu innocentiae, 289.

Virgo. — Virginis filius exemptus a contrahenda labe orig., 594, sqq.

Virtus. — Utrum Adam habuerit omnes virtutes, 174, sqq. — Latius patebant in eo virtutes quam passiones, 177. — Utrum Adamus peccato omnes virtutes amiserit, 446.

Visio. — Primus homo non habuit visionem Dei, 48, sqq. — Pecc. orig. debetur carentia visionis beatificae, 733, sqq.

Visus. — Quomodo per pecc. orig. infectus, 691, sqq.

Viva. — Adducitur, 547.

Voltaire. — Citatur, 1. — Redarguitur a S. Alphonso, 23. — Nominatur, 36. — Inducitur J. J. Rousseau disserens, 211. — Adducitur, 615.

Voluntarium. — De ratione voluntarii in pecc. orig., 530.

Voluntas. — De perfectione primi hominis quantum ad voluntatem, 96, sqq.

Vondel (Joost van den). — Summus neerlandicus poeta laudatur; cum Milton confertur, 7. — Egregie depingit originale donum integritatis, 136. — Harmoniam primaevam hominis integri pulcherrime celebrat, 140, sq.; — per peccatum ruptam luget, 141. — Castius Miltone amorem protoparentum depingit, 145. — Innocentiae vestem pulchre describit, ibid.; — necnon pacem naturae integrae, 150. — Depingit paradisiacas nuptias sub ligno vitae, 253. — Longe melius quam Milton describit castas nuptias in Paradiso, 285. — Cum laude citatur, 346. — Adducitur, 364. — Citatur, 406, 411. — Laudatur, 427. — Citatur, 453. — Poenam serpenti illatam pulcherrime depingit, 454. — Citatur, 478; — pulchre describit daemones tentationis ordinem molientes, 482; citatur, 485,

Vonier (Abbas V. O. S. B.). — Optime describit excellentiam status originis, 318; — necnon degradationem ex lapsu ortam, 319.

Vosté (O. Pr.). — Cum laude citatur, 44.

Vulgata (editio). — Ex V. arguitur, 498, 503.

Vulnus. — De vulneribus pecc. orig., 698, sqq. 706.

Waffelaert (Illmus W. Episc. Brug.). — Bene describit τὸ naturale, 15, et τὸ praeternaturale, 28, sq. — Bene describit integritatem originalem, 40, sq. — Prudenter loquitur de Adamo in gratia creato, 109.

Warren. — Adducitur, 339.

Weber. — Adducitur, 572.

Weiss (O. P.). — Laudatur, 11.

Wellhauzen. — Allegorice interpretatur narrationem Geneseos, 154.
Wey (Francis). — Affertur eius iudicium de picturis sacelli Sixtini, 172.
Whitney. — Adducitur, 75.
Wiclef. — Damnatur in Conc. Constant., 705,
Wirceburgenses. — Adducuntur, 547, 549.
Wolter (Archiabbas Maurus W.). — Cum laude citatur, 120.
Wordsworth. — Citatur, 365.
Wörter. — Adducitur, 112.
Wundt. — Adducitur, 77.
Wyzewa (Theodore de). — Corripitur, 133.

Yprensis. — Iansenius episc. Yprens. renuntiatur, ibique moritur, 380, sq.

Zanecchia. — Nominatur, 45.
Zapletal (O. Pr.). — Nominatur, 45.
Zigliara (Card. O. Pr.). — Laudatur, 11. — Adducitur, 13. — Bene describit τὸ supernaturale, 18. — Quomodo distinguat supernaturale et praeternaturale, 27.
Ziska. — Taboritas debellat, 266.
Zola (Aemilius). — Realismus Z. corripitur, 527.
Zoroaster. — Doctrina Zor. non aliena a Manichaeismo, 524.
Zosimus (Papa). — Adducitur, 369. — Quomodo egerit in re Pelagiana, 373, sq.
Zwinglius. — Convenit cum Pelagianis, 375. — Quid Hermes habeat commune cum Zw., 510. — De Zw. errore radicali, 522. — Zw. doctrina de Coena Domini, 619. — De contradictione inter Baium et Zw., 621, sq. — Brevis nota histor., 622. — Adducitur, 694.

DESCLÉE & C.
EDITORI PONTIFICI
PIAZZA GRAZIOLI N. 4
ROMA (12)

GTU Library
BX1749.T5 J2 1900
Janssens, Henri Lau/Summa theologica ad
3 2400 00181 5616

ST. ALBERT'S COLLEGE

BX 1749 T5 J2 1900 v.8 GTU
Janssens, Henri L
Summa theologica ad modum commentarii in Aquinatis summam

BX 1749 T5 J2 1900 v.8 GTU
Janssens, Henri L
Summa theologica ad modum commentarii in Aquinatis summam

Graduate Theological Union
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO